This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Pax

Est Stae. Mae. de Monteserrato, O.S.B.
Congr. Cas. a P. Observ.
In Catalaunia Hispaniae

SACRÆ LITURGIÆ PRAXIS

JUXTA

RITUM ROMANUM

Digitized by Google

L'AUTEUR SE RÉSERVE LA PROPRIÉTÉ ET LA TRADUCTION.

Digitized by Google

SACRÆ LITURGIÆ

PRAXIS

JUXTA RITUM ROMANUM

IN MISSÆ CELEBRATIONE

OFFICII RECITATIONE ET SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE SERVANDA

CURA

P. J. B. DE HERDT

CANONICI ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MECHLINIENSIS, SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS

—

TOMUS II

COMPLECTENS PROSECUTIONEM PARTIS II DE MISSA DE REQUIEM, DE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI, ETC., ETC. ITEM SENSUM LITTERALEM ET MYSTICUM RITUUM ET CÆREMONIARUM MISSÆ; PARTEM III DE DEFECTIBUS, ET PARTEM IV DE BREVIARIO.

—

EDITIO DECIMA

LOVANII

EXCUDEBAT JOSEPHUS VAN LINTHOUT

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS

—

1903

Digitized by Google

Digitized by Google

PROSECUTIO PARTIS II.

Titulus XIII.

DE HIS, QUÆ OMITTUNTUR IN MISSA PRO DEFUNCTIS.

DE MISSA PRIVATA DE REQUIEM.

Rub. 1. *In Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus* Judica me Deus, *sed pronuntiata Antiphona* Introibo ad Altare Dei, *et responso a ministro* Ad Deum qui lætificat, *etc. dicitur v.* Adjutorium nostrum, *et Confessio cum reliquis ut supra. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextra extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur* Gloria Patri, *sed post Psalmum repetitur* Requiem æternam; *nec dicitur* Gloria in excelsis *nec* Alleluja, *nec* Jube Domine benedicere, *nec* Dominus sit in corde meo; *nec osculatur librum in fine. Non dicitur* Credo, *non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio,* Deus, qui humanæ substantiæ *etc. Cum lavat manus, in fine Psalmi* Lavabo inter innocentes *non dicitur* Gloria Patri. *Ad* Agnus Dei *non dicitur* Miserere nobis, *cujus loco dicitur* Dona eis requiem, *nec tertio* Dona nobis pacem, *cujus loco dicitur* Dona eis requiem sempiternam, *neque percutitur pectus. Non dicitur prima oratio ante Communionem, scilicet*

Digitized by Google

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis *etc.*, *nec datur pax. In fine non dicitur* Ite Missa est, *nec* Benedicamus Domino, *sed* Requiescant in pace. *Et non datur benedictio; sed dicto* Placeat, *et osculato Altari, dicitur ut supra* In principio erat Verbum, *etc. Alia omnia ut in aliis Missis.*

---

1. Annotatur: 1. Quamvis juxta cæremoniale Ep. (1) quinque psalmi cum precibus, qui in missali pro præparatione sacerdotis celebraturi præscribuntur, ante missam pontificalem de *Requiem* non sint dicendi, vi tamen rubricæ missalis, quæ generalis est, videntur recitandi ante quamcumque missam de *Requiem* non pontificalem, quia de sola missa pontificali agit cæremoniale Ep. (2). Psalmi recitandi sunt cum *Gloria Patri* in fine, et tempore paschali etiam cum *Alleluja* in fine antiphonæ.

2. Quamvis solemnitates omnes a missa de *Requiem* subtrahantur, oscula tamen amictus, manipuli et stolæ non omittuntur. Nec etiam omittuntur preces solitæ, dum sacerdos se sacris vestibus induit (3).

3. Celebrans, dum incipit introitum, se non signat, sed, sinistra super altare posita (4), dextra extensa facit signum crucis super librum, circiter ad latitudinem libri, habens parvum digitum versus librum, eumdem autem non tangens.

Not. introitum *Requiem æternam dona eis* et alias preces in missa de *Requiem*, exceptis orationibus, semper dici in plurali, quamvis pro uno tantum defuncto celebretur.

4. Non dicitur *Jube, Domine, benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo;* sed sacerdos, dicto *Munda cor*, immediate vadit ad legendum evangelium. Lecto evangelio, sacerdos

(1) Lib. 2, c. 11, n. 2.

(2) Vid. Cavalieri, tom. 3, c. 12, n. 1, et tom. 5, c. 27, n. 8; Quarti p. 2, tit. 13, dub. 1.

(3) Cærem. Ep. loco cit. Cavalieri, ibidem n. 2; Quarti ibidem dub. 2.

(4) Rub. tit. III, n. 5, et dec. 7 Sept. 1816, n. 2572, 25.

Digitized by Google

nec osculatur librum, nec dicit *Per evangelica dicta* (1), sed missali prope corporale posito, immediate accedit ad medium altaris.

5. In fine psalmi *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri*, nec ejus loco dicitur *Requiem æternam*.

6. Præfatio et *Communicantes* semper dicuntur de communi, licet missa celebretur infra octavam habentem hæc propria.

7. Ad *Agnus Dei* non dicitur *Miserere*, sed *Dona eis* ut supra in rubricis; neque percutitur pectus, sed manus tenentur junctæ ante pectus, non autem super altari positæ.

8. In fine missæ dicitur *Requiescant in pace*, semper in plurali, et facie versa ad altare (2).

9. Evangelium s. Joannis semper legitur in fine missæ de *Requiem*, licet in missa de die aliud dicatur.

10. In discessu ab altari recitatur psalmus *Benedicite*, ut post aliam missam, cum *Gloria Patri* in fine psalmi, et *Alleluja* in fine antiphonæ tempore paschali. Psalmus autem *Miserere* aut *De profundis*, qui quandoque legi debet, si scilicet fundator aut dans stipendium exegerit, dicendus est recitato cantico *Benedicite* et exutis vestibus sacris. Vid. tom. I, n. 295.

11. Quando in canone aut alibi in missa de *Requiem* nominatur sanctus, cujus fit officium, octava aut commemoratio, caput a celebrante non est inclinandum, quia missa de *Requiem* nihil habet commune cum officio diei.

MISSA SOLEMNIS DE REQUIEM.

Rub. 2. *In Missa solemni non incensatur Altare ad Introitum, et Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur : Diaconus non petit*

(1) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2956, 10.
(2) S. R. C. 22 Jan. 1678, n. 1611.

Digitized by Google

benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum; non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant, unus a dextris, et alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata et Altare incensantur ut supra : incensatur solus celebrans, et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem : sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur.

3. *Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post Epistolam, et accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem.*

---

2. Annotatur : 1. Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus aut reliquiis, sed sola cruce et sex candelabris parandum est (1). Candelabra non erunt argentea, neque argentata aut inaurata, sed ex aurichalco aut ex ære (2). Candelæ ex cera communi (3), nisi forte alia sit consuetudo, vel cerei albi ab hæredibus aut aliis, ad quos spectat, offerantur (4). Gradus altaris et totum presbyterium sit nudum, præter unum tapete, quod super suppedaneum altaris ponitur.

Omnia paramenta, tam altaris quam celebrantis et ministrorum, ac librorum et scamni, in quo celebrans cum ministris sedet, sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum vel cruces albæ ponantur. Hæc autem de imaginibus mortuorum et crucibus albis, quæ cæremoniale Ep. in paramentis

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 11, n. 1.
(2) Martinucci lib. 2, c. 10, n. 2.
(3) Cærem. Ep. loco cit.
(4) Castaldus lib. 1, sect. 3, c. 8, n. 22; Bauldry p. 3, c. 13, n. 1.

Digitized by Google

interdicit, non extenduntur ad pannum nigrum adhibendum pro absolutione neque ad castrum doloris.

In credentia omnia præparanda sunt ac pro aliis missis, excepto velo oblongo pro subdiacono.

Tabernaculum contegendum est velo violaceo, et non nigro (1).

2. Quæ mutantur aut omittuntur in missa privata de *Requiem*, eadem mutantur aut omittuntur in missa solemni.

In accessu et discessu ab altari, acolythi deferunt candelabra cum candelis accensis, ut alias; et candelæ toto missæ tempore manent accensæ (2).

3. Diaconus et subdiaconus facta confessione, vel cum celebrante ascendunt ad altare, et ibi debitam faciunt reverentiam (3), vel se sistunt retro post celebrantem (4) : deinde celebrante accedente ad cornu epistolæ, diaconus et subdiaconus quoque accedunt et se collocant, ut alias ad introitum; celebrante autem librum signante, se non signant, et stant junctis manibus.

4. Subdiaconus ante epistolam in medio altaris debitam facit reverentiam, cantata epistola eamdem renovat reverentiam, non tamen osculatur manum celebrantis, neque benedicitur, sed immediate reddit librum acolytho aut diacono, et transfert missale.

5. Si cantetur sequentia *Dies iræ*, vel recitata hac sequentia, antequam a celebrante legatur evangelium, per gradus laterales epistolæ ad sedes accedunt (5), vel lecto evangelio a celebrante, in medio altaris junctis manibus expectant finem sequentiæ; sive sedent, sive expectant ad altare, ad nomen *Jesu* caput inclinant : attendant autem, ne cantetur *Pie Jesu*, dum a sedibus ad altare redeunt; quapropter vel sedent, donec est cantatum, vel tempestive surgunt, et interea celebrans legit evangelium, et diaconus *Munda cor*.

(1) Merati p. 2, tit. 13, n. 8.
(2) Merati ibidem.
(3) Merati ibid. n. 9.
(4) Baldeschi.
(5) Baldeschi p. 2, tit. 2, ch. 9, n. 7-9; De Conny liv. 2, ch. 2, art. 2; De Carpo Cærem. p. 2, n. 141; Martinucci lib. 2, c. 10, n. 33 et 37.

Digitized by Google

6. Diaconus ante evangelium more solito recitat *Munda cor :* quo lecto accipit librum de altari, et absque petitione benedictionis immediate descendit ad evangelium cantandum. Ad locum evangelii procedunt primo cæremoniarius, tum diaconus cum libro, deinde subdiaconus, et ultimo loco duo acolythi manibus junctis (1). Finito evangelio, subdiaconus claudit librum, eumque reddit acolytho. Reliqua servanda quoad evangelium cantandum vide supra in rubricis.

7. Si facienda sit oblatio (2), fiat statim post lectum a celebrante offertorium : ad eam non deferantur candelæ, quia, ut supra in rubricis dicitur, hæ tantum accenduntur ad evangelium, ad elevationem et ad absolutionem; certe conveniret, ut offerentes nihil prorsus oscularentur, quia oscula prohibentur in hac missa (3).

Subdiaconus, cantato ante offertorium *Oremus*, affert calicem, nisi super altare positus sit; non tamen induitur velo humerali, sed defert calicem coopertum velo et bursa. Non dicit *Benedicite* ante aquæ infusionem, neque tenet patenam, sed aqua in calicem fusa discedit, et facta in medio altaris debita reverentia accedit ad sinistram celebrantis eique assistit infra incensationem (4).

Diaconus explicat corporale sicut in missa, in qua symbolum cantatum non fuit; et post oblationem ponit patenam subtus corporale, eamque purificatorio cooperit, ut in missa privata.

8. Subdiaconus, cum non sit per patenam impeditus, se signat cum celebrante ad *Benedictus;* et ante consecrationem ad *Quam oblationem* genuflexus in cornu epistolæ super infimo gradu altaris, accipit thuribulum a thuriferario, prius thure sine benedictione imposito, et tanquam dignior minister triplici ductu incensat s. Hostiam et deinde Calicem, 1° dum celebrans genuflectit, 2° dum s. Hostiam aut Calicem elevat,

(1) Cærem. Ep. l. 2, c. 11, n. 6; Bauldry p. 3. c. 13, n. 9; A Portu p. 3, c. 6, n. 5; Cavalieri t. 5, c. 27, n. 15; De Conny liv. 2, c. 3.

(2) Vid. tom. 1, n. 222.

(3) Bauldry loco cit. n. 12. S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, 1.

(4) Merati p. 2, tit. 13, n. 13.

Digitized by Google

3° dum deponit, faciens profundam capitis inclinationem, ante et post utriusque speciei incensationem. Subdiaconus ad hanc incensationem in gradu anteriori ad cornu epistolæ genuflectit; plures autem censent, illum in gradu laterali genuflectere debere : cum vero rubricæ tantum præscribant, ut sit *genuflexus in cornu epistolæ*, utroque modo rubricis satisfacere videtur. Reversus ab incensatione sacramenti ad Elevationem in missa solemni de Requie, genuflectere debet in medio tantum (1).

9. Solus diaconus infra orationem dominicam ad *Et dimitte nobis* genuflectit, et ad dextram celebrantis ascendit. Ad *Pax Domini* subdiaconus genuflectit, et ad ejus sinistram ascendit. Sicut nec celebrans, sic nec diaconus et subdiaconus ad *Agnus Dei* pectus percutiunt. Numquam datur pax : adeoque dicto *Agnus Dei*, diaconus et subdiaconus statim mutant loca; diaconus scilicet accedit ad sinistram et subdiaconus ad dextram celebrantis, genuflectendo in cornu evangelii et epistolæ.

10. In fine missæ diaconus facie ad altare conversa cantat *Requiescant in pace*, cui chorus respondet *Amen;* et celebrans conversus ad altare, illud dicit submissa voce, cui subdiaconus aut minister respondet. Dicto *Placeat*, celebrans, et simul diaconus et subdiaconus discedunt ad cornu evangelii, ad legendum evangelium.

11. Si habendus sit sermo seu oratio funebris, habeatur non post evangelium, sed finita missa ante absolutionem, in vestibus nigris sine superpelliceo et stola, seu in habitu ordinario cum bireto. Ante sermonem non petitur benedictio ab episcopo, si adsit, neque recitatur salutatio angelica (2).

(1) S. R. C. 9 Junii 1899, n. 4027, 2 et 3.

(2) Cærem. Ep. l. 1, c. 22, n. 6, et l. 2, c. 11, n. 10; S. R. C. 14 Junii 1845, n. 2888; Merati p. 2, tit. 13, n. 18.

Digitized by Google

3. ABSOLUTIO DEFUNCTORUM.

Rub. 4. *Finita Missa, si facienda est Absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi exuitur Casula, et deposito Manipulo, accipit Pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos, cum candelabris accensis defert Crucem sicut in Processionibus, præcedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum Thuribulo et navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ et aspersorio : sequitur Celebrans, facta prius Altari reverentia, et Diaconus a sinistris ejus. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria : Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter Altare et tumulum aliquantulum versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat : a sinistris ejus Diaconus, et prope eum alii duo Acolythi deferentes Thuribulum et vas aquæ benedictæ. Interim cantatur* R. Libera me Domine, *et circa illius finem Celebrans ponit incensum in Thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono naviculam : et finito* Kyrie eleison, *incipit intelligibili voce* Pater noster, *et secreto prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, et facta Altari reverentia, comitante eodem Diacono a dextris, et tenente fimbriam anteriorem Pluvialis, circuiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter a parte dextra, et ter a sinistra. Cum transit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit : postea de manu ejusdem Diaconi accipit Thuribulum, et eodem modo quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, junctis manibus dicit :*

V. Et ne nos inducas in tentationem.
R. Sed libera nos a malo.
V. A porta inferi.
R. Erue Domine animam ejus.
V. Requiescat in pace.
R. Amen.
V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

V. Dominus vobiscum.
R. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum : ut in resurrectionis gloria, inter sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextra super tumulum dicit, V. Requiem æternam dona ei Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

Et dicto per Cantores, Requiescat in pace, *et* R. Amen, *præcedente Cruce redit cum aliis ad sacristiam.*

Si officium fit pro pluribus Defunctis, omnia dicantur in numero plurali.

Cfr. tomus III, nn. 250 et seqq.

DE SACERDOTE ASSISTENTE IN MISSA SOLEMNI EJUSQUE OFFICIO.

4. Sacerdos assistens in missa solemni præter diaconum et subdiaconum, debetur Episcopis aliisque Prælatis Episcopo inferioribus, dum actu pontificalia exercent (1); Protonotariis tamen adinstar participantium, pontificaliter celebrantibus prohibetur per Constitutionem SS. D. Pii IX *Apostolicæ Sedis officium,* n. 15, IV kalendas Sept. 1872. Item aliis sive simplicibus sacerdotibus, sive canonicis, archipresbyteris, præpositis et etiam primis dignitatibus eumdem adhibere non licet (2). Quinimo quoad simplices sacerdotes tamquam abusus prohibetur adhibere sacerdotem assistentem cum plu-

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 24, n. 9, et dec. gen. 27 Sept. 1659, n. 1131, 7.
(2) S. R. C. 28 Jun. 1642, n. 805, 1; 24 Jul. 1683, n. 1710, 4; 20 Jul. 1686, n. 1771, 2; 7 Ap. 1696, n. 1945; 10 Sept. 1701, n. 2079, 14; 27 Feb. 1847, n. 2933; 11 Jul. 1857, n. 3037.

Digitized by Google

viali, etiam sub prætextu immemorabilis consuetudinis (1). Canonicis autem et dignitatibus permittitur ex privilegio et antiquissima consuetudine (2). His tamen non obstantibus, consuetudo sacerdotem assistentem pluviali indutum in missa solemni adhibendi, in his locis multum invaluit : num autem id fiat per usum vel abusum, non est meum decernere; solummodo quid in casu facto opus sit, explicare intendo.

5. Assistens debet esse in sacerdotio constitutus : ubique enim in rubricis qualitas sacerdotis cum assistente conjungitur : 2° in sacerdotalibus officiis expertus, ut digne et decenter officium suum exercere valeat, et celebranti opportune ministrare possit (3).

Induitur juxta cæremoniale amictu, rochetto aut superpelliceo (prout ei convenit) et pluviali. Stola autem prohibetur, etiam ipso assistente in missa novi sacerdotis prima vice celebrantis, per decretum S. R. C.

6. Ejus munia generaliter sunt : 1° accurate et opportune demonstrare celebranti initium omnium et singulorum, quæ ex libro sunt legenda et cantanda, manu a celebrante remotiori, extensis et unitis digitis, vel solo digito indicando; submissa etiam voce suggerendo vel modesto nutu indicando, si celebrans in aliquo deficeret. 2° Generaliter stare ad librum, et si ipse celebrans stet ad librum, ad illud latus celebrantis, quod est a medio altaris remotius. Si folia missalis ab altera parte sint vertenda, ad alterum latus transire non debet, nisi missale ejus sit magnitudinis, ut folia commode vertere nequeat : versis autem tunc foliis, mox ad locum suum revertitur. 3° Respondere celebranti. 4° Quotiescumque ab uno latere altaris aut celebrantis transit ad alterum, easdem reverentias facere, quas diaconus in iisdem casibus faceret. 5° Celebrantem quasi præveniendo genera-

(1) S. R. C. 15 Mart. 1721, n. 2271; 28 Jul. 1876, n. 3403, II; vid. Gardell. in dec. n. 2649 in vol. IV decr. p. 275.

(2) S. R. C. 19 Jun. 1604, n. 165; 7 Dec. 1630, n. 548; 6 Maji 1673, n. 1470; 3 Oct. 1738, n. 2339; vid. Gardell. in dec. 2649 in vol. IV decr. p. 275, et Castald. lib. 1, s. 7, c. 10, n. 1.

(3) Cærem. Ep. lib. 1, c. 7, n. 1.

Digitized by Google

liter 1. cum ipso genuflectere, 2. se inclinare, quotiescumque celebrans alta voce legit aut cantat, ad quæ inclinatio debetur, 3. se signare, quotiescumque celebrans se signat, excepta signatione cum sacris speciebus ante communionem.

7. *Ejus officium.* Antequam sacras vestes induat; totam missam prævidere debet, omnes cæremonias et actus, quos celebrans facturus est, observare, ac signacula in missali locis congruis disponere, ut celebranti præsto esse possit. Sacras vestes induit ad latus dextrum celebrantis, et debita facta reverentia in sacristia, procedit ad altare ed dextram diaconi (1) (quod est convenientius quam post celebrantem incedere, quia reputatur dignior omnibus assistentibus, et ideo ad dextram diaconi incedit, sed non celebrante, et ideo non convenit, ut post ipsum celebrantem incedat). Cum pervenit ad altare, se sistit ad dextram celebrantis, ejusque accipit biretum. Tum facta reverentia, respondet celebranti (2); et facta confessione, si missale super altari positum sit, sicut rubricæ præscribunt, ascendit cum celebrante ad librum, cedens locum diacono inter se et celebrantem. Dum incensum imponitur, faciem vertit ad celebrantem, et illo imposito accipit librum, ac cum eodem descendit in planum ad cornu epistolæ. Si autem missale super credentia sit positum, facta confessione, non ascendit cum celebrante ad altare, quia sibi nihil ibi est agendum, sed facta altari reverentia, accedit ad credentiam, ibique expectat, donec librum super altare ponere possit. Dum celebrans incensato cornu epistolæ, ad medium altaris accedit, assistens cum missali ad altare ascendit, et deposito libro, ab altari se retrahit, ita ut celebrans cum diacono, altare incensando, commode transire queat. Celebrante incensato, se sistit ad dextram celebrantis, non inter ipsum et diaconum, sed juxta latus altaris, ita ut diaconus stet immediate juxta celebrantem. Recitato introitu et celebrante ad medium altaris accedente, ipse ascendit suppedaneum altaris, et manet ad

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 7, n. 3.
(2) Bauldry p. 1, c. 3, n. 3.

Digitized by Google

missale, relinquens infra recitationem hymni *Gloria* locum diacono inter se et celebrantem. Si sit sedendum, cum aliis ad sedes descendit, observans ut in mutatione loci semper post celebrantem et ante diaconum et subdiaconum transeat; sedet a dextris celebrantis. Hymno cantato, ascendit cum celebrante ad altare, et se sistit ad missale; cantato *Dominus vobiscum* vel descendit in gradum altaris, vel aliquantulum ab altari se retrahit, ut locum cedat celebranti ad missale accedenti; ministrat celebranti infra orationes, epistolam, graduale et reliqua, folia vertendo, initia indicando et respondendo. Ad folia vertenda, ad alterum celebrantis latus transire non tenetur, nisi missale tantum sit, ut aliter folia commode vertere nequeat. Si ad alterum celebrantis latus accedat, non obligatur ad reverentiam cruci altaris faciendam in accessu et recessu ab uno latere celebrantis in cornu epistolæ stantis ad alterum, nisi medium altaris attingat, quia medium altaris non transit, neque ad illud accedit, neque ab eo recedit. Finito graduali cum reliquis et cantata epistola, se retrahit post celebrantem, ut subdiacono locum præbeat ad benedictionem accipiendam. Deinde discedente celebranto ad medium altaris, accipit librum, et incedens inter celebrantem et diaconum, faciens in medio altaris debitam reverientiam, illum transfert ad cornu evangelii : ibi se sistit a latere sinistro celebrantis, relinquens aliquem locum subdiacono, et ministrat celebranti sub lectione evangelii. Post evangelium aptat missale prope corporale, et manet in cornu evangelii, se vertens ad diaconum cantantem evangelium, interim se signans, se inclinans versus crucem altaris, et genuflectens, dum in evangelio occurrunt, quæ inclinationem aut genuflexionem exigunt. Celebrante post evangelium incensato, ostendit *Credo,* si sit cantandum, aliquantulum recedit versus cornu evangelii, ut subdiacono locum præbeat, et simul recitat symbolum. Si sit sedendum, sedet et se gerit ut ad *Gloria;* caput detegit, dum diaconus surgens ad bursam afferendam, salutat. Cantato symbolo regulariter manet ad librum. Dum incensum imponitur, faciem vertit ad celebrantem; incensatis oblatis, vel saltem

Digitized by Google

dum, incensato cornu epistolæ, celebrans ad medium altaris pervenit, cum eo reverentiam facit, et accepto missali descendit in planum extra cornu evangelii, donec celebrans incensato cornu evangelii, ad medium altaris rediit; tum ad altare ascendit, cum celebrante reverentiam facit, et missale deponit. Incensato celebrante se vertit ad diaconum, et ab eo bis incensatur, quia triplex incensatio soli celebranti convenit; si autem habeatur chorus, incensandus est post alios in choro ante subdiaconum (1). Ad *Sanctus* aliquantulum recedit, ut subdiacono locum præbeat, et mediocriter inclinatus, simul dicit *Sanctus*, se signans ad *Benedictus*. Ad verba *Qui pridie* flectit utroque genu cum capitis inclinatione, et se tantum erigit cum celebrante, dum hic post calicis depositionem a genuflexione surgit. In fine orationis *Supplices* se non signat cum celebrante, nec ad *Nobis quoque peccatoribus* pectus percutere debet (2). Ad *Agnus Dei* locum subdiacono cedit, capite inclinato simul dicit *Agnus Dei*, et pectus percutit. Deinde genuflectit cum diacono et subdiacono, et accedit ad dextram celebrantis, ubi cum celebrans orationem *Domine Jesu Christe* ordinarie absolverit, flectit tantum unico genu, statim surgit (3), osculatur altare cum celebrante, et ab eo pacem accipit. Accepta pace iterum flectit unico genu, descendit ad diaconum stantem retro post celebrantem, et ei dat pacem; tunc immediate accedit ad missale, diacono pacem subdiacono dante, genuflectit, ibique ita se sistit, ut aliquem locum diacono relinquat. Si habeatur chorus, post pacem diacono datam, genuflectit super infimum gradum altaris, et deinde vadit ad pacem in choro dandam, uti de subdiacono tom. I, n. 328 dictum est : reversus ad altare, et omnibus pace data, genuflectit super infimum gradum altaris, et accedit ad missale. Ad *Domine non sum dignus*, et ad communionem se gerit ut diaconus; si distribuatur sacra communio, genuflectit et ss. Sacramentum

(1) S. R. C. 3 Aug. 1737, n. 2328, 5; Castald. l. 2, s. 2, c. 2, n. 15.
(2) S. R. C. 29 Maji 1900, 5, *Urgellen.*
(3) Cærem. Ep. l. 1, c. 7, n. 5.

Digitized by Google

concomitatur, uti de diacono et subdiacono dictum est tom. I, n. 331. Si ipsemet communicet, communionem sumit ante diaconum et subdiaconum, in primo loco genuflexus. Transfert missale ad cornu epistolæ, ibique ministrat celebranti, ut supra de orationibus dictum est. Cantatis orationibus vel claudit librum, et in cornu epistolæ manet, donec *Ite Missa est* cantatum est, vel si aliud evangelium legendum sit, librum transfert; cantato *Ite Missa est,* descendit, et flectit utroque genu medius inter diaconum et subdiaconum, caput sub benedictione inclinans, et deinde se signans. Accepta benedictione, accedit ad sinistram celebrantis in cornu evangelii, ei ministrat, et in fine claudit missale, si adhibitum fuerit. Finito evangelio, cum celebrante accedit ad medium altaris, facit reverentiam, simul descendit, et transiens post celebrantem ante diaconum et subdiaconum, se sistit ad dextram celebrantis; reverentia altari facta, dat biretum celebranti, et eodem modo et ordine, quo venerat ad altare, revertitur ad sacristiam.

Exposito ss. Sacramento, dubitatur, in quo loco sacerdos assistens sit incensandus, an in suo loco ad missale se vertendo ad diaconum, an descendendo ab altari in planum extra cornu evangelii : posterius videtur melius et conformius : si enim in reverentiam ss. Sacramenti celebrans in planum ad cornu epistolæ descendat, ut incensetur, pariter decet, ut assistens descendat : eo autem casu diaconus ad cornu evangelii accedere debet, ad assistentem incensandum.

DE DIACONO ET SUBDIACONO IN MISSA CUM SACERDOTE ASSISTENTE.

8. Diaconus ad sinistram celebrantis, et subdiaconus ad sinistram diaconi sacras vestes induunt. Procedunt ut alias eodem modo et ordine ad altare, sacerdote assistente incedente a dextris diaconi; pervenientes autem ad altare (idque fit, quotiescumque simul ad altare accedunt, vel ab eo recedunt) se sistunt diaconus a sinistris celebrantis, et sub-

Digitized by Google

diaconus a sinistris diaconi, ubi diaconus biretum suum tradit subdiacono, quique illud diaconi et suum porrigit ministro. Facta confessione, diaconus ad altare ascendens, se sistit ad dextram celebrantis, quia ei statim incensum ministrare debet. Ad introitum, *Kyrie* et *Gloria* stant more solito. Si sit sedendum, bene observare debent, ut assistentem ante ipsos transire sinant; sedent diaconus a sinistris celebrantis, et subdiaconus a sinistris diaconi. Diaconus stat retro post celebrantem infra orationes, epistolam et graduale. Subdiaconus, cantata epistola, et accepta benedictione, non transfert missale, sed more solito libro epistolarum reddito, accedit ad planum retro post celebrantem, donec hic evangelium lecturus, ad cornu evangelii accedit, quando ascendit ad sinistram celebrantis, se sistens inter celebrantem et assistentem, sed aliquantulum post illos (et sic semper se sistit, dum stare debet ad latus celebrantis, inter hunc et assistentem). Diaconus, celebrante ad offertorium incensato, bis incensat sacerdotem assistentem ante subdiaconum; et incensatione peracta, stat retro post celebrantem usque ad finem præfationis. Dicto *Sanctus*, diaconus non accedit ad sinistram celebrantis ut alias, neque descendit ad secundum gradum altaris retro post celebrantem, sed stat ad dextram aliquantulum post celebrantem juxta rubricas in ritu celeb. m. tit. VII, n. 11, ibique manet usque ad *Pater noster*, nisi interea ad celebrantem propius accedere debeat, ad discooperiendum aut cooperiendum calicem. Dum incipitur *Pater noster*, diaconus more solito descendit ad secundum gradum altaris retro post celebrantem. Dicto *Agnus Dei*, diaconus et subdiaconus flectunt simul cum sacerdote assistente, et accedunt ad loca sua retro post celebrantem. Ibi diaconus a sacerdote assistente pacem accipit, deinde descendit, et dat pacem subdiacono. Tum genuflectunt, et ad altare ascendunt. Post sumptionem s. Sanguinis diaconus descendit retro post celebrantem, nisi sacerdos assistens nondum reversus sit a pace in choro distribuenda, ita ut ipse diaconus librum transferre debeat. Infra orationes post communionem diaconus stat retro post celebrantem.

Digitized by Google

Ad benedictionem in fine missæ genuflectunt diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris assistentis. Finita missa diaconus et subdiaconus descendendo ab altari, sinunt sacerdotem assistentem ante se transire, et se sistunt ante infimum gradum altaris, diaconus a sinistris celebrantis, et subdiaconus a sinistris diaconi, pariterque in sacristia ita se sistunt, et sacras vestes exuunt a sinistris celebrantis.

DE OFFICIO CÆREMONIARII.

9. 1° Cæremoniarius induitur superpelliceo (1) stolam autem assumere nequit, neque biretum adhibere aut in manibus tenere debet.

2° Generaliter curam gerit circa celebrantem ejusque ministros. Ducit et reducit diaconum et subdiaconum, aliosque omnes tam majores quam minores ministros, quorum opera requiritur. Non tamen conducit diaconum, dum defert librum evangeliorum et bursam corporalis ad altare, neque subdiaconum, dum portat calicem ad altare, eumque in fine missæ reportat ad credentiam (2).

3° Cum aliquem invitat ad aliquid faciendum, id facit ei caput inclinando, plus minusve pro personæ qualitate. Alium conducens, regulariter a sinistris ejus incedit, aliquantulum præcedendo, nisi aliquid obstet, ut viæ angustia aut populi concursus; tunc enim præcedit, numquam vero sequitur. Cum pervenerit ad locum, ad quem accedendum est, alium ante se transire sinit, et se sistit paulo post, a sinistris illius. Si is quem comitatur, genuflectere aut se inclinare debeat, ipse quoque quasi præeundo, prius genuflectit aut se inclinat. Alteri ad locum suum reducto, caput inclinat in signum reverentiæ, antequam discedat.

4° Ante crucem altaris genuflectit, sed in plano. Dum

(1) S. R. C. 10 Ap. 1876, n. 3398, 1.
(2) Praxis Pontif. tom. 2, n. 180.

Digitized by Google

transit ante celebrantem, ad eum accedit aut ab eo recedit, eumdem salutat; similiter et chorum, ab utraque parte, cum ante aut per eum transit. Item si alicui quid sit indicandum, ministrandum aut offerendum, id peragit per inclinationem ante et post, plus minusve pro personæ qualitate. Præterea dum celebrans cum ministris, vel omnes qui sunt in choro vel alibi, se inclinare aut genuflectere debent, ipse prius aliquantulum e loco suo recedens, alios præveniendo, illis innuit, quid sid agendum.

5° Manus vel junctas tenet ante pectus, vel saltem pectori decenter admotas, numquam autem brachia habet cruciata aut pendentia.

6° Quæcumque agenda sunt, modeste et discrete demonstrat submissa voce aut solo nutu, si fieri possit; aliorum defectum cum modestia ac silentio corrigit et supplet; atque necessaria affert, si opus sit.

7° Locus determinatus infra missam ei assignari nequit, cum de ratione officii sui sit omnia ordinare, ita ut modo unum, modo alium locum occupet, prout opportunum judicat. Unde locus, qui in sequentibus ei assignatur, non ita stricte accipiendus est, sed prout cæremoniario opportunus visus fuerit.

10. Ante missam curare debet, ut thuriferarius et acolythi sint parati, omniaque ad altare bene disposita. Si opus sit, adjuvat celebrantem se induentem, et deinde diaconum et subdiaconum.

Omnibus paratis, cum tempus est, dat signum ad altare accedendi. Alios præveniendo facit reverentiam cruci in sacristía, deinde salutat celebrantem aliosque, et tum procedit ad altare, nudo capite et junctis manibus, post ceroferarios, nisi ad impedimenta in via amovenda oporteat, ut ante thuriferarium, omnium primus incedat. Ad januam sacristiæ sumit et ministrat aquam benedictam, nisi sit dominica, in qua fit aquæ aspersio. Indicat celebranti ejusque ministris, ubi chorus, si adsit, salutandus sit. Ducit illos ante infimum gradum altaris. ibique illos ante se transire sinens (quod in similibus casibus semper servandum est),

Digitized by Google

sistit se in plano ad cornu epistolæ vel retro post celebrantem et ministros; et facta genuflexione accipit celebrantis et ministrorum bireta, nisi alius ea recipiat, eaque super scamnum ad cornu epistolæ vel alio loco opportuno deponit. Deinde infra confessionem genuflectit in plano ad cornu epistolæ vel retro post celebrantem; confessionem autem cum alio facere non debet, quia ipsius est, interim ad omnes alios attendere; cum ministris tamen celebranti submissa voce respondere potest, se cum iisdem signans, inclinans et pectus percutiens.

Facta confessione et celebrante ad altare ascendente, ducit thuriferarium ad altare, et assistit ad impositionem incensi post vel juxta thuriferarium. Deinde amovet missale, nisi adsit sacerdos assistens; quo assistente, stat infra incensationem in plano ad cornu epistolæ; dum vero celebrans incensatur, stat prope diaconum, cum eo inclinationes faciens, quod semper in incensatione servabit. Ad introitum celebranti non assistit, sed diaconus; interea autem stat prope angulum posteriorem altaris versus ipsum celebrantem, et se inclinat versus crucem, dum celebrans legit *Gloria Patri*. Dicto a celebrante ultimo *Kyrie*, si sit sedendum, se gerit ut ad *Gloria;* si autem non sit sedendum, tunc cum tempus est, dat celebranti et ministris, caput inclinando, signum ad medium altaris accedendi.

Infra *Gloria* stat in latere altaris ad cornu epistolæ, hymnum submissa voce recitans. Si sit sedendum, ducit celebrantem et ministros per viam breviorem ad scamnum, illos ante se transire sinit, si opus sit bireta ministrat, sacras vestes a tergo elevat, illisque apud scamnum constitutis caput inclinat; deinde infra cantum hymni sedet vel potius stat prope credentiam, ita ut a celebrante et etiam a choro videri possit, iisque sive præveniendo sive nutu indicare valeat, quando cantentur verba, ad quæ caput inclinandum est. Circa finem hymni cum cantatur *cum Sancto Spiritu*, se constituit coram celebrante, eique caput inclinat in signum surgendi; tum per viam longiorem celebrantem ad altare reducit, chorum si adsit salutando, et facta ante

Digitized by Google

altare genuflexione, per planum accedit ad latus cornu epistolæ, ut ibi, nisi adsit sacerdos assistens, adveniente celebrante, ostendat orationes, diacono interim manente post celebrantem. Si plures dicendæ sint orationes, folia vertit, illasque celebranti indicat; de uno autem latere ad alterum transire non debet, nisi aliter folia commode vertere nequeat.

Ultima incepta oratione, a celebrante discedit, et de credentia accipiens librum epistolarum, eumque utraque manu deferens, sub mutua inclinatione tradit subdiacono stanti post diaconum; et statim cum subdiacono a sinistris ejus, chorum si adsit salutando, accedit ad medium altaris; ibi in plano genuflectit, regulariter quantum fieri potest, ad verba in fine orationis *Jesum Christum*, vel ad *In unitate* si oratio terminetur *Qui vivis*. Mox subdiaconum reducit ad locum, ubi epistola cantatur; ibi assistit a dextris, ut sit in loco remotiori ab altari, epistolam indicat, et folia vertit si opus sit. Epistola cantata, respondet *Deo gratias*, subdiaconum similiter ad medium altaris reducit, ibique facta genuflexione, eumdem comitatur ad cornu epistolæ, ubi genuflectente subdiacono, similiter genuflectit utroque genu ad ejus sinistram. Benedictione subdiacono data, surgit, librum ab eo recipit, illumque super credentiam deponit, vel in manibus retinet, si diacono mox porrigendus sit.

Celebrante ad medium altaris accedente, et subdiacono librum transferente, diaconus descendit in planum ad cornu epistolæ, ibique cæremoniarius ei librum evangeliorum sub mutua inclinatione tradit. Deinde circa finem lectionis evangelii ducit thuriferarium ad altare, et assistit ad impositionem thuris. Eo imposito, recedit cum thuriferario ad credentiam. Ibi deposita navicula incensi, dum celebrans benedicit diaconum, adducit thuriferarium et ceroferarios ad altare, in horum medio incedens. Facta genuflexione, cum tempus est, ante omnes præcedit ad locum, ubi evangelium cantandum est, chorum si adsit salutando; ibi locum cedens, ut reliqui ante eum transeant, se sistit a sinistris diaconi : thuribulum non ministrat, sed evangelium indicat, folia vertit se signat et inclinat, atque genuflectit, cum opus

Digitized by Google

est, diaconum quasi præveniendo, ut idem agat. In fine evangelii respondet *Laus tibi Christe,* et tum ante thuriferarium et ceroferarios revertitur ad gradus altaris; ubi facta cum reliquis genuflexione, exspectat in cornu epistolæ descensum subdiaconi, librum ab eo recipit, eumque defert ad credentiam. Si concio habeatur, mox concionatorem ad pulpitum ducit.

Ad *Credo* stat in latere altaris ad cornu epistolæ, symbolum submissa voce recitat, ad *Incarnatus est* genuflectit, caput inclinat ad *Jesum Christum* et *Simul adoratur,* et in fine se signat. Si non sit sedendum, ibidem persistit, paulo ante versum *Incarnatus est* celebrantem et ministros monet, ut genuflectant, et deinde bursam tradit diacono, ut mox dicetur. Si autem sit sedendum, se gerit ut ad *Gloria.* Paulo antequam chorus cantet *Incarnatus est,* dat signum celebranti aliisque ut se inclinent, et in die nativitatis Domini et annuntiationis B. M. V. ut genuflectant; ipse autem quia stat, semper genuflectit, et caput inclinat. Hoc versu *Incarnatus* cantato, monet diaconum, ut surgat, via breviori accedit ad credentiam, et bursam diacono ambabus manibus tradit, ita ut pars aperta ipsum diaconum respiciat. Diaconus solus defert bursam ad altare, et cæremoniarius ad locum suum revertitur. Ad *Simul adoratur* dat signum inclinandi caput. Circa finem symboli celebrantem per viam longiorem, et cum salutatione chori si adsit, ad altare reducit, sicut post hymnum angelicum. Facta genuflexione, redit ad credentiam.

Velum oblongum super humeros subdiaconi et deinde super calicem adaptat, subdiaconum autem ad altare non sequitur, sed manet apud credentiam usque ad incensationem. Tunc cum thuriferario ad altare ascendit, assistit ad impositionem thuris, et deinde amovet missale, nisi adsit sacerdos assistens. Missali reposito, vel ibidem in cornu evangelii apud missale remanet; vel ad planum in cornu epistolæ accedit, assistit incensationi celebrantis manuumque lotioni, et deinde ad missale revertitur; incensato diacono, incensatur in loco ubi reperitur; respondet ad *Orate fratres,* et celebranti assistit usque ad præfationem, folia vertendo, orationes secretas et

Digitized by Google

præfationem indicando. Si autem adsit sacerdos assistens, missale non amovet, stat infra incensationem in plano ad cornu epistolæ, et diaconum in thurificatione chori comitari potest, observans et diacono indicans ordinem et reverentias servandas. Si diaconum non comitetur, et adsit sacerdos assistens, tunc infra et etiam post incensationem stat in plano ad cornu epistolæ aut alio loco opportuno, prout etiam per totum canonem.

Si celebranti infra præfationem assistat, circa ejus finem ab eo recedit, dum diaconus et subdiaconus ad latera celebrantis ascendunt. Tunc ceroferarios e sacristia adducit, ita ut in locis suis sint genuflexi ad *Hanc igitur oblationem;* in missis autem feriarum adventus, quadragesimæ, quatuor temporum et vigiliarum quæ jejunantur, ac in missis defunctorum, in quibus post *Sanctus* est genuflectendum, eos prius et ita tempestive adducit, ut sint genuflexi dicto *Sanctus.* Ceroferarii ad altare accedentes chorum, si adsit, salutant, et ab omnibus genuflexione post subdiaconum facta, genuflectunt in locis suis. Deinde cæremoniarius imponit thus in thuribulum, nisi ipse thuriferarius id faciat, et genuflectit in plano ad cornu epistolæ aliove loco opportuno.

Elevatione facta surgit, accedit ante medium altaris post subdiaconum, ibi genuflectit cum thuriferario et ceroferariis, eosque sine chori salutatione reducit in sacristiam. Statim regressus, se iterum sistit in plano ad cornu epistolæ. Si ceroferarii post elevationem non discedant, tunc ipse remanet in loco suo stans vel genuflectens, prout chorus stat aut genuflectit. Cum diaconus ad *Per quem hæc omnia* ad dextram celebrantis accedit, tunc cæremoniarius cum genuflexione ascendit ad sinistram celebrantis, ibique stat ad orationem dominicam folia vertens, si opus sit, donec subdiaconus supervenerit, dicturus *Agnus Dei.* Si autem adsit sacerdos assistens, remanet in loco solito; et eo casu, cum subdiaconus patenam diacono reddiderit, velum oblongum accipit, plicat et defert ad credentiam.

Ad *Agnus Dei* stat in loco solito, submissa voce idem recitans, caput inclinans et pectus percutiens. Deinde facta genu-

Digitized by Google

flexione ad altare, a sinistris comitatur subdiaconum pacem ad chorum deferentem, illumque conducit ad eos quibus pax danda est, se tantum cum illo inclinans post pacis osculum; reversus ad altare, facta genuflexione, ipsemet a subdiacono accipit pacem, eamque statim acolythis porrigit.

Deinde perstat in plano ad cornu epistolæ, monet acolythum, ut ampullas tempestive afferat et ministret; non comitatur subdiaconum, calicem portantem ad credentiam; sed dum celebrans ad cornu epistolæ accedit ad legendam communionem, nisi adsit sacerdos assistens, ipse quoque ad librum accedit diacono manente post celebrantem, eique communionem et orationes indicat; quibus finitis, librum claudit, nisi aliud legendum sit evangelium. Ad benedictionem flectit utroque genu in plano ad cornu epistolæ.

Circa finem evangelii ceroferarios ad altare adducit, et dum celebrans cum ministris descendit, ministrat bireta. Facta altari genuflexione et choro, si adsit, salutatione, reducit celebrantem et ministros ad sacristiam eodem ordine et modo quo venerat. In sacristia facta imagini reverentia, salutat celebrantem et ministros, et in deponendis paramentis adjuvat.

11. Si in officio solemni duo sint cæremoniarii, tunc ad altare accedendo, primus incedit ante subdiaconum, et secundus ante thuriferarium. Primus præcipuam gerit curam circa celebrantem; dum diaconus stat post celebrantem, ut infra orationes, aut assistit ad dextram ejus, ut ad offertorium, *Pater noster*, etc. accedit ad librum, ut folia vertat et legenda demonstret. Secundus curam agit circa ministros, ad epistolam librum subdiacono ministrat, eique assistit, comitatur ad cantum evangelii, conducit diaconum chorum incensantem et subdiaconum pacem deferentem, adducit thuriferarium et acolythos, etc.

DE CANTORIBUS.

12. In pluribus locis duo cantores, pluvialibus induti, in medio chori missæ solemni assistunt. Quidam hoc probant ad

Digitized by Google

solemnitatem cultusque majestatem adaugendam; per cæremoniale autem Ep. hi cantores a missa solemni excluduntur, nam lib. 1, c. 15, n. 13, præscribit: « Ad missas... præcedunt... diaconus immediate ante celebrantem, subdiaconus vero ante diaconum, *nec alii præter ipsos erunt parati* (1) ». Si ex clericis, de quibus cæremoniale loquitur, alii pluvialibus parati esse nequeant, quanto magis excluduntur laici, quibus, etiamsi regulares sint, pluviale non permittitur (2).

Si tamen cantores pluvialibus induti missæ solemni assistant, tunc ad altare accedunt post acolythos ante subdiaconum. Celebranti *Gloria* et *Credo* præintonare nequeunt (3). Ratione paramentorum præcedunt et præferuntur omnibus non indutis sacris vestibus, et duplici ductu incensantur (4). Stant, sedent et genuflectunt, prout in choro servatur, ut dictum est tom. 1, n. 146. *Vid. Praxis Pontific.* tom. 1, n. 54.

DE THURIFERARIO ET ACOLYTHIS.

13. « Pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta » Synodus (5) decernit, ut in posterum hujusmodi ministeria » non nisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur. » Attamen functiones thuriferarii et acolythorum communiter a laicis exercentur.

Tres acolythi in missa solemni sufficiunt, scilicet duo ceroferarii, qui simul vinum et aquam ministrare et duo intorticia ad elevationem accendere possunt, et unus thuriferarius. Rubricæ missalis Romani et cæremonialis Ep. in missa solemni etiam pontificali tantum de uno thuriferario loquuntur, nisi

(1) S. R. C. 24 Jul. 1683, n. 1711, 4.
(2) S. R. C. 29 Mart. 1659, n. 1111, 6.
(3) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 10; 24 Jul. 1683, n. cit.; 23 Jun. 1703, n. 2114.
(4) S. R. C. 13 Mart. 1700, n. 2049, 20 et 21.
(5) Tridentina sess. XXIII, c. 17, de ref.

Digitized by Google

in processione ss. Sacramenti in parasceve et cœna Domini, ac in processione festi Corporis Christi, nec non in translatione reliquiarum insignium, in quibus duo thuriferarii requiruntur. Plures tamen quam duo acolythi adhiberi possunt, uti duo ceroferarii, duo saltem pro intorticiis ad elevationem, et duo ad ministrandum vinum et aquam aliaque necessaria.

14. Thuribulum cum navicula præparatur in credentia, nisi thuriferarius accedendo ad altare ea deferat.

2. Thuriferarii locus est apud credentiam prope acolythos (1). Ibi genuflectit infra confessionem et benedictionem in fine missæ, nec non quando chorus genuflectit infra orationes et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini*, nisi interim quid agendum habeat. Alio tempore stat, et tantum sedere potest, dum celebrans sedet. Ipsius est, ignem præparare et conservare, non continuo thurificando, quod tantum tempore et loco fieri debet, sed thuribulum seu vasculum cum igne leviter agitando aliove modo conveniente. Thuribulum, vasculo cum igne emisso, super credentiam deponere potest.

3. Ante altare genuflectit, sed in plano et non in gradu infimo. Thuribulum autem semper stans ministrat, sive expositum sit ss. Sacramentum sive non, et quiscumque sit celebrans, nisi sit Episcopus proprius.

4. Ipsemet thuribulum immediate ministrat, nisi forte satis expertus non esset. Naviculam et thuribulum diacono semper porrigit, et ab eo recipit sine osculis. Si deficientibus assistentibus, celebranti immediate ministret, osculatur thuribulum, antequam illud porrigat, et cum receperit, manum autem celebrantis non osculatur (2).

5. Thuriferarius thuribulum dextra portat, pollice in annulum majorem immisso; medio vero ejusdem manus digito minorem annulum catenulæ elevante, coopertorium thuribuli appositum regit et sustinet; sinistra manu pedem naviculæ cum incenso et cochleari caute gestat, elevatis æqualiter manibus, superpelliceum super brachia prius reflectens, ne

(1) Martinucci lib. 2, cap. 4, n. 60.
(2) Rub. in ritu celeb. tit. 7, n. 4.

Digitized by Google

forte contingat illud cum thuribulo aut navicula implicari aut comburi (1). Dum vero thuribulum ad impositionem thuris ministraturus est, affert thuribulum sinistra et naviculam semiapertam dextra, cum apertura versus seipsum; navicula diacono tradita, coopertorium thuribuli sursum trahit, et dextra accipiens catenulas circa medium, sinistra pectori applicata, thuribulum elevat ad altitudinem naviculæ. Cavere debet, ne thuribulum claudat, antequam celebrans incensum benedixerit. Ture imposito et benedicto, thuribulum claudit, et sola dextra retinet, ac sinistra navicula recepta, thuribulum diacono sola dextra porrigit. Cum alicui traditurus est naviculam, regulariter eam tradit dextra, et recipit sinistra, nisi altera thuribulum non sustineat. Si adsit navicularius, et proinde ipse naviculam non teneat, thuribulum utraque manu ministrat. Advertendum ei est, ut dum dat thuribulum in manus diaconi, tradat catenularum summitatem in dextram, thuribulum vero seu catenulas inferiores in sinistram diaconi, ut deinde diaconus illud contrario modo in manus celebrantis commode porrigat. Si vero thuribulum immediate ministret sive celebranti sive alii, qui incensare debet, tunc ponit catenularum summitatem in sinistram, catenularum vere extremitatem prope vas, in dextram.

6. Incensando thuribulum manuducere et reducere debet, non autem laxatis catenulis in altum jactare : qualis modus differt ab usu liturgiæ totius ecclesiæ latinæ (2).

15. 1. Thuriferarius superpelliceo indutus, accessurus ad altare, in sacristia se constituit a latere ceroferarii, et si locus sit angustus, post celebrantem in medio ceroferariorum. Profundam cum celebrante et ministris facit reverentiam cruci vel imagini sacristiæ, et deinde salutat celebrantem, seu aliquam ei exhibet reverentiam, minorem tamen quam imagini. Tum ante omnes procedit ad altare, nudo capite et sine bireto, junctisque manibus, nisi thuribulum deferat, cum navicularío a sinistris, si adsit. Ad januam sacristiæ, nisi sit

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 11, n. 7.
(2) S. R. C. 4 Sept. 1875, n. 5374.

Digitized by Google

dominica, in qua aquæ fit aspersio, thuriferarius sumit aquam benedictam, et se signat; si vero thuribulum deferat, illud omittit. Si accedendo ad altare, genuflexio vel reverentia facienda sit, cum aliis in loco ubi fieri debet, subsistit in eadem linea, et a latere ceroferarii genuflectit vel se inclinat, prout fieri oportet. Cum ad altare pervenerit, et directe accesserit, se sistit in cornu epistolæ omnium extremus; si autem presbyterium sit angustum, tunc in accessu ad altare cum ceroferariis locum cedit celebranti ejusque ministris ad altare accedentibus, et se constituit in cornu epistolæ facie ad cornu evangelii conversa; celebrante vero et ministris in locis suis constitutis, mox se retrahit post ipsum celebrantem in medio ceroferariorum; item si ex parte epistolæ accedendum sit ad altare, thuriferarius se collocat ad cornu epistolæ in loco ab altari remoto, ut omnes ante eum transeant, et celebranti coram eo transeunti reverentiam exhibet. Cum celebrans et ministri altari reverentiam faciunt, ipse cum ceroferariis genuflectit; deinde cum iisdem accedit ad credentiam, ante quam infra confessionem genuflectit.

2. Cum celebrans, facta confessione, altare ascendit, surgit cum acolythis, et deferens thuribulum ac naviculam, accedit per gradus laterales epistolæ fere ad medium altaris, ubi facta genuflexione stans ministrat naviculam incensi et thuribulum sine osculis; ministrato thuribulo genuflectit, deponit naviculam, et deinde, nisi adsit sacerdos assistens aut cæremoniarius, missale ab altari amovet tempore, quo illud cornu, in quo missale ponitur, incensatur; si autem adsit sacerdos assistens aut cæremoniarius, qui missale amovet, tunc post ministrationem thuribuli se sistit in planum ad cornu epistolæ, ut ibi sit paratus ad thuribulum recipiendum. Finita incensatione altaris, dum diaconus incensat celebrantem, stat paulo post diaconum. Celebrante incensato, recipit thuribulum, et redit ad credentiam.

3. Post lectum evangelium a celebrante in fine cantus gradualis, iterum ascendit per gradus laterales epistolæ in suppedaneum fere ad medium altaris, genuflectit, et erectus ministrat naviculam et thuribulum; imposito autem et bene-

Digitized by Google

dicto incenso, genuflectit, et descendit per gradus laterales ad credentiam. Deinde diacono descendente ab altari ad evangelium cantandum, præcedit ceroferarios ad altare, ubi in plano post diaconum facta genuflexione in medio ceroferariorum, præcedit ceroferarios ad locum, ubi evangelium cantatur, ibique locum cedens ceroferariis, subdiacono et diacono transeuntibus, se sistit post diaconum, et se non signat; ipsemet thuribulum immediate diacono a dextris porrigit, summitatem catenularum in sinistram et extremitatem earum in dextram tradendo. Recepto thuribulo manet post diaconum a dextris ejus, facie ad librum conversa, thuribulum leviter agitans, ejusque elevans cooperculam, se inclinans et genuflectens cum aliis, si opus sit, facie ad altare versa. Finito evangelio præcedit ceroferarios ad altare; ibi facta genuflexione stat a dextris paulo post diaconum, eique thuribulum ministrat, se cum eodem ante et post incensationem celebranti inclinans; recepto thuribulo, genuflectit, et recedit ad credentiam. Si sedeat infra cantum symboli, tunc surgente diacono ad bursam afferendam, et simul surgente subdiacono, conformitatis ratione surgit etiam thuriferarius cum aliis acolythis.

4. Cum facta oblatione calicis, subdiaconus cum patena descendit, ipse per gradus laterales ad altare ascendit, ibique facta genuflexione naviculam et thuribulum ministrat, uti ad priorem altaris incensationem. Deinde deposita navicula, amovet missale, nisi adsit sacerdos assistens aut cæremoniarius; cornu evangelii incensato, et libro reposito, descendit in planum, genuflectit post tergum subdiaconi, et pergit ad cornu epistolæ; ubi se constituit paulo post diaconum, dum hic incensat celebrantem, vel etiam paulo post a sinistris diaconi, si cæremoniarius ibi non assistat, cum diacono se inclinans celebranti ante et post. Cum diaconus subdiaconum incensaverit, accipit a diacono thuribulum, se sistit e regione diaconi, et eumdem bis incensat, caput diacono inclinans ante et post incensationem. Si habeatur chorus, facta reverentia altari, diaconum a sinistris præcedendo comitatur cum navicula incensi, ad imponendum thus, si

Digitized by Google

opus sit, easdem cum diacono reverentias infra incensationem observans. Regressus ad altare, debita cum diacono reverentia facta, naviculam deponit, et accepto thuribulo, diaconum bis incensat, ut supra dictum est. Diacono incensato et facta altari genuflexione, incensat acolythos apud credentiam, omnes simul et sine mora, absque peculiari inclinatione, et ad summum cum generali parva reverentia in principio et in fine. Tum facta altari genuflexione, et choro si adsit reverentia, procedit ad aditum chori, ubi fere in medio, et si ss. Sacramentum expositum sit, in uno aut altero latere, incensat populum in medio, a dextris populi et deinde a sinistris, cum inclinatione ante et post. Completa incensatione, revertitur ad credentiam.

5. Paulo ante consecrationem imponit incensum in thuribulum absque benedictione, et deinde genuflexus utroque genu in plano ad cornu epistolæ, ter incensat s. Hostiam et deinde etiam Calicem, 1° dum celebrans genuflectit, 2° dum elevat s. Hostiam aut Calicem, et 3° dum deponit, ante et post utramque incensationem, caput inclinando. Thuriferarius ad hanc incensationem, in plano ante anteriores gradus altaris, scilicet prope subdiaconum versus cornu epistolæ genuflectit (1); plures autem censent, illi in plano ad gradus laterales in cornu epistolæ genuflectendum esse : cum autem rubricæ solummodo præscribant, ut sit *genuflexus in cornu epistolæ*, utroque modo illis satisfieri videtur. Postea recedit cum thuribulo in sacristiam, nisi alii acolythi intorticia teneant ad altare; in quo casu interea eorum locum supplet in ministrando, et finita missa ante ceroferarios redit ad sacristiam.

6. In missis defunctorum vel non accedit cum aliis ad altare, vel præcedit manibus junctis sine thuribulo, quod tantum affert ad offertorium, tuncque illud ministrat more solito; incensato celebrante, statim a diacono thuribulum recipit. Ante consecrationem ipsemet thus imponit, et ministrat thuribulum subdiacono; deinde genuflectit in plano, et

(1) Castald. l. 1, s. 4, c. 6, n. 14; Bauldry, p. 1, c. 15, art. 3, n. 12.

Digitized by Google

facta elevatione, recipit thuribulum, atque recedit, nisi facienda sit absolutio, aut ipse locum acolythorum supplere debeat.

16. Ceroferarii, quantum fieri potest, in statura æquales esse debent. Deferunt candelabra nudis manibus, ea æqualiter tenentes, et non ad unam aut alteram partem inclinantes. Qui a parte dextra incedit, ponit manum sinistram ad pedem candelabri, dextram vero ad medium candelabri globum; et qui incedit a parte sinistra, ponit dextram ad pedem, et sinistram ad eumdem globum (1). Bini incedunt, nisi locus sit angustus, et tunc junior præcedit. Dum reverentias faciunt, illas æqualiter et eodem tempore facere debent; ac eundo, stando et redeundo in omnibus actionibus inter seipsos et cum aliis ministris se conformare tenentur. Numquam caput cooperiunt. Dum diacono aut subdiacono aliquid porrigunt aut ministrant, id faciunt cum debitis reverentiis ante et post, numquam tamen cum osculis : soli enim celebranti debentur oscula (2). Eorum locus est apud credentiam, ibique stant et genuflectunt vel ad cornua anteriora vel a lateribus, manibus junctis vel saltem pectori decenter admotis, non autem brachiis cruciatis aut pendentibus. Ante altare genuflectunt in plano et non in gradu infimo. Genuflectunt et sese inclinant, sicut alii, etiamsi candelabra deferant; abstinent tamen a profunda inclinatione, et pro ea tantum mediocrem vel modicam faciunt, ne candelabra inclinent; nec etiam genuflectunt nec caput inclinant infra evangelium, nec quando crucem cum candelabris comitantur. Genuflectunt infra confessionem, elevationem et benedictionem in fine missæ, nec non quando chorus genuflectit infra orationes et a *Sanctus* usque ad *Pax Domini*, nisi interim quid agendum habeant. Alio tempore stant, et tantum sedere possunt, dum celebrans sedet. . .

1. Duo acolythi ceroferarii, superpelliceis induti, candelabra cum candelis ardentibus deferentes, omnibus paratis,

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 11, n. 8.
(2) Vinitor p. 4, tit. 23, annot. 5.

Digitized by Google

in sacristia se constituunt, primus a dextris diaconi et alter a sinistris subdiaconi, et si sacristia sit angusta, post diaconum et subdiaconum. Cum celebrante ejusque ministris debitam faciunt reverentiam cruci vel imagini sacristiæ, et deinde salutant celebrantem, seu aliquam ei exhibent reverentiam, minorem tamen quam imagini. Tum post thurifera-rium procedunt ad altare, candelabra deferentes, ut supra dictum est. Ad januam sacristiæ aquam benedictam non sumunt. Si accedendo ad altare, genuflexio vel reverentia facienda sit, cum aliis in loco ubi fieri debet, subsistunt, et se constituunt, vel unus post alterum, vel potius primus ad dextram diaconi et secundus ad sinistram subdiaconi; ita in linea recta consistentes, genuflectunt aut reverentiam faciunt prout fieri oportet. Cum ad altare pervenerint, si directe accesserint, primus se sistit ad cornu epistolæ a dextris diaconi, et secundus ad cornu evangelii a sinistris subdiaconi. Si autem presbyterium sit angustum, tunc in accessu ad altare locum cedunt celebranti et ministris ad altare accedentibus, et se constituunt, primus ad cornu epistolæ facie ad cornu evangelii conversa, et alter ad cornu evangelii facie ad cornu epistolæ conversa; celebrante vero et ministris in locis suis constitutis, faciem convertunt ad altare, et se retrahunt post diaconum et subdiaconum. Si ex parte epistolæ ad altare accedendum sit, secundus directe pergit ad locum suum, primus autem se collocat ad cornu epistolæ in loco ab altari remoto a sinistris thuriferarii et a dextris diaconi, celebranti transeunti reverentiam exhibet, et tum diacono ad altare accedente, se sistit ut alias in loco suo; contra si ex parte evangelii accedendum sit, primus directe progreditur ad cornu epistolæ, secundus vero se constituit ad cornu evangelii in loco ab altari remoto, donec omnes transierint, celebranti transeunti reverentiam facit, deinde cum subdiacono, a cujus sinistris subsistebat, prope ad gradus altaris accedit. Omnibus in locis suis constitutis, cum celebrans ejusque ministri altari reverentiam faciunt, ipsi flectunt uno genu, et deinde ceroferarius, qui est ad cornu evangelii, recedit sine nova genuflexione in medio altaris facienda, et

Digitized by Google

dum est e regione alterius ad cornu epistolæ stantis, ambo simul accedunt ad credentiam, et candelabra super eam collocant in cornibus posterioribus potius quam in anterioribus. Depositis candelabris, genuflectunt infra confessionem manibus junctis, et facie ad altare conversa, primus a dextris seu a parte propiori altari, et alter a sinistris. Initio se signant cum celebrante, eique respondent (1) sicut alii ministri, sed aliquantulum remissius; se inclinant et pectus percutiunt; submissa quoque voce dicere possunt *Kyrie*, *Gloria*, symbolum, *Sanctus* et *Agnus Dei*.

2. Dum celebrans facta confessione ascendit ad altare, surgunt, et remanent stantes apud credentiam. Interim si opus fuerit, bireta celebrantis et ministrorum super scamnum deponere possunt. Ad *Gloria* et *Credo*, si celebrans et ministri sedeant, ministrant bireta, et finita sessione resumunt; elevant etiam casulam et dalmaticas. Interea dum celebrans sedet, vel stant apud credentiam, vel possunt sedere super aliquod scamnum prope credentiam. Ad orationes stant vel genuflectunt, prout in choro fieri debet juxta rubricas generales tit. XVII, n. 5. Deficiente cæremoniario, adjuvant diaconum et subdiaconum in deponenda planeta plicata eaque resumenda : item circa finem orationum unus acolythorum tradit librum epistolarum subdiacono, versa facie ad se invicem et cum parva mutua inclinatione, eumque post cantatam epistolam similiter recipit, cum subdiaconus benedictionem a celebrante perceperit, nisi diacono immediate tradatur. Acolythus librum vel in manibus retinet, vel deponit super credentiam. Dum subdiaconus librum transfert, eodem modo tradit librum evangeliorum diacono stanti ad cornu epistolæ.

3. Circa finem gradualis, dum diaconus, accepta benedictione, descendit ad evangelium cantandum, ambo accedunt cum candelabris ad infimum gradum altaris, illo qui est a sinistris celerius, et altero qui est a dextris tardius ince-

(1) Bauldry p. 1, c. 14, art. 3, n. 3, 5 et 7; De Conny liv. 2, ch. 2, art. 2; Martinucci lib. 2, cap. 4, n. 28.

Digitized by Google

dente, ut simul ad locum suum perveniant; ibi facta genuflexione, procedunt bini post thuriferarium et ante diaconum et subdiaconum ad locum, ubi evangelium cantari solet, cum diacono et subdiacono chorum si adsit, salutantes; et se sistunt ad latera subdiaconi tenentis librum, facie ad diaconum conversa, et stantes immobiles sine signatione et sine ulla inclinatione aut genuflexione facienda. Cantato evangelio, et subdiacono cum libro pergente ad celebrantem, ipsi quoque accedunt ad altare post thuriferarium et ante diaconum; ibidem facta genuflexione et non exspectata celebrantis incensatione, redeunt ad credentiam, et candelabra deponunt. Quibus depositis alteruter recipit librum evangeliorum a subdiacono, eumque ponit super credentiam. In missis defunctorum non tenentur luminaria ad evangelium; sed duo acolythi sine candelabris junctis manibus stant, unus a dextris et alter a sinistris subdiaconi tenentis librum evangeliorum.

4. Ad *Credo* se gerunt ut ad *Gloria*. Si sedeant, surgente diacono ad bursam deferendam, etiam surgunt, et alteruter bursam sumptam de credentia, ministrat diacono. Dum subdiaconus ad credentiam accedit, ad calicem deferendum ad altare, illum induunt velo, eoque calicem cooperiunt, nisi cæremoniarius hæc faciat. Subdiacono ad altare redeunte, unus acolythus eum comitatur a tergo; portans ampullas vini et aquæ, easque cum partibus ansæ oppositis ministrat subdiacono, et deinde defert ad credentiam. Incensatione altaris peracta post offertorium, duo acolythi stantes ministrant celebranti, unus a dextris incedens aquam ad lotionem et alter manutergium cum debitis reverentiis et quasi osculis ampullæ et manutergii ante et post ministrationem. Incensantur post diaconum a thuriferario.

5. « Ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in Missis pro defunctis, tenentur accensa usque ad communionem » (1),

(1) Rub. ritu celeb. m. tit. VIII, n. 8.

Digitized by Google

licet nullus adsit communicandus, exceptis tamen missis solemnibus in vigiliis nativitatis Domini, paschatis et pentecostes, in cœna Domini et in quatuor temporibus pentecostes, quia hæ missæ sunt festivæ. Intorticia seu fanalia accendunt in sacristia vel alio loco opportuno. Accedentes ad altare, bini incedunt; qui a dextris sunt, illa deferunt dextra, et qui a sinistris, sinistra, altera super pectus posita. Chorum ingressi, si clerici adsint, eos salutant. Omnes consistentes ante altare in linea post subdiaconum, genuflectunt unico genu; mox surgentes, sibi invicem aliquam reverentiam faciunt, et deinde genuflectunt utroque genu hinc inde in plano a lateribus subdiaconi tenentis patenam, totidem ab utraque parte, vel si magis commodum sit, se collocant ad latera altaris, facie ad se invicem versa. Post elevationem surgunt, et convenientes ad medium ante altare in linea recta, genuflectunt, et nullam aliam facientes reverentiam, eo modo quo venerunt, discedunt ad locum, ubi intorticia acceperunt, ibique eadem extinguunt. Discedentes post communionem, chorum salutant.

6. Acolythi pulsant campanulam, dum fieri debet aut solet. Subdiacono reddente patenam diacono, alteruter in defectu cæremoniarii accipit in cornu epistolæ velum a subdiacono, illud plicat, et super credentiam deponit.

7. Subdiaconum, cum pacem a diacono acceperit, unus acolythus post genuflexionem altari factam, a sinistris præcedendo comitatur ad chorum; et reversus cum subdiacono, ac facta altari genuflexione, cum debitis reverentiis ab eodem accipit pacem, quam deinde dat aliis ministris circa altare, in supposito, quod sint acolythi vel saltem clerici. Item si non detur chorus, nihilominus primus ex iis accedit ad altare, et a subdiacono, cum hic pacem acceperit, eamdem accipit, eamdem reliquis distribuit.

Ad *Agnus Dei*, ad *Domine, non sum dignus*, et sumptionem stant inclinati versus altare; et ad *Agnus Dei* etiam pectus percutiunt nisi intorticia deferant. Ad *Domine, non sum dignus* pectus non percutiunt.

Si communio ad altare distribuatur, extendunt mappam,

Digitized by Google

quam hinc inde genuflexi quasi jacentem ambabus manibus sustinent per quatuor angulos.

8. Ad ablutiones unus acolythus (1) ministrat subdiacono ampullas vini et aquæ, quas deinde defert ad credentiam; et interim alter defert velum calicis ad cornu evangelii, incedens per planum et gradus laterales altaris. Ad orationem post communionem stant vel genuflectunt prout chorus. Ad benedictionem in fine missæ genuflectunt in loco suo, et se signant.

9. Finito ultimo evangelio, cum candelabris accedunt ad gradus altaris, unus ad cornu epistolæ et alter ad cornu evangelii; facta genuflexione et deinde salutatione chori, si ante eum transeant, eodem modo et ordine, quo ad altare accesserunt, redeunt ad sacristiam; ibique factis reverentiis et depositis candelabris, celebrantem et ministros adjuvant in deponendis paramentis.

DE SS. SACRAMENTI EXPOSITIONE.

DE RARA VEL FREQUENTI EXPOSITIONE.

17. Sacrosanctam Eucharistiam fidelium adorationi exponi posse definivit s. Concilium Trid. (2). *Si quis dixerit...* (s. Eucharistiæ Sacramentum) *non publice, ut adoretur, populo proponendum... anathema sit. Neque enim*, ut ait idem Concilium (3), *ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo, Domino, ut sumatur, institutum : nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei.*

(1) Vinitor. p. 4, tit. 21. n. 21.
(2) Sess. XIII, can. VI de Euch.
(3) Ibidem cap. V.

Digitized by Google

18. Num autem expediat s. Eucharistiam frequenter vel raro exponere, auctores non conveniunt : aliud enim est recte, et aliud frequenter exponere, cum in frequenti expositione quædam occurrere possint, quæ in rara expositione non occurrunt : nimia enim frequentia minuit reverentiam (1), et ut dicit Alphonsus de Berghes Archiep. Mechl. (2) : Per abusum frequentissimæ expositionis reverentia Deo debita omnino flaccescit. Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento (3) ille honor non exhibetur, qui illi debetur, eo quod nimis frequenter exponatur. Experientia quotidiana constat omnia etiam sacratiora usu vilescere, et ex familiaritate contemptum nasci; contra vero quæ rara sunt, pretiosa reputari. Unde Concilium Trid. (4) dicit quod « multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quæ a tanti sacrificii (seu Sacramenti) dignitate aliena sunt ».

Plures irreverentias enumerat Alphonsus de Berghes (5) : quod nulla facta genuflexione coram summa Dei majestate publice exposita, erecti subsistant; oculis æque ac mente divagentur; capillos pectant; tabacum sumant; fabulis vacent; propius accedentibus assurgant et salutent; nutu ac gestibus confabulentur, jocentur, rideant; de rebus profanis utinam non etiam de scurrilibus, sermones continuent, ac etiam terga contra mysteria obvertant; quod etiam feminæ fastu distinctæ, repletæ vanitate, peregrino vestitu ridiculæ, et ad proritandam libidinem ornatæ accedant; quod sæpius deprehensum fuerit in diversis ecclesiis, quod venerabile Sacramentum expositum, multo tempore steterit solum. His plura, quæ nostro hoc tempore fieri videntur, addi possunt : ut quod multiplicatis expositionibus, in ecclesiis omnia peragantur, ac si venerabile non esset expositum; locus verritur,

(1) III Conc. Prov. Mechl. tit. VII, cap. 8.
(2) In dec. 29 Aug. 1674. Syn. Belg. tom. II, p. 369.
(3) Episc. Meld. Seguier in suis Synodalibus ordinationibus.
(4) Sess. XXII, in dec. de observ. etc.
(5) In Epist. Pastorali 1 Feb. 1675. Syn. Belg. tom. II, p. 367.

Digitized by Google

sedes disponuntur, altaria ornantur, quinimo fabri et operarii in conspectu ss. Sacramenti operari permittuntur : populus expositioni ita factus est assuetus, ut ecclesiam intrans ad ss. Sacramentum nullatenus, vel vix quidem attendat, et illud absque ullo reverentiæ signo transeat.

Satagamus itaque diligenter, inquit Alphonsus de Berghes (1), ut illud ineffabile mysterium, sicut res usu tritæ et undecumque parabiles, non deveniat in contemptum. Verum est, dici posse : tollantur irreverentiæ et maneat expositio, quæ res de se bona dicenda est; sed dici etiam potest, nimis frequentem expositionem esse causam irreverentiarum, et has tolli non posse, nisi tollatur abusus nimis frequentis expositionis. Sic s. Basilius (2) scribit : « Unum ex omnibus (sacerdotibus) selectum in abdita recepit; ac ne id quidem semper, sed uno tantum die quotannis; rursus et hujus diei certam horam, qua fas esset ingredi, præstitit, quo, propter novitatem et insuetudinem, cum stupore intueretur Sancta Sanctorum : probe sciens pro sua sapientia res usu tritas et undecumque parabiles expositas esse contemptui; cæterum ei, quod sepositum est, quodque rarum est, huic natura conjunctam esse summam admirationem et studium. » Unde Ant. Albergati, Nuntius Apostolicus in diœcesi Leodiensi nomine Pontificis agens, in actis visitationis 1613 scripsit : « Multo melius est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiæ significatione id fiat, ut cum nostra animi commotione multis in locis exponi vidimus et invenimus. »

Contra Christianus Lupus (3) censet frequentem expositionem, dum recte fit, et suis stipata est conditionibus, expedire et esse suadendam; consuetudinem frequentis expositionis esse rationabilem, laudabilem, piam et varie fructuosam; inde populum abstrahi a vanis et ludicris, numerose ad ecclesias deduci, atque ad devotionem excitari.

(1) Loco cit. p. 366.
(2) Lib. de Spiritu S. c. 27.
(3) In dissertatione de ss. Sac. expositione c. X et XII.

Digitized by Google

19. Ob has auctorum diversas opiniones scribit Benedictus XIV (1) : « Nos sane hoc negotio implicari nolumus, quo pars utraque nihil aliud contendit, nisi ut cultus divinæ Eucharistiæ debitus augeatur, » Et P. Theophilus Raynaudus, citatus ibidem a Benedicto XIV, sic habet : « Hæreo, sitne inter indecoros Christi in Eucharistia honores, frequens admodum divinæ Eucharistiæ expositio, cujus usus in his oris tantopere invalescit, ut prope quotidianus evadat, etc. Ego in hac parte nihil definio, et probatas consuetudines non sollicito, etc. Timendum est, ne majestas mysterii fidei tam crebra, vel etiam assidua ejus vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium mentes, quam si infrequentius, et, quod fere consequens est, majore cum apparatu et accuratione proponeretur. Viderint ii, ad quos attinet, quid magis in hac re sit e Dei gloria et bono animarum ; nam meum hic judicium interponere consultum non foret. » Sanctus tamen Alphonsus de Lig. (2) dicit : « Ubi viget devotio, et cultus augetur, debita semper obtenta Ordinarii licentia, nescio, præsertim juxta præsentem nostrarum regionum frequentem usum, cur potius non sit laudanda quam improbanda hujusmodi ss. Sacramenti expositio, modo (exciperem) non sit nimis frequens : nimia enim frequentia esset quidem causa, ut reverentia erga tantum sacramentum minuetur » (3).

20. Pro conclusione dicitur : 1° cum s. Alph. de Lig. (4), « spectandum esse, an in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus Sacramenti magis augeatur vel minuatur, et juxta hanc regulam expositionem esse faciendam vel omittendam. »

2° Expositionem, quæ non fit cum debita reverentia, decenti apparatu, et adorantium continua frequentia, esse omittendam. Nullum enim peccatum est, ss. Sacramentum

(1) Inst. 30.

(2) Theol. mor. lib. 6, n. 424.

(3) Præter loca cit. vid. Constit. Bened. XIV, 16 Ap. 1746. *Accepimus ; Traité de l'exposition du s. Sacr.* par J. B. Thiers ; Gardellini in Instr. Clem. § 36, n. 4 et seq.

(4) Lib. 6, n. 424.

Digitized by Google

non exponere, ubi non debet; peccatum autem est, illud exponere cum irreverentia; et hæc *irreverentia*, ut ait s. Concilium Trid. (1) *ab impietate vix sejuncta esse potest.*

3° SS. Sacramentum numquam esse exponendum sine justa causa et absque licentia ordinarii, ut num. seq. dicetur.

DE REQUISITIS AD EXPOSITIONEM SS. SACRAMENTI FACIENDAM.

21. Duplex est expositio ss. Sacramenti : publica et privata. In publica expositione ss. Sacramentum exponitur in ostensorio detecto, qualis expositio, etiamsi minus sit solemnis, semper publica dicitur (2). Pro publica expositione pyxis exponenda non est, nam. uti S. R. Congregatio declaravit (3), *non est locus*, sacram pyxidem, etiam in expositionibus minus solemnibus, collocandi in throno, et deinde cum ea benedicendi populum, obstantibus Ecclesiæ prohibitionibus toties renovatis. Pro privata expositione solum tabernaculum aperitur, et sacra pyxis clausa suoque velamine obtecta, populi oculis subjicitur, ita ut ex tabernaculo numquam extrahatur, neque populus cum ea benedicatur (4). Huic Benedictus XIV (5) adnumerat expositionem cum ostensorio, quod sub umbella statuitur, velo tamen ita adoperitur, ut s. Hostiæ aspectus impediatur (6).

22. Ad expositionem publicam, publica etiam et gravis causa requiritur, quæ probata sit ab ordinario (7).

(1) Sess. XXII, in dec. de obs. etc.

(2) Gardellini Instr. Clem. § 36, n. 2.

(3) 23 Maji 1835, n. 2725, 4.

(4) S. R. C. ib.; 16 Martii 1876, n. 3394, 1; Gardellini in dec. 2577, 2 in vol. IV Decr. p. 159.

(5) Inst. 30.

(6) Vid. Gardellini in Instr. Clem. §§17, n. 33, et § 36, n. 2 et 9 et seq.; Cavalieri tom. 4. dec. 115.

(7) Cong. Ep. 1 Sept. 1598, et 10 Dec. 1602, apud Cavalieri tom. 4, dec. 109 et 115; S. C. Conc. 17 Aug. 1630, apud Gardellini in instr. Clem. § 36, n. 11; S. R. C. 31 Maji 1642, n. 800; et ita communiter auctores, signanter Ben. XIV, instit. 30, et Constit. 16 Ap. 1746, *Accepimus*.

Digitized by Google

Requiritur ergo : 1° causa publica et gravis, circa quam Benedictus XIV in cit. Constit. statuit « solius episcopi partes esse, ut causæ publicæ meritum expendat, ac declaret. » Legitima causa censetur : 1° festum et octava Corporis Christi juxta communem praxim Ecclesiæ (1). 2° Aliæ publicæ et graves causæ occurrentes, seu ut dicitur in III Concilio Prov. Mech. (2) « arduæ causæ pacis et publicæ necessitatis aut utilitatis » pro quibus necessitatibus extraordinariis Ecclesia ss. Sacramentum reservare consuevit pro ultimo refugio, ut sicut Moyses ad tabernaculum et arcam, sic fideles ad ss. Sacramentum confugiant, et coram præsente Domino magis excitentur, animentur majoremque fiduciam concipiant. Hæ duæ causæ præcedentes communiter admittuntur, quibus tamen addi posse videntur duæ sequentes. 3° Solemnitas festi : sic in decreto Innocentii XI (3) permittitur expositio ss. Sacramenti in ostensorio regularibus exemptis archidiœcesis Mechliniensis in horis vespertinis omnibus dominicis et plerisque festis 1 et 2 cl.; item tempore missæ solemnis, in iis tamen locis tantum, ubi est consuetum, in festis nativitatis Domini, paschatis, pentecostes, ss. Trinitatis, corporis Christi, assumptionis B. M. V. et omnium sanctorum (4). Sic in his locis communis etiam est consuetudo ss. Sacramentum exponendi in laudibus vespertinis (non ita tempore missæ solemnis) omnibus diebus dominicis et festivis, ne populus integros dies festivos in rebus profanis transigat, ut a malis consortiis et tabernarum accessu avertatur, et ad pietatem excitetur. 4° Consuetudo, qua in pluribus ecclesiis ss. Sacramentum in laudibus vespertinis publice exponi solet singulis feriis quintis aut aliis ; in qua tamen publica etiam latet causa, quatenus exposito ss. Sacramento populus frequentior ad ecclesias accurrit, excitatur ad virtutum actus, a rebus profanis avertitur, et ad devotionem erga ss. Sacramentum accenditur (5).

(1) Thiers, *Traité de l'exposition du s. Sacr.* liv. 3, ch. 1.
(2) Tit. 7, c. 8.
(3) 20 Maji 1682, ad. Archiep. Mechl.
(4) Vid. Syn. Belg. tom. II, p. 381.
(5) Cavalieri tom. 4, dec. 115, n. 1.

Digitized by Google

Sic Benedictus XIV (1) summopere commendat ac probat, quod in civitate Bononiensi, de qua agit, singulis diebus Eucharistia in aliquo templo publice colenda exhibeatur.

Ratio indulgentiæ lucrandæ ab aliquibus habetur tanquam causa exponendi ss. Sacramentum : sed cum expositio non exigatur ad lucrandas indulgentias visitantibus ecclesiam concessas, nisi injungatur in concessione indulgentiæ, ut in precibus XL horarum, expositio ratione indulgentiæ fieri non potest sine speciali Episcopi licentia : neque enim Pontifex, qui indulgentiam concedit, neque Episcopus, qui eam publicare permittit, præscribunt, aut consentire censentur, ut ss. Sacramentum publice exponatur (2).

23. 2° Ad publicam expositionem præter justam causam insuper requiritur licentia ordinarii. Sic Benedictus XIV (3) dicit : « Certissimum est huic Sedi Apostolicæ, in quibus cumque ecclesiis etiam privilegio immunibus sive sæcularibus sive regularibus, non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint » (4). Ita ut ss. Sacramentum sine facultate ordinarii publice exponere non liceat : 1° regularibus non obstante privilegio exemptionis (5), neque ob causam publicam (6), neque quovis prætextu (7), neque etiam obstante contraria consuetudine (8); 2° neque etiam confraternitatibus quovis prætextu (9), nec quidem vigore cujuscumque aggregationis (10); 3° neque parochis causa orationis XL horarum (11);

(1) Instit. 30.

(2) Bened. XIV, in cit. Constit. *Accepimus;* Thiers liv. 3, ch. 16; Lucius Ferraris Eucharistia art. 1, n. 78.

(3) In Constit. *Accepimus,* 16 Ap. 1746.

(4) Ita plurima S. R. C. decreta, ut quoad regulares 28 Ap. 1640. n. 703, et dec. gen. 3 Ap. 1821; n. 2613, 4; 14 Mart. 1861, n. 3104, 14.

(5) S. R. C. 8 Junii 1669, n. 1388.

(6) S. R. C. 7 Junii 1681, n. 1673.

(7) S. R. C. 3 Ap. 1632, n. 588.

(8) S. R. C. 12 Junii 1638, n. 641; 3 Jan. 1657; n. 1018, 16 Jul. 1672, n. 1450; 12 Aug. 1673, n. 1487, 5.

(9) S. R. C. 3 Ap. 1632, n. 588.

(10) S. R. C. 13 Sept. 1642, n. 812.

(11) S. R. C. 4 Junii 1644, n. 869.

Digitized by Google

4° neque etiam verisimiliter infra octavam ss. Corporis Christi (1). Excipitur tamen casus, quo regularibus aliisque a Sede Apostolica speciale et expressum concessum fuerit privilegium, ss. Sacramentum publice exponendi absque licentia ordinarii (2). Ita in decreto Innocentii XI (3) plures publicæ expositiones regularibus archidiœcesis Mechliniensis permittuntur absque alia Archiepiscopi Mechl. licentia.

Not. pro publica expositione non requiri licentiam parochi, intra cujus parochiæ limites sita est ecclesia, in qua fit expositio (4); et ordinarium concedendo licentiam, ad libitum apponere non posse conditionem requirendi consensum parochi (5).

24. Ad privatam expositionem neque publica causa, neque facultas Episcopi requiritur, sed causa privata, ut alicujus infirmitas, aut alia privata familiæ necessitas, desiderium alicujus viri religiosi, etc. et consensus præfecti ecclesiæ sufficiunt (6).

Reliqua requisita dicentur num. seq.

DE SERVANDIS CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.

25. I. Expositio semper fieri debet cum ea decentia eoque apparatu, quem tanti mysterii dignitas requirit; altare juxta rubricas exacte est instruendum, omnes genuflexiones et

(1) Quia licet id regularibus concedatur 20 Ap. 1641, n. 753, prohibetur tamen 7 Aug. 1655, n. 988, 1, et per Cong. Conc. 4 Feb. 1719, apud Cavalieri tom. 4, dec. 120, Vid. Cong. Archip. Archid. Mechl. 1836 et 1845, n. VI; Thiers liv. 3, ch. 8.

(2) S. R. C. 24 Nov. 1691, n. 1860.

(3) 20 Maji 1682, Synodicon Belg. t. 2, p. 380.

(4) S. R. C. 9 Junii 1657, n. 1026; 7 Sept. 1658, n. 1090; 4 Sept. 1751, n. 2416.

(5) S. R. C. 4 Sept. 1751, n. 2416.

(6) S. R. C. 31 Maji 1642, n. 800; 10 Jul. 1687, n. 1796; Bened. XIV, inst. 30; Gardellini in instr. Clem. § 36, n. 2, 9 et 11.

Digitized by Google

reverentiæ ad unguem faciendæ, et omnia religiose observanda sunt, quæ per rubricas præscribuntur (1). Hæc quidem semper, specialiter tamen servanda sunt, dum ss. Sacramentum exponitur, ob reverentiam ei debitam.

Extra preces XL horarum et adorationem perpetuam, ss. Sacramentum non est exponendum ante auroram etiam in nativitate Domini, neque tempore nocturno reponendum (2).

Sepositis tamen abusibus est in facultate ordinarii, licentiam exponendi ss. Sacramentum concedere, etsi sacra cæremonia post solis occasum incipiat, ac de nocte finem habeat (3).

Tempore expositionis cavendum est non tantum ab omnibus quæ irreverentiam sed etiam quæ distractionem causare possunt, uti sunt pecuniæ collectiones, nisi istæ fiant juxta ecclesiæ januam et absque rumore (4).

Exposito ss. Sacramento, nulli sæculari ad altare accedere licet, sed luminum cura aliave ministeria per sacerdotem vel saltem per clericum cotta indutum peragenda sunt (5).

II. Super altare, in quo ss. Sacramentum est expositum non sunt collocandæ reliquiæ, nec sanctorum imagines, nec etiam imago divini infantis (6), et multo minus figuræ animarum in purgatorio existentium, licet etiam officium in earumdem suffragium fiat (7). Excipiuntur angelorum imagines, repræsentantes figuram adorantium, ceroferariorum, thuriferariorum, aut cum symbolis ss. Sacramenti, quæ in altari, exposito ss. Sacramento, optime collocari possunt.

Si imago exposita sit in altari, in quo fit expositio, eadem

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 9; Cong. Archip. Diœc. Mech. 1836 et 1845, VI.

(2) S. R. C. 2 Aug. 1692, n. 1879; 17 Sept. 1785, n. 2528, 4; 27 Sept. 1864, n. 3124, 6.

(3) S. R. C. 17 Dec. 1875, n. 3384.

(4) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 10.

(5) Instr. Clem. § 7.

(6) S. R. C. 7 Feb. 1874, n. 3320.

(7) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, 1; 19 Maji 1838, n. 2779; Instr. Clem. § 4; Bened. XIV Instit. 30; Gardellini in instr. Clem. § 4, n. 1-6.

Digitized by Google

tempore expositionis tegenda est, pro prudentia et arbitrio Ordinarii (1).

Nec ante altare expositionis ponendæ sunt statuæ aut imagines, quæ, præcipue si prope vel directe ante altare statuantur, conspectum ss. Sacramenti magis impediunt, attentionem ad se attrahunt, et a ss. Sacramento abducunt. Hoc omnino cavendum est in precibus XL horarum juxta decretum S. R. C. (2), sicut etiam in adoratione perpetua, eo quod ss. Sacramenti cultus harum orationum præcipuus et unicus sit finis, et omnia igitur ita disponenda sint, ut populus totus sit in adoranda Eucharistia intentus. Idem pariter regulariter servandum est in aliis expositionibus publicis, ita videlicet, ut non confundantur diversæ cultus species, latriæ scilicet absolutæ quæ soli Deo debetur, et respectivæ quæ ejus imaginibus præstatur, hyperduliæ qua B. V. Maria honoratur, et duliæ quæ cæteris sanctis exhibetur. Illas distinctiones omnino tenendas servandasque esse ipsa docet religio, quia nullo pacto licet diversas cultus species simul confundere, et uni dare, quod alteri soli convenit et debetur. Sic v. g. si in eodem altari aliqua statua vel imago loco principali et majori ornatu veneranda proponatur; si prope et ante idem altare statua vel imago tanto cum ornatu et luminum copia collocetur, ut principale cultus et venerationis objectum censeatur; si per positionem statuæ aut imaginis ante altare, aspectus ss. Sacramenti impediatur; in his et similibus casibus cultus confunditur; principalis et major veneratio statuis exhibetur, et ss. Sacramentum quasi objectum secundarium habetur, uti a spectatoribus, et præcipue a protestantibus, si forte intervenerint, non tantum reputabitur, sed et judicabitur. Id numquam licet ob hanc simplicem, sed et fundamentalem rationem, quia cultus est dogmatum repræsentatio; ut autem talis sit, dogmatibus omnino convenire debet, et diversæ cultus species confundi non possunt. Dum vero cessat confusio cultus, uti si ss. Sa-

(1) S. R. C. 11 Mart. 1871, n. 3241, IV; 4 Junii 1874, n. 3332, 1.
(2) 27 Sept. 1828, n. 2664.

Digitized by Google

cramento locus et ornatus principalis tribuatur, aut si statua vel imago ad partem vel remote ab altari collocetur : modo tunc adsit consuetudo, vel sufficiens ratio habeatur, exposito ss. Sacramento, statuas vel imagines exponere licet, sicut S. R. Congregatio in decreto citato 27 Sept. 1828 respondit : *In casu, de quo agitur, servandam esse consuetudinem* detegendi seu exponendi imaginem, *excepto tempore expositionis quadraginta horarum.*

Item extra missam tabellæ ab altari expositionis omnino amovendæ sunt (1).

III. In altari, in quo ss. Sacramentum est expositum, non licet cantare nec celebrare missam, nisi pro eo reponendo, aut nisi desint alia altaria, in quibus celebrari possit, et celebrandi occurrat necessitas, vel saltem causa rationabilis, ut præceptum audiendi sacrum, ne ss. Sacramentum sine adoratoribus relinquatur, longæva consuetudo difficillime sine offensione abrumpenda, modo s. Eucharistia in missa non distribuatur : hoc enim non licet (2). Ratio est, ut populus adorationi unice sit intentus, et ab ea non distrahatur.

« Et ideo (ut addi meretur ex cæremoniali Ep.) (3), non incongruum sed maxime decens esset, ut in altari, ubi ss. Sacramentum situm est (seu clausum in tabernaculo custoditur), missæ non celebraretur, quod antiquitus observatum fuisse videmus. »

Hinc etiam fit, ut licentia expositionis tempore missæ solemnis rarius concedatur, quam aliis horis, uti videri potest in decreto Innocentii XI (4). Cujus ratio dari potest, quia opus non est ss. Sacramentum infra missam adorandum proponere, cum in hunc finem ad consecrationem populo ostendatur, et in altari ab illo adorari debeat. Ad rem plurimum

(1) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3130, 3.

(2) S. R. C. 9 Aug. 1670, n. 1406; 13 Junii 1671, n. 1421, 5; 11 Mart. 1837. n. 2765; 9 Maji 1857, n. 3049, IV; 27 Sept. 1864, n. 3124; Gardellini in instr. Clem. § 12, n. 1-7.

(3) Lib. I, c. 12, n. 9. Vid. Gardellini in inst. Clem. § 14, et Gavantus p. 1, tit. XX, u.

(4) 20 Maji 1682. Syn. Belg, tom. II, p. 380.

Digitized by Google

facit decretum. SS. Domini Leonis XIII concedens ut die 31 mensis Decembris tum anni 1899, tum anni 1900 media nocte in templis ac sacellis ubi SS. Eucharistia rite asservabatur, exponi possit idem augustissimum Sacramentum, facta potestate legendi vel canendi eadem hora coram Illo unicam missam (1).

IV. Decet, ut ss. Sacramentum in altari majori exponatur: dignitas enim ss. Sacramenti exigit, ut loco principali, ad quem omnium oculi primum diriguntur, exponatur; nisi ex causa rationabili in aliquo laterali altari sit exponendum, modo absit quodlibet irreverentiæ periculum, uti haberi potest ad altare prope januam ecclesiæ (2).

V. « SS. Sacramentum (3) non potest eodem die publice exponi in pluribus altaribus ejusdem ecclesiæ; nec postquam in uno altari expositum fuerit, ad aliud altare, ut ibi pariter exponatur, transportari. Quod si sacra communio eodem tempore, quo ss. Sacramentum expositum est, administranda fuerit, id fiat in altari diverso, sumendo ss. Sacramentum ex ciborio, et finita communione reponatur in tabernaculo, aut ita velo tegatur, ut conspici non possit. » Ratio est ne mens in diversa distrahatur; et si frequens expositio non probetur, quanto minus duplex in eadem ecclesia et eodem tempore.

VI. Si ss. Sacramentum extra tabernâculum solitum exponatur, semper equidem collocandum est in tabernaculo portatili aut in throno cum baldachino proportionato coloris albi, ita ut ostensorium decenter cooperiatur, quin tamen aspectus ejus impediatur. Probari non potest usus quarumdam ecclesiarum, quæ solent affigere pannum rubri coloris in cavo ipsius throni, ut ostensorii splendor amplius emineat. Ipsum ostensorium etiam semper deponendum est super corporale, vel saltem super pallam (4).

VII. Non decet longiorem concionem habere coram expo-

(1) S. R. C. 13 Nov. 1899, n. 4046.
(2) Gardellini in instr. Clem. § 3, n. 2; S. R. C. 21 Ap. 1873, n. 3293.
(3) Inn. XI, in dec. sæpius citato.
(4) Instr. Clem. § 5; Gardellini ibidem; Martinucci lib. 3, cap. 8, n. 5.

Digitized by Google

sito ss. Sacramento; et si fiat, semper detecto capite fieri debet, etiamsi pyxis velo serico sit obducta, nisi velum ex crassiori materia ante thronum apponatur, ita ut nec ostensorium adstantibus pateat. Velo tamen etiam apposito, cavendum est, ne terga directe vertantur ss. Sacramento, et, si non undique sed tantum a parte concionatoris abscondatur, ne sine adoratoribus relinquatur (1).

VIII. Exposito ss. Sacramento « conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti... omnes præsentes... starent semper, capite detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ detecto capite, existente ss. Sacramento super altari, divinis officiis assistere » (2). Si autem ss. Sacramentum velo coopertum sit, « poterit clerus sedere tecto etiam capite cum bireto, sed laudandus esset, si sederet detecto capite » (3).

IX. Quando ss. Sacramentum est expositum, omnes cujuscumque conditionis et ordinis, ante illud transeuntes, ad illud accedentes, aut ab eodem recedentes, utroque genu flectere debent, etiamsi tantum in pyxide fuerit expositum (4).

X. Maxime curandum est, non tantum ne ss. Sacramentum expositum solum relinquatur, sed ut cum debita adorantium frequentia honoretur. Maxime etiam decet, ut ex clericis, qui aliis exemplo esse debent, unus vel duo sacerdotes, vel saltem clerici superpelliceo induti, ss. Sacramentum continuo adorent (5) genuflexi ante aliquod scamnum panno decente coopertum, numquam vero super genuflexoria

(1) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, II; Vid. Gardellini in instr. Clem. § 32, n. 7 et seq.; Cavalieri tom. 4, dec. 136; Bauldry p. 1, c. 10, n. 14; *Revue des sciences ecclesiast.*, tom. 28, fol. 253.

(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 33.

(3) S. R. C. 10 Sept. 1796, n. 2532, 1; Gardellini in instr. Clem. § 25, 4-7.

(4) S. R. C. 19 Aug. 1651, n. 937, 6; 7 Maji 1746, 2390, 4.

(5) S. R. C. 10 Sept. 1701, n. 2079, 18; Vid. Gardellini in instr. Clem. § 9, n. 1-11; Thiers liv. 3, ch. 5, n. 3; Cong. archip. archid. Mechl. 1845, n. VI.

Digitized by Google

parata (1). « Parochi vero (2), cum ss. Eucharistia in suis templis exponenda erit, sacerdotes aliosque sacris ordinibus initiatos, qui parochiæ adsciti sunt de hac re admonebunt, quorum nomina in tabella ad sacrarium affigenda, tempusque horarum designabit, ut eo modo ad precationem præsto sint. Quod si tanta illorum copia, quæ sufficiat, in ipsa parochia non versetur, tum parochus ad alios confugiet, qui huic muneri satisfaciant ». Sacerdotes in ss. Sacramenti adoratione stolam assumere possunt (3).

XI. Exposito ss. Sacramento nemini debetur reverentia (4), neque Episcopo præsenti (5).

XII. De perpetua ss. Sacramenti adoratione, quæ in pluribus diœcesibus et ecclesiis fieri solet, hoc loco opportuno addi et notari possunt sequentia :

1. Ubi dies adorationis perpetuæ incidit in dominicam palmarum, benedictio palmarum, « si fieri debeat, vel deceat, facienda erit in alio sacello laterali, quo magis fert ecclesiæ structura, distante ab ara maxima, in qua ss. Sacramentum expositum est, servatis omnibus cæremoniis in missali præscriptis, sed absque processione » (6). Quod si ecclesia sit nimis angusta, vel unum tantum habeatur altare, tunc expedit potius, ut benedictio palmarum omittatur, prout in civitatibus absque incommodo fieri potest, cum in aliis ecclesiis palmæ benedicantur. Si autem omitti nequeat, ss. Sacramentum competenti velo interea occultari potest, ut fiat benedictio absque processione; vel cum adoratio perpetua non requirat, ut ss. Sacramentum continuo exponatur, hoc potius in tabernaculum reponitur, illudque clauditur; facta benedictione palmarum et deinde processione ss. Sacramentum rursus exponitur, sed absque benedictione.

(1) Instr. Clem. § 9; Gardellini ibid., n. 13.
(2) Bened. XIV, instit. 30.
(3) S. R. C. 17 Aug. 1833, n. 2709, 2; Gardell. loc. cit.
(4) S. R. C. 31 Aug. 1793, n. 2544.
(5) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 2928, 6. Vid. Praxis Pontificalis tom. 1, n. 155.
(6) S. R. C. 17 Sept. 1822, n. 2621, 9.

Digitized by Google

Eodem modo procedendum est in festo purificationis, et feria quarta cinerum.

2. A mane feriæ quintæ in Cœna Domini ad mane Sabbati Sancti a prædicta expositione omnino cessandum est (1). Feria quinta finita missa fit processio, et calix cum s. Hostia portatur ad locum, ubi reponi tunc solet, ibique ardentibus semper cereis, adoratio continuatur. Vesperi autem benedictio cum ss. Sacramento est omittenda.

Feria sexta in parasceve adoratio coram ss. Sacramento in sacello repositionis, mane facienda est, benedictio cum ss. Sacramento danda non est, neque ulla alia facienda expositio (2); sed missa præsanctificatorum finita, altare denudandum est, et adorationis horæ, sive domi sive in ecclesia implendæ sunt sicut alias de nocte fieri oportet.

Sabbato sancto ss. Sacramentum tantum exponitur post missam solemnem, deinde reliqua fiunt more solito, et vesperi benedictio datur.

In ecclesiis et oratoriis, in quibus functiones tridui sacri fieri non solent aut defectu ministrorum fieri nequeunt, ab altaris ornatu abstinendum, ab expositione ss. Sacramenti « omnino cessandum est a mane feriæ quintæ usque ad mane sabbati sancti » (3), et adoratio perpetua in ecclesia vel domi prosequenda.

3. In festo s. Marci et diebus rogationum nihil obstat, quominus ss. Sacramentum patenter exponatur. Attamen si processio extra ecclesiam fiat, curandum est, ut interea sufficiens adsit adorantium numerus; et si intra ecclesiam fieri soleat, præstat eamdem omittere et genibus flexis litanias cantare coram ss. Sacramento, nisi interim ss. Sacramentum in tabernaculum reponatur, ut supra de dominica palmarum dictum est.

4. In commemoratione fidelium defunctorum licet recitare officium defunctorum, et celebrare missam solemnem et

(1) S. R. C. 18 Maji 1883, n. 3574, V.
(2) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, 4.
(3) S. R. C. 12 Mart. 1661, n. 1190.

Digitized by Google

etiam privatas de *Requiem*, non autem ad altare expositionis. Si unicum sit altare, tunc vel officium et missæ celebrantur in colore violaceo, vel ss. Sacramentum interea in tabernaculo reconditur (1).

Quoad commemorationem ss. Sacramenti in missa faciendam vide tom. 1, n. 73, quoad colorem adhibendum ibidem n. 158, quoad crucem ponendam super altare n. 181, quoad cereos accendendos n. 184.

RITUS EXPONENDI ET DEPONENDI SS. SACRAMENTUM.

26. Sacerdos etsi superpelliceo et stola tantum indutus esse debeat, decet tamen, ut etiam pluviali induatur (2), eique assistat alter sacerdos superpelliceo indutus. Procedunt ad altare primo laici cum luminaribus si comitentur (3), tum thuriferarius cum deferente naviculam incensi a sinistris, deinde duo ceroferarii et alii clerici portantes funalia, tum sacerdos superpelliceo indutus, et ultimo sacerdos celebrans. Duo ultimi incedunt tecto capite et manibus junctis (4). Si hi omnes semper et ubique adesse nequeant, saltem minister sacerdoti inserviens, superpelliceo indutus, adhibendus est (5).

Notandum est ss. Sacramentum exponendum et deponendum esse manibus sacrorum ministrorum, non autem ope cujusdam machinæ, qua Ostensorium elevatur et deponitur (6).

Nec potest sacrista vel acolythus media cordulæ distensione aut relaxatione ss. Sacramentum in tabernaculo expositum discooperire aut velare (7).

(1) S. R. C. 27 Jun. 1868, 3177.
(2) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, 5; Bissus, E. n. 232, § 1; De Carpo p. 3, n. 186.
(3) S. R. C. 22 Jan. 1876, n. 3388, I.
(4) Cavalieri tom. 4, dec. 153, I.
(5) Cong. Archip. Archid. Mechl. 1845, VII.
(6) S. R. C. 7 Jul. 1877, n. 3425; Acta Sanctæ Sedis, vol. XI, fol. 575.
(7) S. R. C. 12 Jul. 1901 in Colimen.

Digitized by Google

Cum pervenerint ad altare, sacerdos et assistens bireta tradunt ministro; omnes genuflectunt unico genu in plano (1), sacerdos in medio altaris, assistens ad ejus dextram, ut promptior sit ad ministrandum, et alii juxta sed aliquantulum post illos. Mox surgentes flectunt utroque genu : sacerdos et assistens in infimo gradu altaris, et reliqui in plano, et ibi aliquantisper orant. Post brevem hanc orationem, sacerdos, si non habeat alium sacerdotem assistentem, accedit ad altare, ibi prævia facta reverentia (genuflexione juxta Merati et Cavalieri), aperit tabernaculum, genuflectit unico genu, et si ss. Sacramentum in eodem tabernaculo expositum maneat, lateraliter descendit ad ss. Sacramentum incensandum, ut infra dicetur; si autem in eminentiorem thronum ejusdem altaris sit collocandum, aperto tabernaculo et facta genuflexione, vel similiter immediate descendit ad incensandum; vel prius extrahit ostensorium et ponit super corporale in medium altaris, et denuo facta genuflexione descendit; vel melius (2) extrahit ostensorium, non autem ponit in medium altaris, sed illico in locum eminentiorem, et facta genuflexione descendit ad incensandum.

Si s. Hostia in pyxide posita sit, aperto tabernaculo, genuflectit, pyxidem de tabernaculo extrahit, ponit super corporale et discooperit; tum genuflectit, et erectus s. Hostiam collocat in ostensorium; si digitis s. Hostiam tetigerit, eosdem abluit, et abstergit; deinde pyxidem et ostensorium claudit, et pyxidem reverenter in tabernaculum reponit; iterum genuflectit et ostensorium vel in tabernaculum, vel in medium altaris, vel in locum eminentem collocat, ut supra dictum est.

Simul ac sacerdos descendit, genuflectit utroque genu super infimum gradum altaris cum capitis, non autem corporis inclinatione; mox surgens, se aliquantulum versus cornu evangelii retrahens, et stans facie ad cornu epistolæ versa, imponit incensum absque benedictione et nihil dicens.

(1) Cærem. Ep. lib. I, c. 15, n. 5.
(2) Cavalieri tom. 4, dec. 153, n. III et IV.

Digitized by Google

Deinde genuflexus in infimo gradu (1) ss. Sacramentum ter incensat cum capitis inclinatione ante et post incensationem (2). Tum si ostensorium in locum eminentem collocandum sit, mox surgens, ascendit, et facta genuflexione, illud in locum paratum collocat; deinde iterum facta genuflexione descendit, et genuflexus in infimo gradu aliquantulum orat. Tum omnes surgentes genuflectunt utroque genu cum capitis inclinatione in plano (3), et accipientes bireta redeunt in sacristiam eodem ordine quo venerunt, sed caput tantum tegunt, dum sunt extra conspectum ss. Sacramenti.

2. Si expositio fiat cum assistentibus diacono et subdiacono, hi induunt dalmaticam et tunicellam (4), id est eadem paramenta ac in missa, excepto manipulo. Eo casu sacerdos etiam induitur amictu, alba, cingulo, stola transversa ante pectus, et pluviali, atque ad altare accedit et ab eo recedit medius inter diaconum et subdiaconum, elevantes pluviale. In accessu ad altare, sacerdote manente genuflexo ad orationem, diaconus interim ascendens, tabernaculum aperit, extrahit ostensorium, et deponit, ut de sacerdote dictum est, sed ad altare genuflectendo paululum versus cornu epistolæ, ne tergum sacerdoti vertat. Incensatio fit hoc modo : præmissa capitis inclinatione surgunt sacerdos, diaconus, subdiaconus et thuriferarius; diaconus ministrat naviculam et cochlear sine osculis, subdiaconus elevat dextram pluvialis partem, et sacerdos ter incensum imponit sine benedictione; deinde flectunt in infimo gradu altaris, et thuriferarius in plano prope dextram diaconi. Diaconus accipit thuribulum, illudque sine osculis tradit sacerdoti. Accepto thuribulo a sacerdote, omnes caput ss. Sacramento profunde inclinant; et deinde sacerdos ss. Sacramentum ter incensat, interim diacono et subdiacono pluviale elevantibus; facta incensatione, sacerdos iterum deponit thuribulum, et tum omnes

(1) Merati p. 4; tit. 12, n. 17.
(2) S. R. C. 26 Mart. 1859, n. 3086, 3.
(3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 47.
(4) S. R. C. 17 Sept. 1785, n. 2528, 1.

Digitized by Google

faciunt profundam capitis inclinationem; qua facta diaconus sine osculis recipit thuribulum, et reddit thuriferario.

3. Si solus habeatur sacerdos assistens, hic tabernaculum aperit, ostensorium deponit, et ministrat incensum et thuribulum eodem modo ac diaconus. Stolam autem tantum adhibet, dum tabernaculum aperit, et ipsum ss. Sacramentum seu ostensorium pertractat; et statim ac has functiones peregit stolam a collo pendentem sibi aufert, eamque alicui custodiendam tradit, vel super brachium suum sinistrum deponit (1), quia non decet sacerdoti alterum sacerdotem cum stola e collo pendente assistere.

4. Si ss. Sacramentum in alio altari sit exponendum; eodem incensato (2) in tabernaculo aperto, vel super altare posito, sacerdoti velum humerale imponitur; et sacerdos prævia genuflexione facta ostensorium accipit manibus sub velo positis, illudque tenens ante faciem seu superiorem partem pectoris, se vertit ad populum. Procedunt ad altare expositionis primo ceroferarii, deinde ferentes intorticia, tum thuriferarius ss. Sacramentum continuo incensans, et postremo sacerdos deferens ss. Sacramentum. Cum pervenerint ad altare, reliquis ab utraque parte altaris in plano flectentibus, sacerdos ad altare ascendit, et ss. Sacramentum in locum paratum deponit. Deinde genuflectit, descendit, et genuflexus in infimo gradu altaris, ss. Sacramentum iterum incensat, uti fit in cœna Domini et feria sexta parasceves. Tum facta oratione et deinde genuflexione utriusque genu in plano, discedunt primo thuriferarius, deinde ceroferarii et ferentes intorticia, et ultimo sacerdos.

Si habeantur diaconus et subdiaconus vel saltem sacerdos assistens, incensato ss. Sacramento, et sacerdoti velo humerali imposito, ascendunt ad altare; sacerdos cum subdiacono a sinistris, flectit utroque genu super suppedaneum ante medium altaris, et diaconus vel assistens progreditur usque

(1) Merati p. 4, tit. 12, n. 29; Cavalieri tom. 4, dec. 153, n. 2 et 5.

(2) Bissus, S. n. 51.

Digitized by Google

ad altare, flectit unico genu aliquantulum versus cornu epistolæ, et deinde accipit ostensorium dextra ad nodum et sinistra ad pedem, illudque cum imagine crucifixi ad se conversa tradit celebranti, qui prius facta capitis inclinatione, manibus sub velo ante pectus pendente positis et opertis, genuflexus illud reverenter accipit. Celebrans accepto ostensorio surgit, et diaconus vel assistens, statim ac velum super manus sacerdotis accommodaverit, in eodem in quo est loco, ss. Sacramento genuflectit, ac sine mora surgit. Tum si diaconus et subdiaconus assistant, diaconus accedit ad dextram sacerdotis, qui cum diacono et subdiacono pluviale elevantibus, ascendit ad planum suppedanei, ibique cum iisdem ministris se vertit ad populum. Diaconus et subdiaconus se simul vertendo tenent proprium locum, ita ut diaconus a dextris et subdiaconus a sinistris pluviale elevent; quod similiter faciunt per totam viam usque ad altare expositionis. Si autem solus sacerdos assistat, hic post traditum ostensorium et genuflexionem factam, pluviale non elevat, et a sinistris socerdotis ad altare expositionis accedit. Dum perveniunt ad altare, diaconus vel assistens flectit utroque genu in plano suppedanei versus cornu epistolæ et facie ad celebrantem conversa, subdiaconus flectit utroque genu in supremo gradu altaris seu in suppedaneo a sinistris sacerdotis, et sacerdos consistens in gradu ante suppedaneum, stans tradit ostensorium diacono vel assistenti genuflexo, qui prævia facta capitis inclinatione illud accipit (1), accepto ostensorio surgit, et stans versus sacerdotem exspectat, donec hic ss. Sacramentum genuflexione adoraverit; deinde se vertens versus cornu evangelii ad altare, ostensorium collocat in thronum seu locum præparatum; deposito ostensorio, genuflectit unico genu, et descendit ad sacerdotem, qui interea cum subdiacono descendit ad infimum gradum altaris, ubi omnes flectunt utroque genu, ss. Sacramentum incensant, breviter orant, et facta genuflexione in plano, discedunt ut supra dictum est.

5. Si in expositione benedictio cum ss. Sacramento detur

(1) Merati p. 4, tit. 12, n. 17.

Digitized by Google

uti in aliquibus ecclesiis ex longæva consuetudine fieri solet, quamvis conveniat, ut tantum detur in depositione seu fine expositionis, quod dicetur num. 30, datur, postquam ss. Sacramentum in tabernaculo aperto vel super altare positum, incensatum fuerit, antequam in thronum collocetur; vel si ad aliud altare exponendum transferatur, dum ad altare perventum est, antequam ostensorium deponatur. Data benedictione et deposito ostensorio ss. Sacramentum iterum incensatur, si ea adsit consuetudo. Reliqua servanda patebunt ex num. 30 et ex mox dicendis de depositione ss. Sacramenti.

27. Ad deponendum ss. Sacramentum, sacerdos et ministri eodem modo ad altare accedunt, ut ad exponendum. Statim ac sunt in conspectu ss. Sacramenti, caput detegunt, et bireta tradunt ministro, vel eadem tenent manibus ante pectus junctis inter pollices et indices. In accessu ad altare flectunt utroque genu cum capitis inclinatione in plano, sacerdos scilicet in medio ante altare, diaconus et subdiaconus si habeantur, a dextris et sinistris, et reliqui juxta sed paulo post eos; si solus adsit sacerdos assistens, genuflectit a dextris principalis sacerdotis, prout etiam minister inserviens, si unicus sit, nisi ob orationes dicendas aut cantandas aliquo tempore morandum sit, in quo casu sacerdos assistens aut minister ad sinistram genuflectit. Post genuflexionem factam mox surgentes, utroque genu et eodem ordine flectunt sacerdos et assistentes in infimo gradu altaris et reliqui in plano, ibique aliquantulum orant. Dubitatur, quando ss. Sacramentum sit deponendum, dum in eminentiori throno est collocatum : quidam dicunt illud esse deponendum super corporale in medium altaris, cum ad altare accesserint, et genuflexi in infimo gradu altaris brevem orationem fecerint; alii autem censent illud tantum esse deponendum finitis precibus immediate ante benedictionem (1). Ante benedictionem ss. Sacramentum ter est incensandum; an autem iterum post benedictionem repetenda sit incensatio; silent rubricæ et auctores : nihil tamen obstare videtur, ut denuo ter incensetur, saltem si ea sit ecclesiæ consuetudo.

(1) Merati p. 4, tit. 12, n. 31.

Digitized by Google

Antequam sacerdos surgat ad imponendum incensum, cantandam orationem, aut benedictionem dandam, item postquam genuflexus sit utroque genu post impositionem incensi et post dictam orationem, semper caput, sed non corpus inclinat, nisi immediate caput inclinaverit quod idem faciunt assistentes.

Ad benedictionem dandam, sacerdos incensato ss. Sacramento, et deinde imposito velo humerali, surgit, ascendit ad altare, flectit unico genu sine capitis inclinatione, accipit ostensorium manibus velo coopertis, et dat benedictionem ut n. 31 dicetur; deinde deposito ostensorio in tabernaculum, flectit unico genu, claudit tabernaculum et descendit. Si autem ss. Sacramentum iterum incensari soleat, deponit ostensorium super corporale in medium altaris vel in tabernaculum apertum, flectit unico genu, descendit lateraliter, flectit utroque genu super infimum gradum, deponit velum humerale, et deinde ss. Sacramentum ter incensat cum capitis inclinatione ante et post incensationem; surgens ad altare ascendit, flectit unico genu, et ss. Sacramentum deponit in tabernaculum, illudque claudit; descendit ante infimum gradum altaris, et reliquis surgentibus, omnes flectunt unico genu in plano, atque discedunt ordine quo venerunt, sed sacerdos tegit caput ad altare.

2. Si in depositione ss. Sacramenti assistant diaconus et subdiaconus, induunt dalmaticam et tunicellam, ut dictum est supra n. 26, ad 2. In accessu ad altare et recessu incedunt a dextris et sinistris sacerdotis, elevantes pluviale. Diaconus, si opus sit, deponit ostensorium a loco eminentiori super corporale in medium altaris, et ministrat incensum et thuribulum. Pro benedictione danda velum humerale sacerdoti imponitur a diacono juxta rituale Rom. de process. ss. Sac., vel a ceremoniario juxta cæremoniale Ep.; solus autem sacerdos ascendit ad altare, genuflectit, et ipsemet absque alterius ministerio accipit ostensorium de altari, et data benedictione deponit (1). Quando vero sacerdos ascendit

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 27; Rituale Rom. in fine process. ss. Sac.; Merati p. 4, tit. 12, n. 20.

Digitized by Google

ad altare, cum eo etiam ascendunt diaconus et subdiaconus; sed hi flectunt utroque genu in ora suppedanei, ubi capite inclinato versus ss. Sacramentum, elevant anteriores partes pluvialis, dum sacerdos benedicit populum. Sacerdos deposito ostensorio super corporale in medium altaris vel in tabernaculum, flectit unico genu, et deinde descendit cum subdiacono ad infimum gradum altaris, ubi cum eodem genuflectit, et interim velum humerale per subdiaconum vel cæremoniarium amovetur. Interea diaconus genuflexus in ora suppedanei, dum sacerdos descendit, surgit, accedit ad altare, genuflectit, ponit ostensorium in tabernaculum, genuflectit et illud claudit; vel si ostensorium a sacerdote in tabernaculum positum sit, facta genuflexione illud claudit; deinde descendit ad sacerdotem, qui clauso tabernaculo cum aliis surrexit, et facta ab omnibus genuflexione unico genu in plano, capite tecto discedunt (1).

In pluribus ecclesiis ostensorium etiam ad benedictionem dandam, sacerdoti a diacono solet porrigi, et eadem data recipi ac deponi (2); adeoque dum sacerdos ascendit ad altare, simul ascendit diaconus; sacerdos flectit utroque genu in suppedaneo, et diaconus facta genuflexione unico genu paulum versus cornu epistolæ, accipit ostensorium, et imagine ad se versa porrigit sacerdoti, qui illud prævia facta capitis inclinatione accipit, eoque accepto surgit. Diaconus accommodato velo super manus sacerdotis flectit, descendit, et flectit utroque genu cum subdiacono, ut supra dictum est. Data benedictione, diaconus ascendit, flectit ante ss. Sacramentum, et ostensorium accipit; quo accepto aliquantulum expectat, donec sacerdos ss. Sacramentum adoraverit. Deinde descendit sacerdos, et flectit utroque genu super infimum gradum altaris; diaconus deponit ostensorium in tabernaculum, genuflectit, illud claudit et descendit.

(1) Merati p. 4, tit. 12, n. 22 et 24; Gardellini in instr. Clem. § 31, n. 12 et 13.

(2) Martinucci lib. 2, c. 11, n. 89 et 91; *Revue des sciences ecclésiast.*, tom. 9, fol. 364.

Digitized by Google

Si solus sacerdos assistat, eadem facere debet ac diaconus.

3. Si ss. Sacramentum ad aliud altare, ubi est tabernaculum, sit transferendum, data benedictione procedunt eodem modo et ordine, ut dictum est supra n. 26 ad 4. Dum perveniunt ad tabernaculum, reliquis ab utraque parte in plano flectentibus utroque genu, sacerdos ad tabernaculum accedens, deponit ostensorium, genuflectit, descendit, et genuflexus in infimo gradu ss. Sacramentum incensat, uti in cœna Domini et feria sexta parasceves præscribitur faciendum, dum ad altare perventum est. Facta incensatione ascendit, genuflectit, et tabernaculum claudit; deinde descendit, et cum cæteris, qui clauso tabernaculo surrexerunt, flectit unico genu in plano, et discedit capite tecto.

Si habeatur sacerdos assistens aut diaconus et subdiaconus, dum pervenerunt ad tabernaculum, ad illud ascendunt : diaconus aut sacerdos assistens flectit utroque genu in plano suppedanei versus cornu epistolæ et facie ad sacerdotem conversa, subdiaconus flectit utroque genu in supremo gradu altaris seu in suppedaneo a sinistris sacerdotis facie ad altare conversa, et sacerdos consistens in gradu ante suppedaneum, stans tradit ostensorium diacono vel sacerdoti assistenti genuflexo, qui prævia facta capitis inclinatione illud accipit. Diaconus vel sacerdos assistens accepto ostensorio, surgit, et stans versus sacerdotem, expectat, donec hic ss. Sacramentum genuflexione adoraverit; deinde vertens se per suam dextram, ostensorium collocat super altare vel in tabernaculum, genuflectit, et descendit ad sacerdotem, qui interea descendit cum subdiacono ad infimum gradum, ubi genuflexi ss. Sacramentum incensant. Deinde assistens aut diaconus ascendit ad tabernaculum, genuflectit, ostensorium in tabernaculum collocat, illudque claudit. Tum surgunt omnes, et assistente aut diacono descendente, flectunt unico genu in plano, et discedunt capite tecto.

28. Not. 1° sacerdotem, ut dictum est, genuflexum accipere ostensorium ab assistente aut diacono juxta ritum, qui insinuatur in rubricis missalis ad feriam quintam in cœna Domini, et clare præscribitur in cæremoniali Ep. lib. 2, c. 23,

Digitized by Google

n. 12 et c. 33, n. 20; item diaconum genuflexum recipere, uti expresse habetur in rubricis missalis feria quinta in cœna Domini. Ita etiam communiter auctores, licet in plurimis locis sacerdos et diaconus ostensorium stantes accipere soleant. Admittitur a S. Congregatione utraque praxis (1).

2° Sacerdotem, dum ss. Sacramentum incensat, bis et non quater caput inclinare, scilicet semel ante incensationem accepto thuribulo, et secundo post incensationem retento thuribulo; non autem adhuc bis, antequam accipiat thuribulum et postquam reddiderit, etiamsi immediate sit genuflexus aut surgat : quia mora brevissima, quæ intercedit, considerari non debet; sicut etiam tantum semel genuflectitur, licet in accessu ad altare osculum intercedat, ut dicetur num. 33, ad 4.

3° Sacerdotem, assistentem, aut diaconum, dum exposito ss. Sacramento, ab altari descendunt, lateraliter descendere, ne terga vertant ss. Sacramento, sacerdotem scilicet se aliquantulum retrahendo versus cornu evangelii et faciem vertendo versus cornu epistolæ; assistentem autem et diaconum se aliquantulum retrahendo versus cornu epistolæ et faciem vertendo versus cornu evangelii.

29. Si quædam cantanda sint in expositione aut depositione ss. Sacramenti, optime conveniunt hymni et antiphonæ ss. Sacramento propriæ, ut *Adoro te, Pange lingua, O salutaris hostia, O sacrum convivium* etc. in depositione tamen maxime congruunt duæ ultimæ strophæ hymni *Pange lingua*, scilicet *Tantum ergo* et *Genitori*, uti in rituali Romano præscribitur in fine processionis ss. Sacramenti; post prædicta cantatur v. *Panem de cœlo*, cui tempore paschali et infra octavam Corporis Christi additur *Alleluja*. Versus *Dominus vobiscum* cantandus est in expositione ante orationem (2); sed in depositione ss. Sacramenti neque ante neque post orationem (3), quia sacerdos statim dare debet benedictionem,

(1) S. R. C. 14 Jan. 1898, n. 3975, IV.

(2) Instr. Clem. § 24, pro precibus XL horarum.

(3) Instr. Clem. § 31; Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 27; Merati p. 4, tit. 12, n. 19.

Digitized by Google

quæ est realis et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quam ea, quæ per vocem exprimitur. Oratio additur *Deus qui nobis sub Sacramento* sub brevi conclusione *Qui vivis et regnas in sæcula* (1). Aliæ tamen præces etiam recitari possunt, prout necessitas, ratione cujus fit expositio, requirit, ut litaniæ omnium sanctorum, litaniæ Lauretanæ, aut alia, modo sint ex approbatis. Sacerdos omnia cantat manibus junctis, assistente aut diacono et subdiacono librum tenentibus; ad orationem prævia facta capitis inclinatione, surgit, et ad *Oremus* caput ss. Sacramento inclinat (2). Orationes cantandæ sunt recto tono cum unica vocis inflexione de fa ad re in fine (3).

DE BENEDICTIONE DANDA CUM SS. SACRAMENTO.

30. Benedictionem cum ss. Sacramento dari posse, patet ex rituali Romano, quod eamdem in delatione ss. Viatici et in fine processionis ss. Sacramenti præscribit; sed nimis frequenter eamdem dandam non esse, demonstrant dicta n. 18; quæ enim ibidem de frequenti expositione dicta sunt, majori ratione de frequenti benedictione dicenda sunt. Sic Innocentius XI (4) decernit, quod *in omnibus expositionibus*, de quibus ibidem agitur et de quibus dictum est n. 22, *non possit populo dari nisi una tantum benedictio cum ss. Sacramento*, in fine scilicet expositionis, prout rituale Romanum etiam unicam tantum in fine processionis ss. Sacramenti præscribit (5). Unde benedictio cum ss. Sacramento, sine speciali indulto, in principio sacrarum functionum, quæ eo exposito celebrantur, dari nequit (6). In expositionibus privatis benedictio cum ss. Sacramento per se numquam dari potest (7).

(1) S. R. C. 29 Mart. 1851, n. 2986, 6.
(2) Vid. Gardellini in instr. Clem. § 24, n. 18 et seq.
(3) S. R. C. 18 Jul. 1885, n. 3638, 4.
(4) In dec. 20 Maji 1682; Syn. Belg. tom. 2, p. 380.
(5) S. R. C. 11 Jul. 1857, n. 3058; 24 Mart. 1859, n. 3086, 4.
(6) S. R. C. 15 Feb. 1873, n. 3287; 1 Jul. 1873, n. 3308.
(7) Gardellini instr. Clem. § 36, n. 10 et seq.

Digitized by Google

Benedictio igitur cum ss. Sacramento dari nequit, quoties accipitur aut movetur; dum ad alium locum defertur, ut de altari ad tabernaculum, et vicissim de tabernaculo ad altare; et multo minus in casu bis dari potest, scilicet ad altare et iterum ad tabernaculum; neque etiam dari potest cum s. pyxide, dum communio distribuitur, quando rubricæ benedictionem cum sola manu præscribunt (1). Si omnes istæ et similes consuetudines sine offensione populi simul et semel tolli non possint, easdem tamen paulatim et prudenter abrogare oportet (2).

31. Benedictio cum ss. Sacramento danda est hoc modo : servatis ritibus, de quibus dictum est num. 26 et 27, sacerdos accipit ostensorium aut pyxidem dextra ad nodum supra pedem et sinistra ad pedem, manibus velo coopertis, vertit se ad populum per suam dextram, seu per cornu epistolæ, et cum stat ante populum, ostensorium a parte s. Hostiæ seu pyxidem a parte cuppæ ante pectus seu superiorem partem pectoris tenet; tum elevat illud decenti mora non supra caput sed tantum usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus; mox iterum recta linea illud attollit usque ad pectus, seu usque ad superiorem partem pectoris, deinde linea recta ad sinistrum humerum ducit, et linea recta reducit ad dextrum : et tunc vel statim, ss. Sacramentum ante pectus non reducendo, per cornu evangelii ad altare se vertit, ad ostensorium vel pyxidem deponendum, perficiens circulum sicut dum dicit *Orate fratres;* vel si ei placeat, ss. Sacramentum rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes cruce, et ss. Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tuncque gyrum perficiens se vertendo versus cornu evangelii, ostensorium seu pyxidem super altare collocat (3).

(1) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2725, 1.

(2) Vid. Bened. XIV, in fine instit. 30, et Gardellini in instr. Clem. § 36, n. 11 et seq.

(3) S. R. C. 21 Mart. 1676, n. 1563, 2; vid. Merati p. 4, tit. 12, n. 21; Cavalieri tom. 4, dec. 169; Gardellini in instr. Clem. § 31, n. 12, 14 et 15; Bauldry p. 4, c. 16, art. 3, n. 34.

Digitized by Google

Notanda sunt sequentia : 1. Benedictio danda est summa cum reverentia, gravitate, et devotione; summopere cavendum est ab omni præcipitantia; et oculi in ss. Sacramentum continuo figendi sunt.

2. Sacerdos corpore et capite semper erectus, et sub linea transversa corpore, capite et pedibus immotus maneat, manus et brachia linea recta solummodo tam longe vertendo, quam commode potest, uti fit, dum in fine missæ datur benedictio; non autem corpus movendo, et ss. Sacramentum infra lineam transversam ante pectus retinendo : ex decreto enim citato 21 Mart. 1676, patet, ss. Sacramentum esse ducendum ad sinistrum humerum, et reducendum ad dextrum; non autem corpus sacerdotis esse movendum et vertendum ad unum et alterum cornu altaris (1).

3. Sub benedictione utendum est pluviali et velo humerali, serico et semper albo, cujuscumque coloris sint paramenta celebrantis (2), quod ita componendum est, ut manus sacerdotis tegat et decenter defluat. Sacra etiam pyxis in benedicendo populo cum eadem, extremitatibus veli humeralis tota cooperta esse debet (3). Velum hoc humerale simile est illi, quo subdiaconus in missa solemni utitur, quale certo non est velum album, quod in aliquibus locis adhibetur, et ex gossipio ordinarie conficitur solasque sacerdotis manus contegere solet.

4. « In benedicendo populum cum ss. Sacramento celebrans nihil dicere, cantores et musici nihil quoque canere interim debent ad præscriptum ritualis Rom. et cæremonialis Ep. non obstante quacumque contraria consuetudine » (4). Sic S. R. C. (5) statuit benedictionem dandam esse, non quando pervenitur ad versiculum hymni *Sit et benedictio*, sed in fine hymni, id est, expletis totaliter hymno, versu

(1) Ita Cavalieri tom. 4, dec. 169, II.

(2) S. R. C. 9 Jul. 1678, n. 1615, 6; 26 Mart. 1859, n. 3086, 5; Cærem. Ep. l. 2, c. 33, n. 14.

(3) S. R. C. 23 Feb. 1839, n. 2786, 1.

(4) S. R. C. 9 Feb. 1762, n. 2464.

(5) 5 Febr. 1639, n. 665.

Digitized by Google

Panem de cœlo, et oratione (1). Organa autem pulsari possunt suavi et gravi sono, sicut fit ad elevationem ss. Sacramenti (2). Ubi tamen usus quædam cantandi invaluit, et sine offensione populi intercipi nequit, tolerari potest juxta Gardellini, modo benedictio non detur infra stropham *Genitori* ad *sit et benedictio*, ne hæc verba, quæ referuntur ad *Genitori Genitoque*, ad populum referri videantur (3).

Infra benedictionem campanula pulsari potest, ut populus ab altari distans admoneatur (4).

5. « Omissio incensationis conformior est Ecclesiæ praxi in benedictione cum sacra pyxide, requiritur tamen omnino, quum impertitur benedictio cum ostensorio » (5). An autem a thuriferario ss. Sacramentum infra benedictionem sit incensandum, dubitatur ab una parte ex silentio cæremonialis Ep. ritualis Rom. et instructionis Clem. quæ cum nihil de hac incensatione dicant, eamdem omittendam esse indicant; et contra ab altera parte ex consuetudine incensandi, quæ in multis ecclesiis obtinet. Cum autem hæc incensatio inconveniens dici non debeat, et tendat in honorem ss. Sacramenti, nulla ratio exigit, ut omittatur, præsertim in ecclesiis, in quibus usus eam introduxit (6). Et sic S. R. C. (7) declaravit eamdem incensationem *non præscribi, et servandam consuetudinem locorum.*

6. Trina benedictio cum ss. Sacramento propria est Episcopis (8), hancque dare nequeunt dignitates, neque regulares, neque etiam abbates aliique prælati usum pontificalium

(1) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2725, 3; 11 Jul. 1857, n. 3058, 2; 26 Mart. 1859, n. 3086, 4; Cavalieri tom. 4, dec. 168, ei Gardellini in instr. Clem. § 31, n. 12 et 21.

(2) Gardellini ibidem, n. 12.

(3) Vid. Gardellini loco cit. n. 12, 16-21; Merati p. 4, tit. 12, n. 22; Cavalieri tom. 4, dec. 169, n. III.

(4) Baruffaldus tit. 80, n. 78.

(5) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2957.

(6) Vid. Cavalieri tom. 4, dec. 170, VII, et Gardellini in instr. Clem. § 31, n. 23.

(7) 11 Sept. 1847, n. 2956, 9; 7 Sept. 1861, n. 3108, 6.

(8) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 27.

Digitized by Google

habentes, nisi pontificalia exerceant (1). Item in ecclesiis monialium ubique locorum cujusvis sint ordinis et instituti, omissa speciali ac separata monialium benedictione, unica tantum benedictio præsenti populo impertienda est (2).

32. Benedictio in expositionibus privatis, ut supra dictum est, per se dari non potest; Episcopus tamen permittere potest, ut illa detur cum sacra Pyxide in expositione privata, ubi ea existit consuetudo; permittere etiam potest continuationem immemorabilis consuetudinis dimittendi populum cum benedictione ss. Sacramenti in pyxide, ac in festis cum ostensorio, modo nil inconveniens deprehendatur (3); quinimo dare potest facultatem dandi benedictionem (4). Nec defuere ultimis annis decreta quibus conceditur benedictio cum pyxide. Per decretum generale, confirmans quod antea jam declaraverat (5), ss. Dominus Leo XIII indulgere dignatus est pauperioribus ecclesiis per modum exceptionis juxta prudens judicium ordinarii pro exercitiis quotannis mense Octobris præscriptis, ut possit extrahi e tabernaculo pyxis quacum populus benedicatur (6). Pro aliis ejusdem generis functionibus similiter potest usus hujusmodi benedictionis tolerari (7). Itaque licet dicere modo generali post expositionem privatam ss. Sacramenti, scilicet aperto ostiolo tabernaculi, dari posse benedictionem cum eodem venerabili sacramento in pyxide recondito (8).

Notanda tamen et servanda sunt sequentia : 1. Pyxis non est collocanda in throno seu sub umbella (9), neque deponenda super altare (10). 2. Benedictio non sæpius, sed semel tantum

(1) S. R. C. 22 Junii 1675. n. 1540; 13 Junii 1693, n. 1897; 29 Jan. 1752, n. 2418, 7.
(2) S. R. C. 18 Dec. 1773, n. 2499.
(3) S. R. C. 16 Mart. 1876, n. 3394, 2.
(4) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2957; Bened. XIV Instit. 30, § *Mos obtinuit;* Gardellini Instr. Clem. § 36. n. 14, etc. De Conny liv. 2, ch. 20, VI.
(5) S. R. C. 16 Jan. 1886, n. 3654.
(6) S. R. C. 26 Aug. 1886, n. 3666.
(7) S. R. C. 20 Jul. 1894, n. 3833.
(8) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, III.
(9) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 2577, 2; 23 Maji 1835, n. 2725, 4; 28 Apr. 1902, *Labacen.* XIII; Bened. XIV ibid.; Gardellini ibid.
(10) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, III, 3.

Digitized by Google

in die dari debet (1). 3. Requiritur, ut frequens vel saltem sufficiens adsit fidelium numerus. 4. Modus decens et conveniens servandus est; cerei in altari ardeant (2); duo acolythi teneant cereos seu intorticia, et horum defectu candelæ majorum candelabrorum in plano positorum accendantur (3). 5. Sacerdos superpelliceo et stola alba indutus, more solito accedit ad altare, et tabernaculum aperit; sacram Pyxidem non extrahit, sed eam velo coopertam, fidelium oculis expositam, in tabernaculo aperto relinquit; genuflectit, descendit, et super infimo altaris gradu genuflexus, recitat *Tantum ergo, Genitori,* v. *Panem de cœlo,* ac stans dicit orationem *Deus qui nobis.* Si plures recitandæ sint preces, dicuntur ante *Tantum ergo.* Post orationem ss. Sacramenti, velo humerali assumpto (4), ascendit ad taberculum, genuflectit, sacram Pyxidem accipit, eamque extremitatibus veli humeralis totaliter cooperit (5); tum se vertit ad populum, et more solito dat benedictionem cum sacra Pyxide cooperta; qua data eam in tabernaculum reponit, genuflectit, et tabernaculum claudit.

Hinc cum a S. R. Congregatione quæsitum esset, an, si sacerdos post missam, imposito sibi velo humerali, extrahat ss. Sacramentum, cum eo populum immediate benedicat, illudque recondat, quin prius vel postea aliquid dicat vel cantet, hujusmodi usus retineri possit, respondit: usum, prout exponebatur, non licere (6).

Not. 1. Non requiri ad hanc benedictionem, ut aliæ preces præcedant. Decreta et auctores citati harum mentionem non faciunt. 2. Neque ut incensum adhibeatur, aut pluviale assumatur (7); si autem benedictio cum ostensorio impertiatur, præscribuntur pluviale, incensum et cantus.

---

(1) Bened. XIV ibid. Gardellini ibid. n. 24 et 26; De Carpo p. 3, n. 203.
(2) Bened. XIV ibid. Gardellini ibid. n. 24.
(3) Bened. XIV ibid.
(4) S. R. C. 20 Jul. 1894, n. 3833.
(5) S. R. C. 23 Feb. 1839, n. 2786, 1.
(6) S. R. C. 7 Julii 1876, n. 3402, 1.
(7) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, 5; 11 Sept. 1847, n. 2957.

Digitized by Google

MISSA PRIVATA CORAM SS. SACRAMENTO EXPOSITO.

33. Prænotandum alias rubricas quoad missam sive privatam sive solemnem in missali non extare, quam illas, quæ habentur in rubricis gen. tit. XVII, n. 1, in feria quinta in cœna Domini et feria sexta parasceves, quæ proinde habentur tanquam regulæ cujusque missæ celebratæ coram exposito ss. Sacramento.

1. Sacerdos accedens ad altare, in quo ss. Sacramentum est expositum, tegit caput bireto ut alias; sed veniens in conspectum ss. Sacramenti, parumper consistens, caput detegit, et biretum ministro porrigit, tuncque progreditur (1).

2. Perveniens ad altare, flectit utroque genu cum capitis inclinatione in plano ante infimum gradum (2).

Sacerdos bis flectit utroque genu in plano, hic in accessu ad altare, et post missam ante discessum ab altari : alias genuflectit unico genu, et in infimo gradu altaris, quotiescumque ibidem genuflectere occurrit (3). Sic flectit unico genu tantum, et super infimum gradum altaris, dum ab altari descendit ut missam incipiat (4).

Similiter minister in accessu et recessu utroque genu flectere debet, unico autem tantum genu intra missam (5).

3. Quandocumque sacerdos accedit ad medium altaris, vel recedit a medio, vel transit per medium, flectit unico genu, etiamsi modo sit inclinatus, aut mox se inclinare debeat, vel osculum altaris sit faciendum. Item quotiescumque se vertit ad populum ad dicendum *Dominus vobiscum* et *Orate fratres*, genuflectit, antequam se vertat, et postquam reversus sit.

Not. igitur sacerdotem, dum dicta confessione ascendit ad altare, non genuflectere super infimum gradum altaris, ante-

(1) S. Alph. de Ligorio de cærem. m. cap. 16, n. 1.

(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 49; Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 9. Gardellini in instr. Clem. § 30, n. 25, aliique communiter.

(3) Ita dec. cit. ad 47.

(4) Merati p. 2, tit. 14, n. 19, ad 5; Cavalieri tom. 4, cap. 8, § 30, n. 14; Gardellini in instr. Clem. § 30, n. 26.

(5) S. R. C. 7 Julii 1877, n. 3426, 6.

Digitized by Google

quam ascendat, sed in ipso accessu ad altare, ante orationem *Oramus te, Domine.*

4. Sacerdos bis genuflectit, dum inter accessum ad medium altaris et recessum mora habetur, ut in primo accessu ad altare, et deinde cum, calice super corporale posito, ad missale aperiendum discedit; ante et post orationem *Oramus te,* ante et post *Munda cor;* nisi mora sit brevissima, ut in accessu ad altare ad dicendum *Dominus vobiscum,* in quo casu licet osculum altaris intercedat, semel tantum genuflectit; item in fine missæ dicto evangelio semel tantum genuflectit in accessu ad medium, antequam calicem accipiat, non autem postquam acceperit.

5. Prima sacerdotis actio in accessu ad medium altaris, et ultima in discessu debet esse genuflexio (1). Inde sequitur: 1° dum sacerdos est in medio altaris et se vertere debet ad populum, prius osculatur altare, deinde genuflectit, et tum se vertit ad populum; et 2° dum contra sacerdos ad medium altaris accedit ad dicendum *Dominus vobiscum,* prius genuflectit, deinde osculatur altare, et tunc se vertit.

6. Omnes oculorum elevationes et capitis inclinationes, quæ alias ad crucem diriguntur, etiam infra evangelium, ad ss. Sacramentum tanquam objectum dignius dirigendæ sunt. Item in evangelio s. Joannis ad *Verbum caro factum est* sacerdos genuflectit versus ss. Sacramentum (2). Quod pariter facit in quacumque alia simili occasione, in qua genuflectendum est, sive in cornu evangelii sive in cornu epistolæ (3).

7. Sacerdos semper cavere debet, ne unquam terga vertat ss. Sacramento: adeoque se vertens ad populum ad dicendum *Dominus vobiscum* et *Orate, fratres,* aut descendens ab altari, se aliquantulum retrahit a medio altaris versus cornu evangelii, et se vertit aut descendit humeris versis ad

(1) Ita memoriale rit. pro minoribus ecclesiis in cœna Dom. c. 2, n. 21; Gardellini in instr. Clem. § 30, n. 13; Merati p. 2, tit. 14, n. 19 ad 28; Cavalieri tom. 4, c. 8, § 30, ad VI.

(2) Memoriale rit. pro minoribus ecc. in cœna Dom. c. 2, § 1, n. 21.

(3) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, 4; Merati p. 2, tit. XIV, n. 16.

Digitized by Google

cornu evangelii et facie versa ad cornu epistolæ; non perficit circulum ad *Orate, fratres* et ad benedictionem in fine missæ, sed conversus ad populum, ut jam dictum est, ad altare revertitur per eamdem viam, scilicet ad *Orate, fratres* ad medium altaris ibidem genuflectendo, et ad benedictionem in fine missæ ad cornu evangelii, ut infra dicetur ad 10.

8. Ad lotionem manuum post offertorium sacerdos descendit e gradibus altaris in planum, ubi faciem versus altare ad populum convertit, ne tergum vertat ss. Sacramento, lavat digitos, et manutergio super brachium sinistrum ministri posito detergit (1). Si tamen ecclesiæ consuetudo sit, quod manus laventur more solito in supremo gradu altaris seu in suppedaneo, servetur consuetudo, dummodo caveatur, ne terga vertantur ss. Sacramento (2).

9. Ad ablutionem digitorum post communionem convenit, ut sacerdos e medio altaris recedat ad cornu epistolæ, genuflectendo ante recessum et post reditum (3).

10. In fine missæ post verba *Benedicat vos omnipotens* sacerdos caput non inclinat, sed genuflectit. Post datam benedictionem per suam dextram revertitur, ut supra dictum est ad 7, non ad medium altaris, neque iterum genuflectit, sed immediate transit ad cornu evangelii : cum enim benedictionem in cornu evangelii dederit, et ibi evangelium mox legere debeat, non est necesse ad medium altaris reverti et genuflectere.

11. Pro ultimo Evangelio varii auctores docent quod celebrans, quandocumque expositum est in Altari ss. Sacramentum in tabernaculo aut in throno, cum nec liber nec tabella adsit, vel sola tabella longius distans, omittere debeat signum Altaris.

Celebrans, cum dicit : *Et Verbum Caro factum est*, genuflectit versus ss. Sacramentum, ut dictum est ad 6.

12. Finita missa sacerdos flectit utroque genu cum capitis

(1) Juxta rubricas missalis fer. 6 parasceves.
(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 48.
(3) Vid. tom. 1, n. 270.

Digitized by Google

inclinatione in plano, ut dictum est supra ad 2, et dum est extra conspectum ss. Sacramenti, parumper consistens, caput tegit bireto.

34. Sacra communio, juxta dicta n. 25, III, ad altare, in quo ss. Sacramentum est expositum, non est distribuenda, nisi in tabernaculo solito expositum sit, et hoc infra distributionem claudatur : distributio enim impedit, quominus debitæ fiant reverentiæ, quæ tamen, exposito ss. Sacramento, ad unguem servandæ præscribuntur. Si autem aliud non habeatur altare, et ss. Sacramentum in throno extra tabernaculum expositum sit, necessitas exigere potest, ut ad idem etiam altare distribuatur communio. In hoc casu sacerdos se sistit ad cornu evangelii, dum dicit : *Ecce Agnus Dei*, et infra distributionem solummodo attendit ad Sacramentum, quod præ manibus tenet, nulla habita ratione expositionis, quæ fit in altari, cavendo tamen, quantum fieri potest, ne tergum vertat ss. Sacramento exposito; ideoque ab altari descendit per gradus versus cornu evangelii, in utroque latere mensæ communionis se vertit uti ad *Lavabo* in missa expositionis, facie ad altare et tergo ad populum conversis, et finita distributione ac pyxide in tabernaculo recondita, eoque clauso, dat benedictionem in cornu evangelii (1).

35. Missæ celebratio et communionis distributio simul ad idem altare a diversis sacerdotibus fieri non possunt : sunt enim functiones, quarum utraque altaris usum requirit, et una alteram impedit; atque reverentiæ ss. Sacramento debitæ neque a celebrante neque a distribuente communionem exhiberi possunt, sicut oportet. Excipiendus tamen est casus, in quo aliud deest altare, et celebrandi occurrit necessitas, v. g. si in ecclesia, in qua unicum est altare, die dominica magna multitudo communionem exspectet, et populus congregatus sit ad missam audiendam. In hoc casu celebranti servanda sunt sequentia : juxta plures auctores (2) se gerit, ac si coram Summo Pontifice celebret; et proinde ter in plano utroque

(1) Conferentiæ ecclesiast. Diœc. Mechl. 1871, Lit. IV.
(2) Janssens, p. 1, II, tit. 15.

Digitized by Google

genu ante ss. Sacramentum genuflectit : 1° in accessu ad altare, 2° in descensu ut missam incipiat, et 3° finita missa ante discessum ab altari ; et bis unico genu : 1° dicta confessione post *Oremus* in plano, antequam ad altare ascendat, dicturus *Aufer a nobis*, et 2° in fine missæ dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, celebrans se convertit ad sacerdotem distribuentem sacram communionem, flectit unico genu, statim surgit, et prosequitur *Pater et Filius* etc. benedicens adstantes a parte, ubi non est sacerdos cum s. pyxide. Item si distributio inchoetur, cum celebrans ad altare pervenerit, antequam dicere inceperit *In nomine Patris*, tunc ad unum aut alterum latus altaris genuflectit utroque genu, donec distributio finita et tabernaculum clausum fuerit, vel saltem donec sacerdos communionem distribuere inceperit, si ea communicantium sit multitudo, ut expectandum non videatur. Si distributio inchoetur finito evangelio ultimo, similiter ad latus altaris genuflectit, donec distributio finita et tabernaculum clausum fuerit ; vel si plures sint communicandi, debitis factis reverentiis discedere potest. Si autem distributio inchoetur, cum celebrans dixerit *In nomine Patris*, tunc sacerdote accedente ad tabernaculum aperiendum, vel ipsemet illud aperit, et pyxidem extrahit, vel genuflectit utroque genu, modo canonem non inceperit ; si enim hunc inceperit, illum prosequitur et non genuflectit ; et si orationem, epistolam, evangelium aut aliam partem inceperit, præstat etiam non genuflectere, donec finierit. In omni autem causu, quo est in medio altaris, aliquantulum e medio recedere potest, nisi per consecrationem, communionem aliamve actionem impediatur. Item semper cavere debet, quantum fieri potest, ne tergum vertat ss. Sacramento.

Distribuenti communionem, sive parocho sive cuilibet alii notanda et servanda sunt sequentia : caveat quantum potest, ne missam interrumpat, nec celebrantem impediat aut perturbet ; ideoque ad altare ascendat ex ea parte, in qua missale non ponitur, et non accedat tempore quo celebrans aliquam exercet actionem, quam interrumpere non potest, sed expectet, donec celebrans e medio commode recedere

Digitized by Google

possit. Infra distributionem solummodo attendat ad Sacramentum, quod in manibus tenet, præterquam sub consecratione et elevatione; tunc non quidem genuflectat, sed se sistat versus altare cum pyxide in manibus, donec peracta sit elevatio (1).

MISSA SOLEMNIS CORAM EXPOSITO SS. SACRAMENTO.

36. 1. Quæ num. 33, dicta sunt de missa privata coram exposito ss. Sacramento, etiam in missa solemni servanda sunt : sic tam diaconus et subdiaconus, quam celebrans, semper cavere debent, ne umquam ss. Sacramento terga vertant; ideoque se vertentes aut descendentes ab altari, se aliquantulum a medio retrahere, et lateraliter seu facie ad medium altaris versa descendere debent. Quamvis autem num. 33 ad 5, dictum sit primam sacerdotis actionem in accessu ad medium altaris esse genuflexionem, aliquando tamen quoad diaconum habetur exceptio, ut dum ante *Pater noster* ad dextram celebrantis accedit, prius calicem discooperit, ut deinde simul cum celebrante genuflectat.

2. Celebrans et ministri in conspectu ss. Sacramenti caput semper detectum habent : unde venientes in ejus conspectum se discooperiunt, et bireta ministris tradunt, vel tenent ante pectus : ac pariter in decessu ab altari se tantum cooperiunt, postquam e conspectu ss. Sacramenti transierint.

3. Celebrans, diaconus et subdiaconus bis flectunt utroque genu cum capitis inclinatione in plano ante infimum gradum altaris, 1° in primo accessu ad altare, quo facto statim missam sine alia inclinatione exordiuntur, et 2° finita missa, antequam ab altari discedant; reliquæ autem genuflexiones infra missam, cum ad altare accedendum vel ab eo recedendum est, fiunt super infimum gradum altaris, et unico tantum genu (2).

(1) Conferentiæ ecclesiast. Diœc. Mechl. 1871, Liturg. III.

(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 47 et 49; Merati p. 2, tit. 14, n. 6 Cavalieri tom. 4, c. 8, § 30, n. 2; Gardellini in instr. Clem. § 30, n. 7.

Digitized by Google

4. Diaconus et subdiaconus semper genuflectunt, ubi in missa sine expositione propter mutationem loci genuflectere vel tantum caput cruci inclinare debent; item per totam missam cum celebrante genuflectunt, quoties ipse celebrans genuflectit. Vid. tom. 1, n. 118, et quoad subdiaconum tenentem patenam n. 322.

5. Quoad oscula certum est hæc esse omittenda ad ministrationem incensi et thuribuli, quandocumque solum ss. Sacramentum est incensandum (1); aliqui autem auctores (2) censent omnia oscula infra missam etiam ad incensationem altaris esse facienda, sicut in missa sine expositione, quia cæremoniale loco cit. tantum agit de casu, quo solum ss. Sacramentum est thurificandum; omnes etiam conveniunt subdiaconum post epistolam et diaconum ante evangelium osculari manum celebrantis, sicut et celebrans debet osculari librum evangeliorum a subdiacono sibi delatum; communiter etiam admittitur, diaconum ad oblationem osculari patenam, calicem et manum celebrantis, et in fine orationis dominicæ patenam et manum; communiter tamen tenetur, omittenda esse oscula manus, cochlearis et thuribuli ad incensationem infra missam exposito ss. Sacramento (3).

Omittuntur reverentiæ et salutationes solitæ quæ fiunt honoris ratione, non autem inclinationes ante et post incensationem, neque ante et post datam pacem.

6. Utraque altaris incensatio peragitur ut in missa sine expositione, his exceptis : scilicet 1° celebrans incensum, quod de more benedicit, imponit non in medio altaris, sed humeris aliquantulum conversis ad cornu evangelii. 2° Crux altaris, si apponatur, non incensatur (4), sed ejus loco ss. Sacramentum incensandum est a celebrante cum diacono et subdiacono utroque genu in suppedaneo seu supremo gradu

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 23, n. 18.

(2) Castaldus lib. 2, s. 2, c. 7, n. 14; Janssens p. II, II, tit. 14, n. 8 et seq.

(3) Bauldry p. 3, c. 17, n. 7 et 8; Merati p. 2, tit. 14, n. 7 et 11; Cavalieri tom. 4, c. 8, § 30, n. 7; Gardellini in instr. Clem. § 30, n. 14.

(4) S. R. C. 29 Nov. 1738, n. 2340, 4.

Digitized by Google

altaris genuflexo (1), cum capitis inclinatione ante et post incensationem, interim circumstantibus omnibus ad altare genuflectentibus (2). Diaconus ad offertorium calicem de medio non amovet, quia nullum est eversionis periculum. 3° Si sanctorum reliquiæ vel imagines per abusum super altare positæ sint, earum incensatio videtur prætermittenda, sicut prætermittitur incensatio crucis. 4° Transeuntes ante medium altaris, omnes, simul ad illud conversi, semper genuflectunt, manu sinistra celebrantis super altare posita : disputatur autem, an sit genuflectendum ante impositionem thuris, antequam descendant ad ss. Sacramentum incensandum, ante et post incensationem oblatorum (3); cum autem juxta regulam generalem genuflectendum sit in quolibet accessu et recessu, convenienter saltem fiet genuflexio in dictis casibus, sicut etiam in accessu ad altare post incensationem ss. Sacramenti : si enim juxta omnes sit genuflectendum ante et post *Dominus vobiscum*, idem in prædictis et fere similibus casibus faciendum esse videtur. 5° Celebrans in fine incensationis thuribulo reddito, descendit e gradibus altaris in planum, ubi faciem versus altare ad populum convertit, ter ut alias incensatur a diacono ex adverso in plano stante, ibique incensatus statim lavat manus. Si tamen adsit consuetudo, ut celebrans, dum incensatur, et lavat manus, stet ut alias in suppedaneo, hæc servanda est, dummodo caveat, ne ss. Sacramento terga vertat (4). Subdiaconus stans ante medium altaris, ante et postquam incensetur, flectit unico genu super infimum gradum altaris, et aliquantulum e medio ad cornu evangelii recedit, dum a diacono incensatur : diaconus stat ad cornu epistolæ, dum subdiaconum incensat, et deinde reddito thuribulo, recedit ad planum laterale in cornu epistolæ, ibique a thuriferario ex adverso stante incensatur (5).

(1) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 2928, 5.
(2) Bauldry p. 2, c. 9, art. 3, n. 3.
(3) Vid. Merati p. 2, tit. 14, n. 7 et 12; Cavalieri tom. 4, cap. 8, § 30, n. 4; Gardellini in instr. Clem. § 30, n. 10 et 11.
(4) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 48.
(5) Merati p. 2, tit. 14, n. 12; Bauldry p. 3, c. 17, n. 12.

Digitized by Google

Thurificatio cleri consueto more peragenda est. Thuriferarius autem populum incensans, non stat in medio, sed ad unum vel alterum latus, ne altari tergum directe vertat.

7. Infra missam exposito ss. Sacramento convenienter non sedetur; sedere tamen licet, sed detecto capite; et pergant celebrans et ministri per breviorem in eundo ad sedilia (1).

8. Subdiaconus post evangelium deferens librum osculandum, licet quidam in medio altaris genuflexionem præscribant, ad nullam tamen reverentiam teneri videtur in venerationem sacri evangelii, uti in missa sine expositione (2); sed post osculum libri, facta celebranti inclinatione, flectit unico genu coram ss. Sacramento, antequam descendat.

9. Diaconus cantat *Ite, Missa est* facie versa ad cornu epistolæ, et se aliquantulum retrahendo versus cornu evangelii.

DE MISSA QUÆ CELEBRATUR CORAM EPISCOPO, PRÆLATO, REGE, ETC.

DE MISSA PRIVATA.

37. Præter Summum Pontificem, de quo hic non agitur, et nisi expositum sit ss. Sacramentum, quando nemini fit reverentia, ut dictum est num. 25 ad XI, debetur in missa specialis reverentia Cardinali ubique terrarum, Nuntio et Legato Sedis Apostolicæ in locis suæ Legationis, Patriarchæ in suo patriarchatu, Archiepiscopo in tota sua provincia, et Episcopo in tota sua diœcesi, etiam in ecclesiis regularium quomodolibet exemptis, nisi illi sint incogniti, vel sine habitu dignitatis assistant (3). Quid si sint extra loca suæ jurisdictionis, vid. infra n. 40.

(1) S. R. C. 12 Jul. 1901, 6.

(2) Gavantus p. 2, tit. 6, rub. 5, p.; Merati ibidem n. 34.

(3) Rub. in ritu celeb. missam tit. III, n. 2, et tit. XII, n. 3; Cærem. Ep. lib. 1, c. 30; Merati p. 2, tit. 3, n. 4. Vid. Praxis Pontif. tom. 1, n. 227.

Digitized by Google

38. Episcopus præsens missæ per alium celebratæ, genuflectit super genuflexorio sibi parato ante medium altaris, vel e regione in cornu epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat (1).

39. Celebrans convenienter accedit ad altare ante adventum Episcopi, et collocato calice atque missali aperto, expectat in plano ad cornu evangelii; Episcopo præsente, vertit se in eodem loco, et profunde inclinatus ipsum salutat; mox erectus expectat, donec Episcopus aliquod signum incipiendi dederit, quo dato, se eidem iterum profunde inclinat, et erectus ac conversus ad altare in cornu evangelii, missam more solito incipit. Si Episcopus celebrantem prævenerit, tunc eo præsente more solito accedit ad altare cum calice et cooperto capite, transiens Episcopum, se eidem inclinat capite cooperto (2); tum accedens ad altare ante infimum gradum ad cornu evangelii, ne tergum vertat Episcopo, caput detegit, et altari debitam facit reverentiam; ascendit ad altare per gradus versus cornu evangelii; collocato calice et missali aperto, more solito descendit per gradus versus cornu evangelii ante infimum gradum, ubi consistens versus cornu evangelii, debitam altari facit reverentiam; deinde conversus ad Episcopum, se ei profunde inclinat, et statim erectus expectat signum incipiendi, quo dato iterum profunde eidem se inclinat; erectus et conversus ad altare in cornu evangelii, more solito missam incipit (3).

Si calix et missale super altare sint parata, antequam Episcopus adveniat, tunc in transitu Episcopi capite detecto se ei inclinat, et deinde accedens ad altare in cornu evangelii, biretum deponit, altari debitam facit reverentiam, et tum conversus ad Episcopum, se ei inclinat; accepto signo incipiendi, iterum se ei inclinat, atque missam incipit.

Si Episcopus genuflecteret ad cornu evangelii, in hoc casu celebrans posset ascendere ad altare, et descendere per gradus versus cornu epistolæ, atque missam incipere ante infimum

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 30, n. 1.
(2) Cærem. Ep. lib. 1, c. 18, n. 13.
(3) Rit. celeb. m. tit. III, n. 2.

Digitized by Google

gradum ad cornu epistolæ, vel etiam in medio altaris, si Episcopus genuflecteret in tali loco, ut celebrans ei tergum nullatenus verteret.

Minister in hac missa sicut alias genuflectit, scilicet sub confessione ad sinistram celebrantis; quantum autem fieri potest, cavere debet, ne tergum Episcopo vertat; cum ab una parte ad alteram perrecturus est, non transit ante Episcopum, sed post ipsum; et dum reverentia ei facienda est, genuflectere tenetur.

2. Ubi Celebrans in *Confiteor* dicit *vobis, fratres* et *vos, fratres,* dicere debet *tibi, Pater* et *te, Pater,* se convertendo ad Episcopum, eique se profunde inclinando; more autem solito deinde dicit *Misereatur* et *Indulgentiam.* Minister semper dicit *tibi, Pater* et *te, Pater* aliquantulum conversus ad celebrantem (1).

3. Dicto *Oremus* post *Confiteor* ante *Aufer a nobis,* sacerdos se convertit ad Episcopum, ei se profunde inclinat, et deinde reversus ad medium altaris ante infimum gradum secreto incipiens *Aufer a nobis,* accedit ad altare, et missam prosequitur ut alias (2).

4. Finito evangelio, celebrans non osculatur librum, nec dicit *Per evangelica dicta;* sed ipso celebrante ad medium altaris accedente et incipiente *Credo,* vel expectante, donec liber ad altare reportatus sit, capellanus Episcopi superpelliceo indutus (3) defert missale apertum ad Episcopum, initium evangelii ei ostendens, nullam autem reverentiam faciens nisi postquam Episcopus initium evangelii osculatus fuerit, quando librum claudit, Episcopo genuflectit et librum reportat ad altare, eumdem aperiendo, ubi erat apertus. Si autem Episcopus non habeat capellanum superpelliceo indutum, tunc minister, qui missæ inservit, missale ad Episcopum defert (4).

(1) Ritu celeb. m. tit. III, n. 8 et 9.
(2) Ritu celeb. m. tit. III, n. 11.
(3) Cærem. Ep. lib. 1, c. 30, n. 1.
(4) Rub. rit. celeb. m. tit. VI, n. 2; Merati p. 2, tit. 14, n. 21 ad 6.

Digitized by Google

Liber defertur osculandus juxta rubricas citatas cuilibet Prælatorum; id est juxta cæremoniale Ep. (1) uni tantum si plures adsint, et quidem digniori omnium solummodo, nulli vero, si plures adsint æquales. Si plures adsint æquales, et nullus librum osculetur, celebrans tamen tunc etiam nec librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta.*

5. Pax Episcopo datur cum instrumento eo modo, quo dictum est tom. I, n. 263. Si plures adsint Prælati, primo datur digniori, deinde aliis juxta ordinem (2). Si plures adsint æquales, datur primo illi, qui primum locum occupat, vel ei qui est proximus altari, et aliis successive.

6. In fine missæ celebrans dicit more solito : *Benedicat vos omnipotens Deus*, sed conversus ad populum, antequam benedicat, caput Episcopo profunde inclinat, quasi licentiam benedicendi petens; capite autem erecto prosequitur *Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, benedicens adstantes a parte, ubi non adest Episcopus, scilicet ex parte cornu evangelii, si Episcopus sit in medio vel ex parte epistolæ (3).

7. Finito ultimo evangelio, celebrans in cornu evangelii persistens, se convertit ad Episcopum, eique caput inclinat; deinde vel exspectat donec Episcopus discesserit, vel facta cruci altaris reverentia, calicem accipit, et more solito discedit Episcopo in transitu caput inclinando.

40. Nulla reverentia infra missam debetur aliis Prælatis, qui sunt inferiores illis, de quibus dictum est supra n. 37, neque etiam Nuntio aut Legato extra locum legationis, Patriarchæ extra patriarchatum, Archiepiscopo extra suam provinciam, et Episcopo extra suam diœcesim, ita ut celebrans coram iisdem se gerere debeat, ac si illi non adessent (4); nisi contingat celebrare coram Episcopo proprio, in ipsius privato oratorio et ad solam ejusdem familiæ præsentiam (5).

(1) Lib. 1, c. 30, n. 3.
(2) Cærem. loco cit.
(3) Rub. in ritu celeb. m. tit. XII, n. 3.
(4) Rub. in ritu celeb. m. tit. III, n. 2 et 8; et tit. XII, n. 3, S. R. C. 13 Octob. 1648, n. 367; Cærem. Ep. lib. 1, c. 30, n. 4.
(5) Merati p. 2, tit. 3, n. 4.

Digitized by Google

Semper tamen convenire videtur, ut celebrans in præsentia Prælatorum, quibus alias reverentia debetur, transiens ante ipsos in accessu et recessu ab altari, iisdem capite cooperto faciat reverentiam (1).

41. Infra missam non debetur aliqua reverentia regibus, principibus, dominis loci, aut magistratui (2). Quapropter, præsente etiam rege, celebranti confessionem a cornu epistolæ facere non licet (3). Extra actum autem missæ iisdem reverentiam exhibere non prohibetur : adeoque si talis sit consuetudo, potest sacerdos in accessu ad altare et recessu ab eodem, illos capitis inclinatione salutare, plus minusve prout eorum dignitas postulat (4).

DE MISSA SOLEMNI CORAM EPISCOPO, ETC.

42. Not. hæc omnia longe et singulatim proponi in Praxi Pontificali tom. 2, n. 140. Item hic agi de missa solemni quæ celebratur extra ecclesiam cathedralem coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in ecclesiis eorum jurisdictionis (5) : si enim missa solemnis coram Episcopis extraneis celebretur, omnia fere ita peragenda sunt, ac si præsentes non essent. Ante tamen et post missam nudo capite in transitu salutandi sunt (6).

Episcopus triplici modo missæ solemni assistere potest : 1° in primo stallo chori, 2° in sede episcopali, 3° paratus sacris paramentis.

Si in choro existat, etiamsi rochetto et mozzetta sit indutus, tunc celebrans benedicit incensum, aquam, diaconum,

(1) Merati p. 2, tit. 14, n. 21, in fine.
(2) S. R. C. 29 Mart. 1659, n. 1114.
(3) S. R. C. 18 Ap. 1643, n. 835.
(4) Vid. tom. I, n. 200; Merati p. 2, tit. 3, n. 5, et tit. 12, n. 8; Quarti p. 2, tit. 12, exp. litt. quinto.
(5) Rit. celeb. m. tit. III, n. 2 et 3, Vid. n. 37 et 40.
(6) Catalanus in cærem. lib. 2, c. 9, § 9, n. 29.

Digitized by Google

subdiaconum et populum. Illæ autem reverentiæ, quæ in missa privata Episcopo exhibentur, in hoc casu eidem etiam deferendæ videntur, saltem si non longe ab altari existat (1).

43. 1. Si Episcopus in sede assistat, hæc sedes, si fieri possit paranda est a latere evangelii, si situs loci id patiatur, alta a solo tribus gradibus qui tapetibus teguntur, et super eam umbraculum seu baldachinum appendi potest, dummodo et super altare aliud simile vel etiam sumptuosius appendatur (2). Ante medium altaris collocatur faldistorium seu genuflexorium amovibile, tapete coopertum et cum pulvinis.

2. Dum quidquam porrigitur Prælato, porrigens prius osculatur rem, quam porrigit, et einde manum Prælati; recipiens autem prius osculatur manum Prælati, et deinde rem, quam recipit (3).

3. Eadem reverentia, quæ cruci summi altaris exhibetur, generaliter exhibenda est Prælato ob ejus dignitatem et præcellentiam præ aliis clericis et ipsomet celebrante : non enim hic fit comparatio Prælati cum cruce sed cum clericis, a quibus sicut dignitate distinguitur, sic etiam majori reverentia honoratur. Unde celebrans, quotiescumque Prælato reverentiam facere tenetur, profundam corporis inclinationem exhibere debet. Diaconus autem et subdiaconus, omnesque alii genuflectere tenentur unico genu, exceptis canonicis ecclesiæ cathedralis, qui sese tantum profunde inclinant; sicut in cæremoniali Ep. (4) expresse præscribitur, et diacono et subdiacono in rubricis missalis genuflexio ante crucem sæpius præscribitur, et uti omnes transeundo tum ante altare quam ante Episcopum juxta cæremoniale Ep. genuflectere debent (5). Si alicubi habeatur consuetudo non genuflectendi, sed sese tantum inclinandi ante crucem altaris; non conveniret quoque, majorem reverentiam Prælato, quam cruci facere.

(1) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 2, n. 142.
(2) Cærem. Ep. l. 1, c. 13, n. 3; S. R. C. 10 Maji 1642, n. 791.
(3) Cærem. Ep. lib. 1, c. 18, n. 16.
(4) Lib. 1, c. 18, n. 3.
(5) Loco cit. vid. tom. I, n. 118 et 119.

Digitized by Google

Not. « Cum aliquis transeundo ante celebrantem, altare et Episcopum, facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis... ita ut reverentia fieri debeat primo ei, a quo disceditur, et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major » (1).

4. Dum Prælatus ad ecclesiam venturus est, tunc clerici illius ecclesiæ vel loci in habitu chorali accedunt ad locum, a quo Prælatus deducendus est, nisi maxime distet, quo casu eum excipiunt vel extra portam ecclesiæ vel in alio loco designato. Si Prælatus sit Archiepiscopus, Archiepiscopo major, aut alius habens privilegium, crux archiepiscopalis immediate ante eumdem defertur, cum imagine Crucifixi ad Prælatum versa.

Ad portam aut introitum ecclesiæ dignior e clero illius ecclesiæ, ad quam Prælatus accedit, in habitu chorali sine stola (2) porrigit Prælato aspersorium aquæ benedictæ, etiamsi adsit aliquis canonicus vel dignitas cathedralis (3). Dignior sacerdos genuflectens (4), porrigit aspersorium cum debitis osculis. Prælatus aspergit primo seipsum, deinde digniorem sacerdotem et alios clericos genuflexos. Postea aspersorium a præfato digniori eodem modo et cum osculis recipitur.

5. Episcopo loci ordinario, sed nulli altari, in habitu chorali assistunt tres canonici ecclesiæ cathedralis, si adsint, scilicet presbyter assistens et duo diaconi, et diaconis deficientibus duo presbyteri (5). Si non adsint canonici, nemo assistit, nisi Episcopus velit uti aliorum sacerdotum assistentia (6).

Presbyteri assistentis officium est ministrare Episcopo naviculam incensi, eumdem thurificare, accipere pacem eamque deferre Episcopo. A finita confessione usque ad initium

(1) Cærem. Ep. loco cit. n. 13.
(2) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 3009, 9.
(3) Vid. Praxis Pontificalis. tom. I, n. 129.
(4) Merati p. 2, tit. 14, n. 25.
(5) Cærem. Ep. lib. I, c. 7, n. 7; c. 8, n. 1 et 4, et lib. 2, c. 9, n. 2 et 4.
(6) Vid. Prax. Pontif., tom. 2, n. 156.

Digitized by Google

præfationis habet locum in scabello prope sedem Episcopi ante ipsius faciem a dextris vel a sinistris, prout loci situs patitur, regulariter tamen a dextris, dummodo neque altari neque Episcopo tergum vertat, sed semiconversus maneat. Alio tempore accedit ad locum suum in choro (1).

Duo diaconi aut presbyteri regulariter assistunt, unus a dextris et alter a sinistris Episcopi. Quamdiu Episcopus, antequam missa inchoetur, genuflectit super scabellum ante altare paratum, ipsi quoque genuflectunt a lateribus ejus hinc inde; ubi Episcopus ad sedem suam accedit, ipsi eum comitantur, et cum eodem sedent aut stant, uti tom. I, n. 146 dictum est. Cum Episcopo alternatim dicunt *Kyrie, eleison,* et cum eodem submissa voce recitant *Gloria, Credo, Sanctus* ad *Benedictus* se signando, et *Agnus Dei* pectus suum percutiendo. Episcopo ex libro aliquid legente, ipsi diaconi hinc inde apponunt manus super librum, primus volvit folium, et alter digito indicat textum, qui legi debet. Si Episcopus paratus assistat, ipsi anteriores pluvialis fimbrias hinc inde elevant, dum opus est, et specialiter ei serviunt in ponendo et auferendo mitram (2).

6. Celebrans cum ministris ante adventum Prælati more solito ad altare accedit (3); in scamno ad cornu epistolæ sedet; ut primum vidit Prælatum venientem, surgit, eique super genuflexorium procumbenti debitam cum ministris facit reverentiam. Deinde dum Prælatus orat, vadit detecto capite junctisque manibus, præcedentibus diacono et subdiacono, per partem lateralem epistolæ retro post Prælatum versus ejus sinistram. Tunc surgit Prælatus, et se sistit ante medium altaris, celebrans autem a sinistris ejus paulo post eum. Assistens celebrantis, si habeatur, diaconus et subdiaconus stant post Episcopum et celebrantem, seu paulo post a latere sinistro; assistentes autem Prælati manent a tergo Episcopi et celebrantis, seu paulo post a latere dextro (4).

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 7, n. 2 et 7. Vid. Praxis Pontif. tom. 2, n. 159.
(2) Cærem. Ep. lib. 1, c. 8; Praxis Pontif. tom. 2. n. 160.
(3) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 2, n. 143-154.
(4) S. R. C. 14 Nov. 1676, n. 1583, 6; 12 Nov. 1831, n. 2682, 15; Merati p. 2, tit. 14, n. 25.

Digitized by Google

Debita facta reverentia altari et Prælato, ipsemet Prælatus incipit missam, et recitat ea quæ sunt celebranti propria, ac si ipse missam celebraret, cui celebrans respondet (1). Diaconi assistentes, diaconus et subdiaconus missæ Prælato non respondent, sed inter se bini et bini confessionem recitant.

7. Finita confessione, celebrans se retrahit, et se constituit inter diaconum et subdiaconum, ut locum præbeat Prælato cum suis assistentibus ad sedem accedenti; eidem transeunti debitam cum ministris facit reverentiam; deinde ad gradus altaris accedit, more solito incipit *Aufer a nobis*, et cum ministris ad altare ascendit. Ad altaris incensationem expectat, quousque thuribulum allatum fuerit.

8. Si Prælatus non habeat presbyterum assistentem, diaconus antequam cum celebrante ad altare ascendat, et thuriferarius, comite cæremoniario, facta reverentia altari, accedunt ad Prælatum, ei faciendo reverentiam prius ante gradus sedis, et deinde iterum dum gradus ascenderunt. Prælatus imponit incensum cum benedictione, diacono ministrante naviculam, et offerente cochlear, observando oscula et dicendo *Benedicite, Pater reverendissime.* Thuriferarius ministrat thuribulum genuflexus. Imposito et benedicto incenso diaconus et thuriferarius ad altare cum debitis reverentiis recedunt; ibique diaconus, accepto thuribulo, illud sine osculis propter præsentiam Prælati tradit celebranti, qui incensat altare more solito, sed in fine duplici tantum ductu a diacono incensatur. Prælatus hic non incensatur, nisi missæ assistat paratus cum pluviali et mitra; et tunc incensato celebrante, a diacono ter incensatur. Si Episcopus habeat presbyterum assistentem, diaconus ab altari non recedit, sed solus thuriferarius cum thuribulo ad Episcopum accedit, et presbyter assistens ministrat ad impositionem incensi, et in fine Episcopum incensat.

9. Prælatus eodem tempore cum celebrante legit ex libro, quem aliquis minister cum debitis reverentiis affert, et super capite apertum tenet : 1° introitum, 2° epistolam, graduale,

(1) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1275, 7.

Digitized by Google

etc. usque ad evangelium inclusive, 3° offertorium, 4° antiphonam quæ dicitur communio. Eodem tempore ad Prælatum regulariter quoque accedit alter minister, qui parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *Bugiam* vocant, cum candela desuper accensa, tenet ad dextram Episcopi seu sinistram librum tenentis.

10. Si celebrans et ministri sedeant infra cantum *Gloria* et *Credo*, omnes sedere debent ad cornu epistolæ, accedunt ad sedes per viam breviorem, sed per viam longiorem redeuntes Prælato et altari debitam faciunt reverentiam.

11. Antequam subdiaconus epistolam cantet, reverentiam altari et Prælato facere debet; cantata vero epistola, et facta in medio altaris debita reverentia, accedit ad Prælatum cum debita reverentia facienda ante gradus solii episcopalis, et deinde genuflexus ante eum, osculatur manum ejus super libro positam; benedictione accepta surgit, iterumque facta reverentia, redit ad altare, ubi facta reverentia, reliqua facit more solito.

12. Diaconus librum evangeliorum more solito defert ad altare, faciendo Prælato reverentiam. Recitato a Prælato evangelio, per viam breviorem cum reverentiis debitis ad eum accedit, et genuflexus manum ejus osculatur. Reversus ad altare, genuflexus super infimo ejus gradu in medio, dicit *Munda cor meum;* tum surgens resumit librum de altari cum debitis reverentiis, et si nondum sit tempus eundi ad cantandum evangelium, apud altare in plano ad cornu epistolæ expectat. Dum tempus est, facta prius altari reverentia, accedunt ad Prælatum cæremoniarius, mox thuriferarius, tum ceroferarii, deinde subdiaconus manibus junctis, ultimo diaconus librum evangeliorum clausum ante pectus portans; diaconus facta reverentia Prælato, genuflexus ante eum dicit *Jube, Domne, benedicere;* reliqui interim in plano permanent genuflexi. Post acceptam benedictionem, diaconus et reliqui surgentes, reverentiam Prælato renovant, et statim eodem ordine procedunt ad evangelium more solito cantandum. Subdiaconus autem et ceroferarii vertunt renes non quidem altari, sed versus partem, quæ pro aquilone figuratur, ne Prælato tergum vertant.

Digitized by Google

Si Episcopus non habeat presbyterum assistentem, tunc diaconus immediate post osculum manus ante orationem *Munda cor* Episcopo ministrat naviculam et cochlear ad impositionem thuris, ut dictum est supra ad 8; quo facto cum thuriferario ad altare revertitur, et omnia facit ut supra. Si adsit presbyter assistens, discedente diacono post osculum manus, solus thuriferarius accedit ad Episcopum; imposito et benedicto incenso, thuriferarius cum debitis reverentiis ad gradus altaris discedit.

13. Cantato evangelio, subdiaconus defert librum evangeliorum apertum ad Prælatum, cui non facit reverentiam, nisi post osculum libri. Interea celebrans, qui non osculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta*, a diacono duplici ductu thurificatur, non autem Episcopus, nisi missæ assistat paratus cum pluviali et mitra; in quo casu Episcopus solus hic triplici ductu incensatur a diacono, si non adsit presbyter assistens.

14. Subdiaconus, cum diaconus imposuerit vinum in calicem, elevat in cornu epistolæ ampullam aquæ coram Prælato, eique debitam reverentiam faciens, dicit : *Benedicite, Pater reverendissime.* Sacerdos interim de more dicit : *Deus, qui humanæ substantiæ* etc. sed sine benedictione.

15. Facta oblatione calicis et patena subdiacono tradita, diaconus quoad impositionem thuris se gerit, ut dictum est supra ad 8. Notandum tamen post celebrantem, qui duplici tantum ductu incensatur, Episcopum hic semper ter esse incensandum a presbytero assistente, si adsit, et alias a diacono, etiamsi sine pluviali et mitra assistat. Quamvis autem presbyter assistat, et Prælatum incenset, diaconus equidem, comitante cæremoniario, thuribulum ad eum defert cum debitis reverentiis Prælato faciendis. Diaconus recepto thuribulo a presbytero assistente, eumdem mox incensat, tum assistentem a dextris, et deinde assistentem a sinistris, duplici ductu si sint canonici et alias unico tantum ductu, debitam Prælato faciens reverentiam, dum ante eum transit. Si non adsit presbyter assistens, diaconus cum debitis reverentiis incensat Episcopum triplici ductu, et deinde utrumque

Digitized by Google

assistentem. Tum incensat chorum si habeatur, sed omnes unico ductu tantum, exceptis canonicis ecclesiæ cathedralis, si qui sint, qui duplici ductu incensantur. Reversus ad altare, bis incensat sacerdotem assistentem celebrantis, si detur, et subdiaconum; tum tradito thuribulo, ipse bis incensatur a thuriferario.

16. Ad elevationem Prælatus genuflectit super genuflexorium ante medium altaris, si convenienter fieri possit; et alias in loco suo super cussinum ad id paratum. Si ante medium altaris genuflectat, tunc subdiaconus infra consecrationem genuflectit super infimum gradum versus cornu epistolæ.

17. Dicto *Agnus Dei*, si Prælatus presbyterum assistentem non habeat, diaconus pacem a celebrante acceptam, immediate defert ad Prælatum, nullam ei faciens reverentiam nisi post datam pacem; et reversus ad altare, eam dat subdiacono, qui eam reliquis distribuit : si autem alius sacerdos celebranti assistat, ille pacem a celebrante acceptam similiter defert ad Episcopum, et deinde ad diaconum et reliquos in choro : diaconus dat pacem subdiacono, et Prælatus in utroque casu acceptam pacem dat suis assistentibus. Si vero Prælatus presbyterum assistentem habeat, tunc neque assistens celebrantis, neque diaconus, sed solus presbyter pacem a celebrante accipit, eamque ad Episcopum defert; presbyter assistens, pace Prælato data, ad locum suum in choro revertitur, ibique pacem dat subdiacono (vel assistenti celebrantis, si adsit), qui interea huc venit, quique deinde pacem in choro more solito distribuit, et reversus ad altare eam dat diacono, et deinde acolytho seu cæremoniario, qui illum comitatus fuit.

18. Dicta oratione *Placeat*, celebrans non dicit *Benedicat vos* etc. nec benedicit populo; sed immediate se retrahit cum ministris ad cornu epistolæ, faciem suam vertendo ad Episcopum, eique caput profunde inclinando, dum Episcopus solemniter benedicit; diaconus vero a sinistris celebrantis, et subdiaconus a sinistris diaconi flectunt utroque genu, sicut reliqui omnes in suis locis, exceptis canonicis ecclesiæ

Digitized by Google

cathedralis. Data benedictione celebrans annuntiat seu prælegit indulgentias, si Episcopo visum fuerit. Deinde celebrans et ministri accedunt cum debitis reverentiis per medium altaris ad cornu evangelii, ibique celebrans de more legit evangelium. Si Prælatus sit Archiepiscopus vel alius qui utitur cruce, clericus genuflexus tenet crucem ante eum infra benedictionem.

19. Evangelio lecto, celebrans et ministri in cornu evangelii persistentes, se convertunt ad Prælatum, eique debitam reverentiam exhibent. Deinde vel ibidem ad altare expectant, donec Prælatus discesserit; vel per viam breviorem ad scamnum in cornu epistolae accedunt, ibique persistunt, quousque recesserit; vel reverentia altari facta ad sacristiam discedunt, in transitu reverentiam Prælato faciendo.

20. Prælatum ecclesia exeuntem comitantur presbyteri et clerici, eodem modo ut in accessu ad ecclesiam.

21. Si Prælatus missæ solemni paratus assistat (1), tunc super altare parantur pluviale, stola, cingulum, alba et amictus; baculus in loco opportuno prope altare vel prope sedem Prælati; mitra, missale et instrumentum quod bugia vocatur in credentia.

Prælatus post orationem ante altare factam accedit ad solium, ibique stans induitur paramentis sacris, quæ ex altari afferuntur ab acolythis cum debitis altari et Prælato genuflexionibus. Deinde acceptis mitra et baculo pastorali accedit ad altare, ubi baculum et mitram deponit; post confessionem autem resumit, iturus ad sedem, quo cum venerit, baculum deponit. Incensatis altari et celebrante ante introitum, diaconus, nisi Prælatus presbyterum assistentem habeat, vadit ad Prælatum, eumque stantem cum mitra, triplici ductu incensat. Incensato Prælato deponitur mitra et eo sedente ad *Gloria* imponitur. Priusquam dicatur *Dominus vobiscum*, mitra aufertur, et finita conclusione postremæ orationis iterum imponitur. Dum cantatur *Dominus vobiscum* ante evangelium, deposita mitra, Prælatus accipit baculum, eumque

(1) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 2, n. 155.

Digitized by Google

deponit in fine cantus evangelii ante osculum libri : finito evangelio, diaconus cum thuriferario vadit ad Prælatum, quem stantem sine mitra ter incensat. Deinde dum sedet infra symbolum, mitra imponitur ; et deponitur circa finem cantus, antequam surgat. Offertorio lecto, Episcopo sedenti mitra iterum imponitur, et ad præfationem tantum aufertur. Ante consecrationem, acceptis mitra et baculo descendit ad genuflexorium ante altare, ubi deposito baculo genuflectit, et genuflexo mitra aufertur ; facta elevatione, surgit, et assumptis mitra et baculo revertitur ad sedem, ubi deponit baculum et mitram. Post sumptionem ss. Sacramenti accipit mitram, eamque deponit ad *Dominus vobiscum*. Dum celebrans legit *Placeat*, assumit mitram, nisi sit Archiepiscopus vel alius utens cruce, et dum solemniter benedicit, accipit etiam baculum, antequam incipiat producere signum crucis. Benedictione data et publicata indulgentia mitram deponit, et stat cum solo baculo ad evangelium. Finita missa apud sedem suam exuitur sacris vestibus.

45. Diebus dominicis, in quibus ante missam fit aspersio aquæ benedictæ, celebrans cantat antiphonam *Asperges me* vel *Vidi aquam*, aspergens altare tantum ; et statim surgens, manentibus diacono et subdiacono genuflexis apud altare, cum cæremoniario et acolytho de aqua benedicta accedit ad Episcopum, cui aspersorium cum debitis reverentiis et osculis porrigit, cæremoniario et acolytho interim genuflectentibus usque ad reditum ad altare ; ipse vero Episcopus primo seipsum, tum celebrantem stantem capite inclinato, postea assistentes et solii ministros aspergit, et deinde aspersorium celebranti reddit ; qui illud cum debitis osculis recipit, et facta reverentia Prælato, rediens ad altare, aspergit diaconum et subdiaconum, clericos et populum more solito, Prælato reverentiam faciendo, dum ante eum transit. Diaconus autem et subdiaconus ad altare permanent, et solus cæremoniarius et acolythus cum aqua benedicta celebrantem comitantur (1).

46. Dum Prælatus interest vesperis solemniter cantatis,

(1) Vid. Praxis Pontificalis, tom. 3, n. 198.

Digitized by Google

in accessu ad altare celebrans cum ministris debitam facit reverentiam Prælato, et antequam cantet *Deus in adjutorium*, iterum profundam inclinationem ad petendam licentiam incipiendi. Dum cantatur antiphona ante *Magnificat*, thuriferarius accedit ad Prælatum genuflectens; dignior vero ex presbyteris offert naviculam et cochlear cum solitis osculis ut infra missam. Incepto cantico *Magnificat*, celebrans facit reverentiam Prælato, thurificat altare more solito, et in fine duplici ductu incensatur. Deinde thuriferarius vadit cum thuribulo ad Prælatum, qui incensatur a presbytero assistente triplici ductu; et demum omnes suo ordine thurificantur. Dicto per chorum *Benedicamus Domino*, Episcopus solemniter benedicit, ut in fine missæ : celebrans interea stat profunde inclinatus versus Episcopum, et reliqui, qui non sunt canonici ecclesiæ cathedralis, genuflectunt. Indulgentiæ in vesperis numquam publicantur. Finitis vesperis celebrans facta reverentia altari et Episcopo redit ad sacristiam (1).

47. Dum Episcopus interest benedictioni ss. Sacramenti, genuflectere potest in primo stallo chori vel super genuflexorium sibi paratum ante medium altaris, vel potius, ne terga ei vertantur, e regione in cornu epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat, ut dictum est n. 38. Non opus est, ut duo diaconi vel presbyteri ei assistant. Celebrans et ministri in accessu ad altare et iterum in recessu ad sacristiam debitam Episcopo faciunt reverentiam, modo ss. Secramentum non sit expositum. Quamdiu expositum manet, genuflectunt in medio ante altare etiamsi terga vertant Episcopo. Si Episcopus cappa magna sit indutus, ipsemet incensum imponere et ss. Sacramentum thurificare debet, ministrante digniori canonico vel alias primo assistente celebrantis, sed sine osculis et sine benedictione; si autem Episcopus cappa non sit indutus, celebrans thus imponit, et ss. Sacramentum incensat. Celebrans benedicit cum ss. Sacramento tam Episcopum quam reliquos, quia ipse Christus est, qui benedicit (2).

---

(1) Praxis Pontificalis, tom. 2, n. 29.

(2) S. R. C. 26 Aug. 1702, n. 2102 et 31 Mart. 1703, n. 2106; 12 Jul. 1855, n. 3035, 6; Vid. Praxis Pontif., tom. III, n. 239.

Digitized by Google

MISSA PRIVATA CELEBRANDA AB EPISCOPO.

48. 1. Cum Episcopus celebrabit missam privatam, convenit ut paramenta missæ non in sacristia (nisi ss. Sacramentum in altari sit expositum) sed ex ipso altari, in quo celebrabit, accipiat (1).

2. Ante altare paratur faldistorium seu genuflexorium; in medio altaris casula, stola, cingulum, alba, amictus et in missa de Requiem etiam manipulus : in credentia calix, manipulus, mantilia pro ablutione Episcopi, bugia et alia necessaria. Indumentis pontificalibus Episcopus non utitur in missis privatis præter crucem pectoralem (quam accipit ante stolam) et annulum. Manipulum Episcopus non accipit ante stolam, nisi in missis defunctorum sed accipit ad altare, cum in confessione dicit *Indulgentiam* (2) : quapropter assistens a sinistris manipulum infra confessionem tenet, et ad *Indulgentiam*, facta cruce, cum debitis reverentiis offert Episcopo osculandum, et ejus brachio imponit.

Tabellæ ab altari amoventur. Paramentis sacris ex eo sublatis, canon episcopalis in locum mediæ tabellæ apertus ponitur. Finitis secretis missale tollitur, et ejus loco canon episcopalis super pulpitum collocatur usque ad communionem, ante cujus lectionem missale reponitur.

Mozzetta Episcopi celebrantis in sua diœcesi ponitur expansa super faldistorium, ita ut ejus caputium sit versus altare, ibique etiam ponitur ejus biretum. Extra diœcesim ejus mantellettum ponitur plicatum super aliquam mensam vel in alium locum congruum (3).

3. Episcopus ter lavat manus, semel antequam paramenta accipiat, et bis infra missam in cornu epistolæ, videlicet post offertorium et post communionem sumpta ablutione digitorum; et semper in lotione familiaris aliquis ministrat aquam et pelvim, capellani vero mantile (4).

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 29, n. 1; Vid. Praxis Pontif., tom. 1, n. 221-226;
(2) Rub. miss. in ritu celeb. m. tit. 1, n. 4.
(3) Venitor p. 7. tit. 27, n. 15.
(4) Cærem. loco cit. n. 1 et 10.

Digitized by Google

4. In festis solemnibus decet in altari apponi quatuor candelabra cum candelis accensis; in aliis festis non ita solemnibus et feriis sufficiunt duo candelabra (1).

5. Valde convenit, ut Episcopus duos saltem capellanos, cottis, non autem stola (2), indutos apud se ministrantes habeat, qui omnia disponere sciunt et possunt (3); qui eum induunt cum osculis et debitis reverentiis altari et episcopo faciendis; qui ei serviunt in respondendo, in transferendo librum, cooperiendo et discooperiendo calicem, in porrigendo mantile, cum lavat manus, in ministrando ampullas, et in cæteris omnibus faciendis usque ad finem missæ necessariis (4). Iidem ad offertorium afferunt calicem, eumdem detegunt, et extergunt; porrigunt patenam cum osculis; infundunt vinum et aquam, ampullam aquæ Episcopo ostendendo et dicendo *benodicite, Pater reverendissime,* pariterque porrigunt calicem cum osculis. Post sumptionem ablutionis digitorum alteruter extergit calicem, eumdem cooperit, et defert ad credentiam, prout diaconus et subdiaconus in missa solemni faciunt (5).

6. Isti capellani Episcopo hinc inde assistunt, alter ad dextram, alter ad sinistram (6); juxta plures autem, nisi ministerium alium locum exigat, assistunt quidem unus a dextris et alter a sinistris, quamdiu Episcopus est in medio altaris; ad cornu vero epistolæ stant a dextris Episcopi, et contra ad cornu evangelii a sinistris ejus; ita ut Episcopus semper sit omnium proximus medio altaris. Qui ei proxime a latere ad librum assistit, tenet bugiam, in qua sit candelula accensa, quam tamen in casu impedimenti super altare deponere potest. Genuflectunt ad elevationem, et nisi alteruter saltem sit canonicus, etiam ad confessionem et benedictionem in finæ missæ.

(1) Cærem. n. 4.
(2) S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2741.
(3) Cærem. n. 2.
(4) Cærem. n. 5.
(5) Dumoulin p. 1, de off. horum Capell. n. 17, 18, 19 et 24.
(6) Catalanus in cærem. l. 1, c. 29, § 5.

Digitized by Google

7. In finæ missæ Episcopus dat benedictionem more episcopali, dicens : *Sit nomen Domini benedictum*, R. *Ex hoc nunc et usque in sæculum; Adjutorium nostrum in nomine Domini*, R. *qui fecit cælum et terram;* deinde *Benedicat vos*, etc. sed non utitur baculo, nec mitra, nec cruce si sit Archiepiscopus (1).

8. Finita missa, Episcopus exuit paramenta ad altare, ministrantibus capellanis et eadem deponentibus super altare cum debitis reverentiis altari et Episcopo faciendis. Deinde Episcopus assumit mozzettam, crucem pectoralem et biretum.

49. Not. prædicta minime convenire Abbatibus, prælatis aliisque quibuscumque, qui Episcopo sunt inferiores, hosque omnes in missis privatis quoad indumenta, cæremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem a simplici sacerdote distingui non posse. « Ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altari adhibeant » (2). « Ipsique calicem deferant, detegant, cooperiant : item libri missarum folia evolvant » (3).

EXPLICATIO LITTERALIS ET MYSTICA RITUUM ET CÆREMONIARUM MISSÆ PRIVATÆ ET SOLEMNIS.

AB INITIO MISSÆ USQUE AD *AUFER A NOBIS.*

Sicut sacerdoti necessaria est notitia rituum et cæremoniarum, ne opus Domini faciat fraudulenter; sic et eorum sensus tum litteralis, tum mystici notitia, quæ devotioni inte-

(1) Cærem. loco cit. n. 11. S. R. C. 20 Junii 1899, 3.

(2) S. R. C. 27 Sept. 1659, n. 1132, 21, et 27 Aug. 1822, n. 2624, 24.

(3) S. R. C. 9 Junii 1818, n. 2583, 6. Vid. Gardellini in dec. 2578, ad 6 in vol. IV decr. p. 161.

Digitized by Google

riori excitandæ multum conducit, necessaria dicenda est, ne ipse devotione destitutus, labiis Deum honoret, et cor ejus longe sit ab eo. In hunc finem brevis hæc explicatio litteralis et mystica subjungitur.

50. Sacerdos missam incipiens, se profunde inclinat, aut genuflectit, ut se coram Deo humiliet, eum adoret, honoret, sicque ejus gratiis dignus efficiatur.

Se signat cruce, ut sicut christiani a primo Ecclesiæ tempore ante omnia opera sua se signabant, sic ipse sanctissimum hoc opus exordiatur a cruce, fonte omnis benedictionis, et in nomine ss. Trinitatis, in cujus honorem cuncta referenda sunt. Non est dubium, quin crucis formatio multum valeat, si exacte, attente et devote formetur : quod notare deberent illi, qui crucem tam negligenter faciunt, ut nec humeros nec frontem tangant; et crucem quam parvam formant absque ullo tactu physico terminorum crucis, imo celerrime absolvunt absque ulla crucis specie, quasi muscas a se averterent. Non mirum igitur, si hi gratiæ detrimentum patiantur.

In fine crucis additur *Amen*, quod significat *ita est* vel *ita sit*, et sumitur, ut patet, assertive et optative : scilicet ordinarie assertive, quando sensum præcedit; et optative, quando, ut hic, sensum sequitur, quo casu tunc summatim sensum resumimus, et erga eumdem desiderium et affectum nostrum renovamus.

Post signum crucis sacerdos jungit manus ante pectus præ humilitate et devotione in modum supplicis, sicut decet Deum orantem, et pollices super se invicem ponit in modum crucis, ut ejusdem imaginem sub oculis continuo habeat.

Recitat alta voce psalmum *Judica*, confessionem et reliqua usque ad *Aufer a nobis*, in gratiam ministri et adstantium, ut respondere, et eosdem cum ipso affectus percipere valeant.

Ante et post psalmum *Judica* dicitur antiphona *Introibo*. Antiphona, vox græca, latine significat *vox contra sonans*, et ita dicitur respectu ad psalmodiam, cui respondet (1). Est brevis sententia, quæ ante et post psalmum dicitur, ordinarie

(1) Durandus rationale l. 5, c. 2, n. 26 et seq.

Digitized by Google

e psalmo desumpta, et officio magis conveniens, prout hic accidit : antiphona enim *Introibo* maxime convenit celebranti ad altare accedenti, ut corde dilatato exultet ob gratias, quibus replebitur, et quasi renovabitur.

Psalmus *Judica* litteraliter exhibet Davidem a facie Saulis aut Absolonis fugientem, vel aliam personam a templo et sancta civitate exulem, et vehementer redire desiderantem.

1. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.* Id est : discute me meamque innocentiam infallibili tuo judicio, et ostende te discernere causam meam ab impietate aliorum, qui juste affliguntur, me liberando ab hominibus perversis, impiis et dolosis, vel ab illo homine, a quo affligor.

2. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea : quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Id est : cum tu Deus sis fortitudo mea, quare ergo ita mecum agis, ac si me repulisses? et quare exilii infortunio oppressus, et tuo speciali auxilio privatus, tristis incedo, dum interim inimicus meus non cessat me affligere. Sunt verba, non tam querentis, quam vehementer auxilium postulantis.

3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.* Id est : concede gratiam et auxilium, atque exequere promissionem tuam, quam fecisti : ipsa tua gratia et fidelitate, de qua certo confido, adducar in montem Sion, qui tuo cultu sanctus est, et in tabernaculum vel templum tuum. Ponitur præteritum pro futuro ob certitudinem eventus.

4. *Et introibo ad altare Dei : ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Id est : redux ab exilio, statim ad templum accedam, et super altare sacrificare faciam, ut Deo gratias agam, qui me tantis gratiis et gaudiis replet, ut, sicut homo in juventute sua, exultare et spiritu renovari dici possim.

5. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?* Id est : laudabo te instrumentis musicis, quibus in templo glorificari soles. Cum ergo de liberatione certus sim, quare adhuc tristis sum, et conturbor?

Digitized by Google

6. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.* Id est : sperem in Deo; certus enim sum, quod in templo ipsum sim laudaturus, quia ipse est salvator et Deus meus, qui vult et potest me liberare.

Hunc psalmum celebrans sibi applicare potest, se considerando exulem, viatorem, et peregrinum in hac terra exilii, ubi continuis tentationibus affligitur; intelligendo per gentem non sanctam et virum iniquum, carnem, mundum et diabolum ejusque asseclas; per montem sanctum, tabernacula et altare Dei, intelligendo altare in quo celebrat, et multis gratiis repletur; vel montem Calvariæ, cujus in altari fit repræsentatio; vel etiam cœlum, ubi ut aquilæ, renovabitur juventus nostra.

Post psalmum more solito dicitur *Gloria Patri* etc., qui versus jussu s. Damasi a sæculo quarto in fine cujusque psalmi additur, ut legitur in ejus officio 11 decembris; ad tempora tamen Apostolorum referendus est, cum hujus nullum extet initium, et ab antiquis patribus usitatus fuerit. Concilium autem Nicænum ad retundendam hæresim Arianorum addidit *Sicut erat* etc. Infra *Gloria Patri* sacerdos caput inclinat, ut non tantum verbo, sed et facto Deum glorificet.

In fine psalmi repetitur antiphona, sicut alias in officio fieri solet, quæ antiphona eadem est cum illa ante initium psalmi posita; et proinde dicendum est solummodo *Introibo*, non autem *Et introibo*, sicut in medio psalmi habetur.

Psalmus *Judica* omittitur in missis de *Requiem* et de tempore passionis ex antiquo ritu, quo hic psalmus ad missam non dicebatur, sicut plura alia in illis missis omittuntur (1); vel quia psalmus est lætitiæ et jubilationis, qui missæ lugubri non convenit. Dicitur tamen antiphona *Introibo*, quia licet psalmus exultationis non conveniat, nihil tamen impedit, quominus aliquod illius signum et motivum conservetur.

51. Dicta antiphona *Introibo*, sacerdos subjungit *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, quo profitetur, se propriis

(1) Pouget inst. cath. p. 3, s. 2, c. 7, § 22. Ps. *Judica*.

Digitized by Google

viribus ad altare introire non posse, et se divino indigere auxilio; et propterea se signat, ut per virtutem crucis et merita Christi adjutorium consequatur. Minister respondet *Qui fecit cælum et terram*, quo affirmat, sacerdotem merito sperare in adjutorio Domini, quia ipse est omnipotens, factor cœli et terræ.

Deinde Sacerdos, in Deo quidem sperans, sed de propriis meritis et viribus diffidens, et plurimorum sibi conscius delictorum, præ confusione profunde se inclinat, ut se coram Deo humiliet, dicens *Confiteor Deo*. Dum dicit *mea culpa*, ter pectus percutit ad exemplum Publicani, ad excitandum et testandum dolorem de peccatis (1). In missa solemni celebrans dicens *vobis* et *vos fratres*, se convertit ad diaconum et subdiaconum, et similiter diaconus et subdiaconus se convertunt ad celebrantem ex quadam decentia, quæ exigit, ut alloquentes personam venerabilem, nos ad illam vertamus.

Hæc peccatorum confessio, utpote generalis et non sacramentalis, ex opere operato non operatur, sed ex opere operantis inde peccatorum venialium remissio obtineri potest, si vero cum dolore fiat (2). Unde cum in multis offendamus omnes, et proinde nemo se ab omni culpa liberum, atque dignum putare possit, ut Hostiam immaculatam tractet et sumat; hæc confessio non raptim et præcipitanter, sed voce peccatoris et pœnitentis vera cum contritione facienda est. Præterea sacerdos in hac confessione considerare potest non tantum peccata venialia nunc commissa, sed etiam peccata totius vitæ; unde sufficiens doloris et compunctionis sibi erit materia.

In hac confessione sacerdos confitetur Deo, et sanctis atque adstantibus, diversa autem ratione : Deo scilicet, tanquam supremo Domino et judici, cui per peccatum injuria illata est; sanctis, qui in fine sæculorum sedebunt humani generis judices, et quia, sicut sancti gaudent in cœlo super peccatore pœnitentiam agente, sic etiam quisquis Deum offendit, omnes

(1) Vid. Lebrun, p. 1, art. IV.
(2) Vid. Quarti, p. 2, tit. 3, s. 1, dub. 2.

Digitized by Google

etiam sanctos, quantum est in se, contristat; fratribus tum ex humilitate, tum quia per peccatum ipsis scandalo fuit. Inter sanctos nominatur B. Maria V. tamquam dignissima, s. Michael tamquam primus inter angelos, s. Joannes Baptista pro sanctis veteris testamenti, et ss. Petrus et Paulus pro sanctis novi testamenti : unde quædam sanctorum universitas habetur.

Sacerdotis confessione facta, minister ejus precibus excitatus, nomine omnium adstantium respondet *Misereatur*. Sacerdos interea manet inclinatus, ut hac humiliatione misericordiam et remissionem peccatorum consequatur.

Sicut sacerdos, ut omnem gratiæ obicem a se removeat, peccatorum suorum confessionem facit, sic et populus, qui suo modo offert, et de sacrificio participat, seu omnium nomine minister eamdem facit confessionem : cui sacerdos similiter respondet *Misereatur vestri*, et semper in plurali *vestri*, quamvis minister pro se tantum precetur, aut etiam solus adsit, quia minister omnes præsentes et totam etiam Ecclesiam repræsentat.

Sacerdos sub confessione ministri erectus, quia nihil aliam positionem exigit, manet erectus sub oratione *Indulgentiam*, quia se cruce signare debet. Se autem signat, quia meritis Christi et virtute ejus crucis indulgentia et remissio conceduntur.

52. Deinde sacerdos alternatim cum ministro recitat sequentes versus, sub quibus usque ad *Oremus* ante *Aufer a nobis* corpus suum mediocriter inclinat, ut se coram Deo humiliet, sicque Dei misericordiam mereatur :

1. *Deus tu conversus*, per confessionem et pœnitentiam nostram reconciliatus, *vivificabis nos* per gratiam : *et plebs tua lætabitur in te* ob gratiam acceptam.

2. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis :* id est, esto nobis ita misericors, ut miserationis tuæ effectum videamus et sentiamus; et salutem seu Christum salvatorem in sacra communione da nobis.

3. *Domine exaudi orationem meam :* hic versus, qui ordinarie orationibus præponitur, valde convenit, antequam

Digitized by Google

sacerdos ad altare ascendat, in quo pro se et omni populo oraturus est.

4. *Dominus vobiscum* est salutationis formula, desumpta ex lib. Ruth. II, 4, ubi Booz messores sic salutasse legitur, qua sacerdos Domini assistentiam et favorem populo apprecatur, quibus continuo indiget : et cum sacerdos non minus divina indigeat assistentia, minister respondet *Et cum spiritu tuo;* quod responsum reperitur II ad Tim. IV, 22.

5. Alta adhuc voce dicit *Oremus,* ut omnes excitet ad secum orandum, interim extendens et jungens manus ad exprimendum actum devote supplicantis et auxilium a Deo quærentis.

Hæc omnia dicuntur ante gradus altaris, quia sunt veluti præparatio ad missam.

EXPLICATIO ORATIONUM *AUFER A NOBIS,* ETC. USQUE AD *GLORIA IN EXCELSIS.*

53. Orationes *Aufer a nobis* et *Oramus te, Domine,* dicuntur secreto, quia sacerdos pro se solo orat, ut patet ex fine orationis *Oramus te, Domine.*

In oratione *Aufer a nobis* per *iniquitates* intelligitur omne quod opponitur justitiæ, et per *sancta sanctorum* ipsum altare, comparatione facta ad cœlum, vel ad templi Salomonis sancta sanctorum, quo summus pontifex multis cæremoniis prævie sanctificatus, semel tantum in anno impune intrare poterat : unde reflectere debet sacerdos, quam pura a peccatis mente ad altare accedere debeat (1).

Oratio *Aufer a nobis* et regulariter omnes aliæ concluduntur *Per Christum Dominum,* ut id, quod petitur, efficacius et plenius obtineatur in nomine Christi, qui est fons omnium gratiarum, et qui Joan. XVI, 23, dixit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

(1) Lebrun, p. 1, art. VII.

Digitized by Google

54. Sacerdos infra orationem *Oramus te, Domine,* corpus mediocriter inclinat, ut se coram Deo humiliet, et statum supplicis assumat, dum pro suis peccatis deprecatur. Manus junctas super altare deponit, non tantum quia sic convenit propter inclinationem, sed etiam ut se uniat Christo per altare repræsentato, et sanctis ibi quiescentibus. Osculatur altare in signum amoris erga Christum, vel potius, quia non fit in ipso accessu altaris, sed ad verba *Quorum reliquiæ hic sunt,* in signum amoris erga sanctos, ut illorum opem consequatur. Extendit manus ad facilius osculandum, vel etiam ad Christum aut sanctos quasi complectendos, eorumque benevolentiam consequendam; extendit autem manus extra corporale, nisi nimis magnum foret, ne tactu manuum sordescat.

Occasione orationis *Oramus te, Domine,* in qua fit mentio reliquiarum sanctorum, notari potest, originem sanctorum reliquias altari includendi, desumi a primis Ecclesiæ sæculis, in quibus altaria super martyrum sepulcra communiter erigebantur; data deinde pace, templa et altaria juxta usum primævum erecta sunt in cœmeteriis, ubi jacebant martyrum corpora; multiplicatis autem templis et in his altaribus, ut ritus antiqui specimen servaretur, reliquiæ quædam sanctorum altaribus inclusæ sunt : 1° ad servandum vestigium antiquitatis, 2° ut sacerdos in altari suos speciales apud Deum habeat intercessores, 3° ut figuretur communio sanctorum : unio enim reliquiarum cum altari Christum repræsentante, simul et sacerdotis celebrantis, non obscure exprimit communionem, quæ inter Ecclesiam triumphantem et militantem existit.

55. Recitata oratione *Oramus te, Domine,* in missa solemni fit incensatio altaris, circa quam notandum est, thuris cremationem apud Judæos et paganos viguisse, et in Ecclesia antiquissimam esse. In veteri lege, Deo jubente, altare specialiter exstructum erat, ad singulis diebus mane et vespere thymiama, id est incensum suavissimi odoris offerendum; et apud gentes receptum erat, ut thus diis suis offerrent, adeo ut poetæ thuris honores divinos vocent. Unde

Digitized by Google

factum est, ut Magi thus Christo tanquam Deo obtulerint. Non mirum igitur est, Ecclesiam cæremoniam olim a Deo pro synagoga institutam, reservandam decrevisse.

Fieri quidem potuit, ut primis Ecclesiæ temporibus thuris incensatio adhibita fuerit vel ad spargendos odores ex locis subterraneis et ex nimia populi frequentia exortos, vel ex more tunc temporis recepto thus incendendi in solemnibus et frequentibus populi conventibus etiam extra sacra; non tamen ob has solas causas, ut vult Claudius Devert, thus adhibitum fuisse constat, cum tunc a quibuscumque offerri potuisset, et a ministris sacris et cum benedictione fieri non debuisset; sed principaliter ob has sequentes rationes :

1° In honorem Dei, et ad recognoscendum supremum ejus dominium.

2° Cum autem incensum non ita ac sacrificium Deo proprium sit, nihil impedit, quominus ministris Ecclesiæ et populo fideli tribuatur, quatenus sunt ministri et membra Christi, et in potestate et gratia divina participant; licet tamen eatenus omnis honor eis redditus redundet in Deum, a quo omnem potestatem et gratiam acceperunt. Præterea incensatio clericorum et populi etiam considerari potest, non tantum tanquam signum honoris, sed etiam admonitionis : thus enim accensum et fumans eisdem prædicat dispositionem necessariam, ut oblatio sacrificii ex parte ipsorum ascendat ad Deum in odorem suavitatis; nam thus, quod in fumum odoriferum abit, dum igne crematur, designat, quam inflammatum igne charitatis et devotionis cor esse debeat, quamque ferventes orationes, ut dirigantur sicut incensum in conspectu Dei; item quam necesse sit, ubique spargere bonum virtutum odorem, ut sicut incensum Deo placeamus.

3° Incensantur oblata, altare, aliæque res inanimatæ, veluti candelæ, cineres, palmæ, etc. dum benedicuntur : 1° ut dæmon fugetur ab eis, qui olim fumo jecoris piscis a Sara fugatus est, Tob. VIII, 2; 2° in venerationem rerum sacrarum, ut innotescat, quam digne sint æstimandæ et tractandæ : 3° in symbolum gratiarum, quæ robis ab illis profluunt (1).

(1) Vid. Lebrun p. 1, art. IX, et Pouget inst. cath. p. 3, s. 2, c. 6, § 4.

Digitized by Google

Ad incensationem 1. diaconus osculatur manum celebrantis et instrumenta, quæ porrigit et recipit a celebrante, in venerationem instrumentorum cultus divini, et celebrantis qua Christi ministri.

2. Celebrans ter thus imponit, ut quantitas sufficiens imponatur; in diversa loca, ut facilius et citius cremetur et fumiget : 1° in medium, 2° a dextris thuribuli, et 3° a sinistris, prout in omnibus actionibus fieri solet, in quibus a parte rei oppositæ quædam dignitatis species servatur, et a parte agentis species humiliationis, dum alteri dextram concedit.

3. Diaconus invitando celebrantem ad benedictionem, dicit *Benedicite* etc. tanquam ad personam in dignitate constitutam, non tantum ne celebrans benedictionem omittat, sed etiam quia per benedictionem significatur gratia, quam petere convenit.

4. Ante benedictionem celebrans jungit manus, uti ante omnem benedictionem fieri debet, ad significandum, se benedicere non propria virtute, sed Dei, a quo supplici gestu benedictionem petit.

5. Thus benedicitur, ut thurificatio nobis et altari fiat salutaris : nobis quidem, excitando nos ad ferventem orationem, ardentem charitatem, et bonum odorem omnium virtutum; altari autem, fugando dæmonem. Dum ss. Sacramentum solum est thurificandum, thus non benedicitur, quia tunc solius honoris causa adhibetur, cum ss. Sacramento nulla nova benedictio addi possit.

6. Ministri casulam elevant ad facilitandam celebrantis actionem, quando casulæ olim erant ampliores, et totum corpus ambiebant : unde hic usus casulam elevandi, dum brachiis agit sacerdos, remansit, licet resecatis nunc lateralibus casulæ partibus.

7. Crux primum incensatur honoris causa, quia est principale altaris objectum. Non incensatur ss. Sacramentum si sit in tabernaculo reconditum, licet coram eo sit genuflectendum, quia crux magis sensibiliter apparet. 2° Incensantur reliquiæ et imagines sanctorum tum honoris causa,

Digitized by Google

tum ad significandum sanctos bonum Christi odorem fuisse, et modo nostras preces Deo offerre juxta Apoc. VIII, 3 et 4. Bis autem tantum incensantur, neque iis caput inclinatur, ad distinctionem incensationis crucis. 3° Incensatur totum altare, ut totum honorifico thuris fumo perfundatur. 4° In fine incensatur solus celebrans, quatenus gerens personam Christi : quapropter etiam ter incensatur ad distinctionem ministrorum, qui ad offertorium bis incensantur; et diaconum, qui honoris causa ante et post incensationem caput illi inclinat, non resalutat, sua superioritate et dignitate impeditus.

56. Introitus, epistola, etc. leguntur ad cornu epistolæ, quia (1) veteri ritu in missa solemni hæc omnia fiebant et legebantur extra altare : ut distinguerentur autem in missis privatis ea quæ in solemnibus legebantur extra altare, ab iis quæ legebantur in altari, in cornu epistolæ lectum est quidquid in missis solemnibus extra altare legebatur; in medio autem altaris continuata est lectio cæterorum omnium : isque ritus sensim in missis quoque majoribus invaluit. 2° In sensu autem mystico id fit, quia cornu epistolæ significat judæos, qui priores ad fidem vocati sunt; et cornu evangelii gentiles, qui rejectum a judæis evangelium ultro susceperunt.

Introitus et alia usque ad offertorium dicuntur alta voce, non tantum in gratiam ministri, dum respondere debet, sed etiam quia continent instructionem, gloriam Dei, vota populi, quæ ei communicare convenit.

57. Introitus est species antiphonæ, quæ sicut in officio, e psalmis vel alio sacræ Scripturæ libro est desumpta, aut etiam ab Ecclesia est composita, festo aut missæ magis conveniens. Post antiphonam olim integer psalmus legebatur, nunc autem tantum unus versus e psalmo desumptus, et ordinarie primus versus illius psalmi, ex quo introitus seu antiphona desumpta est. Deinde sequitur *Gloria Patri,* qui versus, sicut olim integro psalmo adjungebatur, retracto psalmo retentus fuit.

(1) Pouget p. 3, sect. 2, c. 7, § 22 ad III.

Digitized by Google

Introitus ita vocatur, quia olim per introitum missa incipiebatur, et nunc cantatur, dum sacerdos ad altare pervenit. Mystice significat adventum Christi, ejusque ingressum in hunc mundum; et versus, ex quibus componitur, denotant clamores et suspiria Patriarcharum expectantium Messiæ adventum (1).

Sacerdos legit introitum junctis manibus pro majori devotione et recollectione, et se signat ex antiquo usu se signandi ad initium cujusque operis; quando enim olim missa ab introitu incipiebatur, dicebatur *In nomine Patris*, quod nunc omittitur, quia ante psalmum *Judica* crux sub his verbis formata est.

Not. inter introitum et psalmos vulgatæ editionis, qua nunc utimur, quandoque haberi aliquam dissonantiam, quia s. Gregorius, qui plures introitus composuit, non eam psalterii versionem secutus est, sed veterem, quæ ante s. Hieronymum in usu erat : atque idem in responsoriis, tractibus, offertoriis et communionibus observavit (2).

58. *Kyrie eleison*, voces græcæ, latine significant *Domine, miserere*. Sunt voces naturales hominis in tribulatione aut periculo constituti. Sic cæcus prope Jericho, mulier Chananæa, et decem leprosi Christum invocaverunt : optimeque sonant in ore sacerdotis et adstantium ob suas miserias et peccata. Verum ut suum effectum habeant, non præcipitanter, sed ea humilitate et fiducia dicendæ sunt, quomodo personæ memoratæ ad Christum clamaverunt.

Sacerdos accedit ad medium altaris, dicturus *Kyrie eleison*, ut Christum præsentem alloquatur, et coram cruce hanc orationem brevem quidem, sed vehementem et ex corde effundat. In missa autem solemni *Kyrie* dicitur ad cornu epistolæ; ut sacerdos et ministri, choro non obstante, se invicem audire valeant.

Novies dicitur ad imitationem angelorum, qui in novem choros distribuuntur, et simul in honorem ss. Trinitatis, ter-

(1) Quarti p. 1. tit. VIII.
(2) Vid. Bona rer. lit. lib. 2, c. 3, n. 4 et 5.

Digitized by Google

ad Patrem *Kyrie eleison*, ter ad Filium *Christe eleison*, et ter ad Spiritum Sanctum *Kyrie eleison*, contra triplicem humanam miseriam ignorantiæ, culpæ et pœnæ.

59. *Gloria in excelsis* dicitur in medio altaris ob imaginem Crucifixi, in medio collocati, sicut de *Kyrie eleison* dictum est. Sacerdos interea extendit et elevat manus, quod est actus naturalis hominis alium magnificantis, ut Deum non tantum verbis, sed etiam actu magnificet et glorificet; eas autem tantum elevat usque ad humeros et non ultra, ut gestu maneat intra limites modestiæ. Manus jungit sub nomine *Deo*, ut majori cum veneratione caput inclinet. Sub nomine *Deo* et *Jesu Christe* caput inclinat in honorem et venerationem Dei nominis; item ad *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, *Suscipe deprecationem nostram* ad exprimendas pias animi affectiones adorationis, gratitudinis et orationis, quas eadem verba continent. Hymnum legit manibus junctis pro majori veneratione et devotione. In fine se signat ob mentionem ss. Trinitatis, quæ crucem ordinarie adjunctam habet; et ex antiquo fidelium usu se signandi in fine cujusque operis.

Prima verba hymni : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, angelos auctores habent, qui in nocte nativitatis Domini Deum sic laudaverunt. Sensus est : gloria Deo in cœlis vel angelis, qui Deum ob nativitatem Salvatoris summis laudibus glorificaverunt : et in terra pax, seu hominum cum Deo reconciliatio facta est, saltem inchoative, et brevi plene perficienda. Illud autem, quod additur, *bonæ voluntatis* varie explicatur; aliqui illud referunt ad bonam voluntatem hominum, et hunc sensum reddunt : pax hominibus habentibus bonam voluntatem ; huic autem expositioni obstat textus græcus, in quo legitur non in genitivo sed in nominativo *bona voluntas*, quod in Scriptura sacra significare solet bonam voluntatem, non hominum, sed Dei, seu benevolentiam et beneplacitum Dei erga homines; unde sensus hic dari potest : gloria Deo, pax terræ, bona voluntas hominibus. Textui tamen latino sequens sensus facile tribui potest : pax hominibus, quos Deus benevole dilexit, et in

Digitized by Google

quibus sibi complacuit, ut ipsis Salvatorem mitteret, eosque redimeret. Reliqui hujus hymni versus ab Ecclesia aut doctoribus ecclesiasticis compositi sunt, et continent varias animi affectiones, quas sacerdos in corde elicere et ex corde proferre debet : illorum sensus perspicuus est, et sola notanda sunt verba : *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam :* id est, propter magnam gratiam et misericordiam tuam, quæ Deo cedit in gloriam : sæpe enim in Scriptura sacra Dei gloria idem significat ac ejus gratiam et misericordiam, juxta illud ad Rom. III : *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (1).

60. In missa solemni ad introitum diaconus et subdiaconus stant a dextris celebrantis, ut lectionem audire et percipere possint; sed infra hæc verba *Gloria in excelsis Deo,* et similiter infra orationes, præfationem, *Pater noster,* etc. post celebrantem, ut servi post dominum.

Diaconus et subdiaconus hymnum *Gloria,* uti et *Credo, Sanctus,* et *Agnus Dei* submissa voce recitant cum celebrante, quia convenit, ut ministri non tantum assistant, sed cum celebrante in sacrificio quodammodo participent, scilicet instructiones attente cantando aut audiendo, has preces cum celebrante recitando, et in reliquis saltem religiose in Deum se recolligendo.

DE ORATIONE.

61. Orationibus præmittitur *Dominus vobiscum,* quia ut vota populi in oratione ad Deum valeant ascendere, ex Dei gratia procedere debent; et cum sacerdos non minus, quam populus, gratia indigeat, minister omnium nomine respondet : *Et cum spiritu tuo. Dominus vobiscum* semper dicitur in

(1) Bened. XIV, de sac. mis. sect. 1, § 107. Circa hunc hymnum vid. Bona rer. lit. lib. 2, c. 4, n. 4; Cavalieri tom. 5, c. 9, n. 4 et seq.; Lebrun tom. 1, p. 2, art. 3.

Digitized by Google

plurali, licet solus adsit minister, quia hic gerit personam omnium fidelium.

Episcopus ante orationem dicit *Pax vobis*, illius utens eulogio, cujus fungitur pontificio; sed tantum hic prima vice, quoniam hæc fuit prima vox Christi ad discipulos, cum eis post resurrectionem apparuit. Adinstar vero sacerdotum cæterorum dicit postea *Dominus vobiscum*, ut se unum ex ipsis ostendat (1).

Sacerdos, antequam se vertat ad populum, osculatur altare, quod considerari potest vel ut simplex salutatio altaris, vel etiam ut signum amoris erga Christum, ut sacerdos quasi a Christo accipiat benedictionem, quam populo impertiturus est. Interea manus extendit super altare, ut facilius se inclinet, et osculetur, vel etiam ut Christum per altare figuratum complectatur. Se vertit ad populum, quia eum alloquitur. Debet habere oculos demissos præ modestia. Dicendo *Dominus vobiscum* manus extendit et jungit, ut non tantum sua conversione et verbis, sed et gestu populum salutet, seque ex sincero et vehementi affectu bonum populo apprecari innuat.

62. Collectis præmittitur *Oremus*, ut sacerdos seipsum et populum excitet ad orandum. Interea sacerdos caput versus crucem inclinat ex humilitate et reverentia, quam natura inspirat omnibus, qui sermonem cum superiore habituri sunt; atque extendit jungitque manus, ut exprimat actum devote supplicantis et auxilium a Deo quærentis. Extensis deinde manibus legit orationem, quatenus manuum extensio est actus Deum orantis; ut sic non tantum voce et corde, sed et actione et corpore in Deum feratur, seque et populum mente ad Deum elevet, atque ad devotam excitet orationem. In conclusione orationis manus jungit, ut in statu supplici orationem concludat; scilicet dum dicit *Per Dominum nostrum*, ut majori veneratione caput inclinet sub ss. nomine Jesu; et si oratio aliter concludatur, dum dicit *In unitate*, ut hoc facto exprimat unitatem in divinis.

(1) Innocentius III, lib. 2, c. 23.

Digitized by Google

Fideles et minister arguendi non sunt, qui cum celebrante orant, et approbant orationem, quam non intelligunt; quia sciunt, celebrantem non alias quam ab Ecclesia approbatas dicere orationes, et Ecclesiam nihil a Deo petere, nisi quod est Deo gratum ipsisque salutare.

Oratio, quæ in missa dicitur, collecta etiam appellatur, vel quia sacerdos, qui veluti mediator est inter Deum et hominem vota omnium colligit; vel quia brevis est oratio, quam sacerdos recitat super populum congregatum; vel quia omnes collectis in se animis cogitationes et affectus suos ad Deum elevant (1).

DE EPISTOLA GRADUALI, EVANGELIO ET SYMBOLO.

63. Mos epistolam initio missæ legendi, antiquus et quidem sacrificio coævus dicendus est; cujus origo invenitur in synagoga judæorum, qui a lectione Moysis et Prophetarum conventuum suorum sumebant exordium : unde Apostoli a lectione Scripturæ sacræ sacrificium incipere consueverunt. Variæ autem nunc præmittuntur orationes, ad melius audiendas et percipiendas instructiones.

Dicitur epistola, quia sæpe et præcipue in dominicis et festis ex epistolis Apostolorum desumitur; legitur tamen etiam ex omnibus aliis Scripturæ libris, evangeliis exceptis, et in feriis quidem ordinarie ex veteri testamento. Inscribitur lectio quia olim non cantabatur, sed alta voce legebatur.

In lectionibus veteris testamenti initium esse solet *In diebus illis,* finis autem *Ait Dominus omnipotens :* quia in libris illis hæc sæpe sunt in usu. Titulus etiam *Sapientiæ* communis est lectioni proverbiorum, canticorum et ecclesiastici, quia hi libri dicuntur sapientiales ex ss. Patrum antiquo usu et ritu. In epistolis vero s. Pauli eadem de causa fit initium ab ea voce *Fratres,* et finis est *In Christo Jesu Domino nostro.* In aliis item apostolicis epistolis ob eamdem

(1) Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, § 109.

Digitized by Google

causam utimur initio voce illa *Charissimi*, usitata a Petro et Joanne in suis epistolis (1).

Legendo epistolam sacerdos manus ponit super librum vel altare ad majorem commoditatem, et quia lectio aliam specialem positionem non exigit; licet etiam dici possit, per hoc innui, non satis esse legem audire et scire, sed manus operi esse admovendas ad legem adimplendam.

In missa solemni subdiaconus ante et post epistolam in medio altaris debitam facit reverentiam, quia, cum olim epistola in ambone seu suggestu cantaretur, ante discessum et post reditum altari reverentiam exhibebat : unde hæc reverentia, quamvis epistola jam prope altare cantetur, servata est.

Subdiaconus post finem epistolæ, et contra diaconus ante evangelium ad celebrantem accedit, ad accipiendam benedictionem, quia lex per epistolam significata finem accepit in Christo, evangelium vero ab eodem Christo originem sumpsit. Osculantur manum celebrantis in signum reverentiæ erga illum, et venerationis erga instrumentum, quo benedicuntur.

64. Epistolam sequuntur graduale, tractus aut sequentia, ut instructioni addatur oratio, aut alia adjungantur, quibus affectus instructioni in epistola perceptæ et in evangelio percipiendæ aut etiam missæ convenientes excitentur, et sic fideles instructionem attentius audiant, et meliori corde percipiant, atque conservent. Item in missa solemni graduale, tractus et sequentia inserviunt, ut chorus occupetur tempore, quo celebrans dicit *Munda cor*, evangelium recitat, et thus imponit.

Graduale ita vocatur, quia cantabatur in inferiori gradu, vel ad gradus altaris, vel juxta gradus pulpiti, in quo legebatur evangelium, vel quia cantabatur, dum diaconus ascendebat gradus pulpiti evangelici (2).

Alleluja est vox hebraica, significans *laudate Dominum*,

(1) Gavantus p. 1, tit. X, rub. 1.
(2) Gavantus p. 1, tit. X, rub. 2.

Digitized by Google

sed accentum jubilationis continet, qui latinæ versioni communicari nequit. Inseritur graduali, ad excitandum in fidelibus sensum lætitiæ, ut sic meliori corde instructiones percipiant. Cum autem lætitiæ excitandæ inserviat, omittitur in quadragesima et in missa defunctorum, et tantum adhibetur in missis festivis et aliis, quæ mœrori et pœnitentiæ non ita sunt destinatæ. Ultimum *Alleluja* gradualis cantatur in missa cum pneumate seu longa serie notarum sub ultima syllaba, ad exprimendum cordis affectum, quo suspirat ad æternum gaudium, quod interminabile et ineffabile est, quasi præ magnitudine gaudii verba deficerent (1). Notandum autem, dum vox *pneuma* sub notis in libris apponitur, id non significare hanc vocem *pneuma* esse exprimendam et cantandam sub illis notis, sed ultimam præcedentem syllabam vel potius vocem inarticulatam seu aspirationem sub his notis protrahendam esse.

Tractus ita dicitur a verbo *trahere*, vel quia lente et lugubriter cantatur, vel quia olim tractim et sine interruptione a cantore cantabatur. Unde tantum locum habet in missis, quæ tempore mœrori et pœnitentiæ consecrato, ut a septuagesima usque ad pascha, aut in paramentis violaceis et nigris celebrantur. Componitur et quibusdam psalmorum versibus, et aliquando etiam ex integro psalmo, ut in dominica prima quadragesimæ et palmarum, ac feria sexta parasceves.

Sequentia ita vocatur, quia sequitur post graduale, tractum aut versum per modum appendicis loco pneumatis : dicitur etiam prosa, quia in ea non servatur versuum mensura. Est species hymni liberioris compositionis, in quo similis ultimarum syllabarum consonantia servatur, qui mysterii vel sancti præconia narrat, quique inservit ad lætitiam aut compunctionem excitandam : quapropter in solemnitatibus paschæ, pentecostes et Corporis Christi cantu festivo, in festo vero septem dolorum et in missa defunctorum tono lugubri persolvitur. Olim quælibet dominica et festum extra.

(1) Vid. Bona rer. lit. lib. 2, c. 6, n. 5; in fine.

Digitized by Google

tempus a septuagesima usque ad pascha suam habebat sequentiam, sed, quia pleræque inconcinnæ erant, quinque supradictæ in liturgia Romana tantum servatæ fuerunt (1).

65. Orationes *Munda cor, Jube Domine, Dominus sit,* recitantur ante evangelium, ut sacerdos obtineat gratiam, evangelium digne legendi et fructuose annuntiandi, ne enarret justitias, et assumat testamentum, cujus disciplinam odio habet; et ne verbum sine fructu efficiatur.

Celebrans in oratione *Munda cor* adducit actus divinæ potentiæ et misericordiæ erga Isaiam Prophetam VI, 6, ubi refertur Seraphim calculo, quem tulerat de altari, tetigisse os Isaiæ et dixisse : *Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.* Hos divinæ potentiæ et misericordiæ actus postulat sacerdos in se quoad effectum renovari; firmiterque confidens huic potentiæ et misericordiæ, maxima cum fiducia et sancta quadam audacia subjungit *Jube Domine benedicere,* id est : jube seu impera tibimetipsi, ut mihi benedicas. Sacerdos petit mundari non tantum cor, sed etiam labia; et ut Dominus sit non tantum in corde sed etiam in labiis, quia peculiaris etiam ad elocutionem gratia, quæ linguam moderatur et gubernat, requiritur juxta illud Prov. XVI, 1, *Est Domini gubernare linguam.*

Sacerdos has orationes dicit in medio altaris ob imaginem Crucifixi, ut Christum, a quo gratiam evangelium digne annuntiandi petit, quasi præsentem alloquatur. Prævie elevat oculos, ut verbis et actione simul Deum alloquatur, suamque mentem et attentionem per exteriora ad Deum dirigat. Oculos tamen statim demittit, et se profunde inclinat, ut majori humiliatione gratiam efficacius consequatur. Infra orationem manus ante pectus junctas tenet, ut Deum devote oret in statu supplici; manibus autem altare non tangit ob majorem reverentiam erga Christum per altare repræsentatum. Secreto dicit has orationes, quia pro se tantum orat.

66. Missale transfertur ante evangelium, quia, quando

(1) Lebrun, tom. 1, p. 2, art. 6.

Digitized by Google

fideles olim offerebant panem et vinum juxta cornu epistolæ ante offertorium, libri translatio necessaria erat. Quidam libri translationem fieri dicunt, quatenus cornu epistolæ significat judæos, et cornu evangelii christianos : unde epistola legitur in cornu sinistro altaris, quia eloquia Dei judæis primo credita sunt; et deinde missale ante evangelium transfertur, ad significandum lumen fidei a judæis ad gentes fuisse translatum; et tandem, ut hic addi potest, missale in fine missæ iterum transfertur ad cornu epistolæ, ad denotandum judæos in fine mundi rursus illuminandos esse (1).

67. 1. Sacerdos evangelium legens, oblique stat versus librum oblique quoque super altare positum, ut sit semiversus ad populum, et populus evangelium facilius percipiat.

2. Præmittit *Dominus vobiscum*, ut per Dei gratiam et assistentiam verbum cadat in terram bonam, et fructum referat. Non autem se vertit ad populum, quia est semiversus ad eum.

3. Dicens *Initium* aut *Sequentia*, sinistram ponit super missale, deinde super pectus, ne sola in aëre pendula indecenter hæreat; et pollice dextræ manus signat prima verba evangelii, ad significandum evangelium suam virtutem a cruce trahere, vel etiam evangelium esse verba illius, qui in cruce pependit. Deinde se signat super frontem, os et pectus ad significandum, evangelium menti esse imprimendum, ore profitendum, et opere adimplendum : item in fronte, ubi pudor se maxime prodit, contra pudorem, ad significandum se paratum esse, ad evangelium non erubescendum; in ore contra silentium, ad evangelium libere profitendum; et in pectore contra simulationem fidei, ad indicandum, se internam habere fidem, et corde credere ad justitiam. Hæ cruces fiunt pollice, quia partes signandæ totam manum decenter admittere nequeunt.

4. Sacerdos recitat evangelium junctis manibus in signum venerationis erga verbum Dei.

5. In evangelio, si fieri debeat, genuflectit, et ad nomen

(1) Innocentius III, lib. 2, c. 34.

Digitized by Google

Jesu caput inclinat versus missale, quia juxta synodum VIII, act. 10, c. 3, idem cultus debetur evangelio ac cruci, ob dignitatem evangelii, quod propria Christi verba continet (1). S. S. Sacramentum, si est expositum, versus illud facienda inclinatio (2).

6. Osculatur in fine prima verba evangelii in signum amoris erga verbum Dei, quod non tantum est credendum et profitendum, sed etiam amandum.

7. Infra evangelium omnes stant, ut hoc corporis situ significent se esse paratos ad obediendum evangelio.

Ante evangelium dicitur *Initium,* quando incipit per prima verba illius evangelistæ, cujus evangelium legitur; et alias *Sequentia,* id est : hæc quæ sequuntur, desumpta sunt ex s. evangelio secundum etc. Evangelium incipitur per verba *In illo tempore*, nempe quo Christus vivebat in terra, aut prædicabat, nisi initium evangelii exprimat tempus, quo narrata evenerunt, uti est evangelium epiphaniæ. Post *Initium* etc. aut *Sequentia* etc. minister respondet *Gloria tibi, Domine,* ut in nomine populi pro beneficio evangelii, quod mox auditurus est, Deum glorificet; et ut in fine gratias agat, respondet *Laus tibi, Christe.*

Ad osculum missalis sacerdos dicit *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta,* venialia scilicet, ad quorum remissionem sufficit contritio, quæ, Deo dante, per evangelicam lectionem facile concipi potest.

68. 1. Diaconus in missa solemni deponit librum evangelii super altare, ut significet, se annuntiaturum evangelium jussu et nomine Christi, cujus typum altare gerit; et ut innuat verba Christi ipso evangelio contineri.

2. Recitat orationem *Munda cor* genuflexus ad majorem humiliationem; et ante medium altaris ob imaginem Crucifixi, ut illum quasi præsentem alloquatur.

3. Diaconus petit a celebrante benedictionem, ut, sicut celebrans eam a Deo petit, ita diaconus eam accipiat a cele-

(1) Merati p. 2, tit. VI, n. 7.
(2) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, 4.

Digitized by Google

brante, in sacrificio Christi vices gerente. Dici etiam potest diaconum hic non tantum petere benedictionem seu gratiam evangelium digne annuntiandi, sed etiam missionem, de qua Apostolus ad Rom. X, 15, dicit : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* eamque accipere sacerdotali benedictione.

4. Defert librum ante pectus non inclinatum sed erectum in reverentiam s. evangelii, quod liber continet, et de quo Christus Dominus dicit Matth. V : *Ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Licet autem idem sit liber, quo diaconus et subdiaconus utuntur, et epistola atque evangelium idem sit verbum Dei; hic tamen quædam fit distinctio occasione evangelii cantandi, quod propria Salvatoris nostri verba continet.

5. Liber ad locum evangelii defertur cum solemnitate, diaconus ante et post incensationem atque ad nomen Jesu libro caput inclinat, pariterque versus eumdem genuflectit, si fieri debeat, in venerationem s. evangelii, cui idem cultus debetur ac cruci. Celebrans tamen et alii ad nomen Jesu se inclinant versus crucem altaris, quia crux respectu ipsorum magis sensibiliter apparet.

6. Assistunt ceroferarii, ad solemnitatem augendam; excitandam fidem et devotionem, quibus fideles evangelium audientes affici debent; et ad significandum evangelium esse lucem illam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

7. Adhibetur incensum : 1° in venerationem evangelii, utque innotescat, quam digne sit æstimandum; 2° in typum Christi, qui ubique sparsit bonum odorem; et ad monitionem nostram, ut juxta evangelium viventes, ubique Christi bonus odor simus; 3° in repressionem dæmonis, ne rapiat verbum de cordibus audientium. Diaconus librum ter incensat, in medio, a dextris et a sinistris, ut fumo honorifico totaliter perfundatur.

8. Subdiaconus librum tenet coram diacono, illum defert ad celebrantem, et deinde ad credentiam, quatenus est minister diaconi : unde et nomen subdiaconi habet. Librum defert ad celebrantem sine ulla reverentia altari aut celebranti facienda ob reverentiam s. evangelii.

Digitized by Google

9. Celebrans infra cantum evangelii se sistit in cornu epistolæ, ut ad diaconum cantantem commode sese convertere, et evangelium audire possit. Post lectum a se evangelium non dicit *Per evangelica dicta*, sed post cantatum a diacono, quia evangelium legit voce submissa in sui gratiam, diaconus autem cantat in gratiam populi; cum igitur oratio ista sit communis, congruit, ut dicatur, percepta a populo instructione.

10. Celebrans post osculum libri incensatur tanquam principalis minister, in honorem quidem, sed etiam ut advertat se specialiter evangelium servare teneri, ad bonum odorem in Ecclesia Dei spargendum.

69. Symbolum quod in missa recitatur, est Constantinopolitanum cum addito *Filioque*, quod tamen non raro Nicænum vocatur, et cum eodem confunditur. Nunc autem legitur, prout in Concilio Trid. sess. 3, exprimitur (1).

Legitur post evangelium, ut per evangelium corde credatur ad justitiam, et per symbolum ore fiat confessio ad salutem.

Sacerdos recitat *Credo* in medio altaris ob imaginem Crucifixi, ut ante imaginem Christi hanc fidei professionem proferat; alta voce, ut populum ad eamdem fidem eliciendam et profitendam excitet. Dicens *Credo in unum*, elevat et extendit manus, ut ostendat se sincere in Deum credere; elevare enim et extendere manus est actus hominis ex corde consentientis; et dicens *Deum*, caput inclinat, tum ob accessum ad medium altaris, tum in honorem Dei nominis. Ad *Incarnatus est* genuflectit ob mysterium Incarnationis, in qua, quo major declaratur humilitas, eo magis hominem sese humiliare decet. In fine se signat, ut quasi sigillo crucis totius fidei professio firmetur, atque ex antiquo usu fidelium se signandi in fine cujusque operis. Quoad reliqua vid. n. 59.

---

(1) Vid. Gavantus p. 1, tit. XI, . h Merati ibidem n. 1, 2 et 3; Durantus de rit. eccl. l. 2, c. 24; Bona rer. lit. l. 2, c. 8, n. 1 et 2; Lucius Ferraris *Symbolum*.

Digitized by Google

DE OFFERTORIO, OBLATIONE HOSTIÆ ET CALICIS.

70. Notandum officium missæ olim in duas partes distinctum fuisse : prima pars, quæ post evangelium terminabatur, dicebatur missa catechumenorum, quia catechumeni et pœnitentes illi interesse poterant; post evangelium autem catechumeni et pœnitentes dimittebantur, et incipiebatur altera pars, cui soli fideles intererant.

71. Dicitur *Dominus vobiscum*, ut, missa catechumenorum finita, fideles consequantur Dei assistentiam et gratiam, et sacrificio digne interesse valeant; cum autem Deus gratiam concedere non soleat nisi orantibus, sacerdos subjungit *Oremus*, ut se et fideles excitet ad orandum.

72. Per offertorium intelligi potest non tantum oblatio panis et vini, sed omnia quæ fiunt et leguntur post symbolum aut evangelium usque ad præfationem, sola tamen antiphona post *Oremus* offertorium dicitur; quia olim infra oblationem populi, et nunc infra oblationem panis et vini cantatur.

Hæc antiphona ad offertorium ortum ducit ex antiqua consuetudine fidelium, qui ad offertorium offerebant panem et vinum, unde ad consecrandum assumebatur, quod necessarium erat ad communionem celebrantis, ministrorum et fidelium, et reliquum cedebat ecclesiæ et ministris, vel pauperibus distribuebatur. Quapropter offertorium cantabatur ad occupandum et lætificandum populum eo tempore, quo dona sua offerebat. Quando olim ista oblatio vigebat, hæc antiphona longior erat, et constabat ex integro psalmo vel saltem ex parte psalmi cum repetitione versuum adinstar responsorii, ut cantus protraheretur usque ad finem oblationis; postquam autem post decem prima Ecclesiæ sæcula oblationes populi desierint, Ecclesia offertorium reduxit ad unum aut alterum versum psalmi, vel ad brevem sententiam festo accommodatam.

Hujus antiquæ fidelium oblationis sæpius adhuc fit mentio in precibus missæ, ut in commemoratione vivorum, in oratione *Hanc igitur*, et in pluribus orationibus secretis, præci-

Digitized by Google

pue in dominica quinta post pentecosten. Hujus antiqui ritus monumentum etiam relictum est in missis de *Requiem*, quarum offertorium longius remansit, et in quibus in multis locis adhuc fiunt oblationes cereorum aut saltem pecuniæ. Item in multis ecclesiis præsertim ruralibus, ad offertorium adhuc habentur oblationes pecuniæ in quibusdam solemnitatibus, tempore paschatis, in missis confraternitatum, et aliis quibusdam occasionibus.

Offertorium legitur junctis manibus præ majori recollectione et devotione; atque alta voce, tum quia institutum est ad occupandum et lætificandum populum, tum quia continet glorificationem Dei vel laudem sancti, cujus missa celebratur.

73. *Oblatio hostiæ.* 1. Detegitur calix ad oblationem, qui hucusque fuit coopertus ad majorem decentiam, vel ut ait Gavantus, ut lateat, quousque revelato calice revelentur mysteria passionis Christi.

2. In oblatione oculi elevantur ad crucem, et patena usque ad pectus, ut oblatio fiat omni modo, elevatione patenæ, voce et aspectu. Oculi autem statim demittuntur, tum ut sacerdos se humiliet pro suis delictis deprecaturus, tum ut orationem longiorem in tabella legere possit.

3. Finita oblatione, cum patena fit signum crucis, et in illius medium hostia deponitur, ad significandum eamdem esse sacrificii hostiam, quæ olim cruci affixa fuit.

4. Patena ponitur in cornu epistolæ, ut sit ad manum, dum opus est; media ejus pars tantum ponitur subtus corporale, ut facilius tollatur; et operitur corporali et purificatorio, ne sordescat.

In oblatione panis dicitur *Immaculata hostia*, non de pane in se spectato, cui hæc denominatio certo non convenit; sed quatenus consideratur consecratio mox futura, cujus ratione hostia hic dicitur immaculata. Unde hæc verba arguenda non sunt tanquam inconvenientia et periculosa, quia secreto proferuntur et a solis ministris de eorum sensu edoctis (1).

74. 1. Sacerdos recedit de medio altaris ad extergendum

(1) Vid. Bona rer. lit. lib. 2, c. 9, n. 3.

Digitized by Google

calicem vinumque infundendum tum in reverentiam Crucifixi, ne prædicta coram ipso fiant, tum ne effusione vini corporale maculetur.

2. Signat ampullam aquæ, ut aqua sanctificetur et usui sacro deputetur; vel etiam quia aqua significat populum, qui in hac vita, cum non sit ab omni peccato purus, benedictione indiget : quapropter non benedicitur vinum, quod Christum significat, cui nulla opus est benedictione.

3. Aqua in calicem infunditur, quia, ut ait Concilium Florentinum, « Creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum; deinde quia hoc convenit Dominicæ passionis repræsentationi... quia sanguis et aqua ex latere Christi profluxisse legitur; tum etiam quia hoc convenit ad significandum hujus Sacramenti effectum, qui est unio populi christiani ad Christum; aqua enim populum significat secundum Apocal. XVII, 15 ». Item, ut alii addunt, ad repræsentandum mysterium Incarnationis. Parum autem tantum aquæ admiscetur, tum ne vinum alteretur vel corrumpatur; tum etiam quia aqua significat populum, et vinum Christum Dominum, et decet, ut ipsum caput, Christus, expressius repræsentetur, quam populus, qui illi adunatur.

4. In oratione *Deus, qui humanæ substantiæ* etc., Deus dicitur humanam substantiam seu hominem mirabiliter condidisse, creando corpus de limo terræ, eique animam inspirando : homini dignitas adscribitur respectu ad alias creaturas terrestres, quarum homo est dignissimus; Deus dicitur hominem mirabilius reformasse per incarnationem Filii Dei, ejusque passionem et mortem; per aquæ et vini mysterium quidam intelligunt passionem et mortem Christi, quatenus ut supra dicitur, hic repræsentatur, quod sanguis et aqua de latere Christi exierint; alii autem et quidem magis proprie juxta ipsius orationis verba intelligunt mysterium incarnationis, qua, sicut aqua vino admiscetur in una substantia, natura humana divinæ unita est in una Verbi persona; petimus ejus divinitatis esse consortes per gratiam sanctificantem, qua homo dicitur fieri consors naturæ divinæ;

Digitized by Google

Christus dicitur factus particeps humanitatis nostræ per incarnationem qua Verbum caro factum est (1).

75. *Oblatio calicis.* Celebrans redit ad medium altaris, ut calicem in conspectu Crucifixi offerat. Oculos et calicem elevat, ut oblatio fiat omni modo, prout de oblatione hostiæ dictum est; oculi autem non demittuntur, quia in hac oratione nihil id exigit, et hæc oratio brevior sine errandi periculo memoriter recitari potest. Item Calicem elevat non tantum usque ad pectus sed usque ad faciem, quia, quo altius elevatur, eo magis actio verba imitatur; et cum oratio oblationis calicis in tabella legenda non sit, nihil impedit, quominus calix usque ad faciem elevetur. Finita oblatione format crucem cum calice, in cujus medium eumdem collocat, ad significandum eamdem esse sacrificii victimam, quæ olim cruci affixa fuit. Tandem palla calicem cooperit, ne quid in eumdem decidat.

In oratione oblationis calicis dicitur *Offerimus*, vel quia diaconus in missa solemni hanc orationem cum celebrante recitat, qui ritus in missa privata retentus est, vel quia sacerdos loquitur et offert non tantum suo nomine sed etiam populi adstantis; dicitur *Calicem* continens pro re contenta; *salutaris*, id est, Christi, qui instituit, ut calix offerretur et consecraretur; vel etiam referri potest ad calicem, quatenus consideratur consecratio mox futura, vi cujus salutaris dici potest; *pro nostra et totius mundi salute*, adeoque offertur pro omnibus hominibus fidelibus et infidelibus, hæreticis et schismaticis, ut convertantur et salventur; ita ut in hac oratione suppleatur, quod non habetur in oblatione hostiæ, in qua oratur pro solis fidelibus; *ut in conspectu divinæ Majestatis tuæ ascendat*, hæc intelligi possunt vel de quasi reali ascensione, quæ fit per consecrationem, qua vinum in Sanguinem Christi convertitur; vel de morali, quæ fit, quatenus virtus oblationis ad cœlum ascendit, et ejus intuitu nobis gratiæ conceduntur; *cum odore suavitatis*, quæ semper adest ex parte Christi seu hostiæ oblatæ, quæ

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 1. § 176 et seq.

Digitized by Google

tamen utpote absens recte petitur, prout ante consecrationem petitur, ut oblatio fiat Corpus et Sanguis Christi; non tamen semper adest ex parte sacerdotis et fidelium, quibus opus est rogare, ut in actu sacrificii Deo placeant, et inde bonum gratiæ odorem consequantur. Notandum panem seu hostiam offerri pro peccatis, et calicem seu vinum pro salute, non quatenus panis et vinum in se spectantur, sed quatenus per consecrationem in Corpus et Sanguinem Christi convertuntur.

76. In missa solemni calix tanquam inutilis in altari, relinquitur super credentia usque ad offertorium, ne impediat celebrantem in thurificatione altaris, in lectione hymni *Gloria* et symboli.

Subdiaconus induitur velo humerali ad tegendum calicem et postea patenam. Adeoque velum, quo calix cooperitur, tanquam inutile removeri potest.

Diaconus et subdiaconus calicem afferunt, præparant, etc. tamquam ministri celebrantis. Subdiaconus autem extergendo calicem, offerendo vinum, et infundendo aquam in calicem exercet actum sui ordinis, de quo in ejus ordinatione fit mentio per traditionem calicis et patenæ, et deinde per traditionem urceolorum.

In oblatione calicis diaconus tenet pedem calicis vel sustentat brachium celebrantis, ac si cum celebrante calicem elevaret et offerret, pariterque cum celebrante recitat orationem *Offerimus tibi*, non tantum quia hæc oratio fit in plurali et in persona ministrorum omniumque præsentium, sed etiam quia, quando communio sub utraque specie vigebat, dispensatio calicis diacono ordinaria erat, quapropter ut minister hujus dispensationis ad illius oblationem quoque concurrebat; præterea cum calices illo tempore graviores et ita ampli essent, ut vinum sufficiens pro communione fidelium continerent, sustentatio diaconi necessaria esse poterat.

Subdiaconus tenet patenam, quia ab oblatione usque ad fractionem s. Hostiæ nullus amplius hujus usus est in altari, simulque nullum subdiaconi ministerium necessarium (1). Velo autem tegitur, ut munda servetur, et decentius teneatur.

(1) Pouget inst. cath. p. 3, s. 2, c. 7, § 22, n. 26.

Digitized by Google

77. Oblata primum incensantur ad offertorium, quia hæc incensatio fit præcipue ratione oblatorum, et crux atque altare incensata sunt ante introitum. Hæc incensatio fit per modum crucis, ut hoc redemptionis nostræ signo oblata magis sanctificentur. Crux ter repetitur, terque thuribulum ducitur circum oblata, ut magis ac magis fumo honorifico perfundantur.

In oratione, qua incensum benedicitur, dicitur *Per intercessionem B. Michaelis;* communiter autem putatur, auctorem hujus orationis non intendisse exprimere angelum, qui Apoc. VIII, 3, stetit ante altare, quique non nisi conjecturaliter dicitur fuisse s. Michael; sed voluisse exprimere angelum Gabrielem, qui Luc. 1. Zachariæ apparuit, stans a dextris altaris incensi : unde antiquissimi codices Gabrielis nomen referunt, pro quo postea librariorum oscitatione illud Michaelis substitutum esse debet. Nihil tamen innovandum esse, respondit S. R. C. (1).

Versus, qui infra incensationem recitantur, desumpti sunt ex ps. 140, cujus versus secundus est : *Dirigatur oratio mea* etc. id est, oratio mea tam accepta sit quam odoratus thuris thymiamatis suffitus; *Elevatio manuum mearum* ad orandum, seu oratio mea sit veluti incensi vel agni sacrificium, quod ad vesperam offertur. Huic versui, qui incensationi præcipue congruit, adjunguntur duo versus sequentes, ut celebrans per totam incensationem in Domino occupetur. In versu tertio : *Pone Domine custodiam,* etc. celebrans petit gratiam, ne peccet per locutionem; et in quarto, ne Dominus permittat, eum peccare per prava desideria, quibus erumpat in verba malitiosa, præcipue ad excusanda peccata, prout primi nostri parentes fecerunt.

DE ORATIONIBUS AB OBLATIONE USQUE AD CANONEM.

78. Oratio : *In spiritu humilitatis* etc. desumpta est ex

(1) Vid. Lebrun, p. 3, art. 7; Merati p. 2, tit. 7, n. 63.

Digitized by Google

lib. Dan. III, 39 et 40, ubi tres pueri in fornacem missi, ita orasse et vitam suam Deo obtulisse leguntur. Sacerdos eam recitat manibus junctis præ majori devotione, et super altare positis, ut se uniat Christo, ac corpore inclinato in signum internæ humilitatis et contritionis, quarum mentio fit in oratione.

79. *Veni, Sanctificator.* Per sanctificatorem in hac oratione intelligitur Spiritus Sanctus, cui sanctificatio nostra adscribitur, ut patet ex verbo *Veni*, quod ad Patrem non dicitur, sed tantum ad Filium et Spiritum Sanctum (1).

Sacerdos ad hanc orationem expandit elevatque manus, ut, postquam in spiritu humilitatis et animo contrito oraverit, propriamque miseriam atque Dei auxilii necessitatem cognoverit, hoc actu homini auxilium quærenti proprio Deum supplicet, ut benedicat sacrificium, illudque cedat in salutem sacerdotis et fidelium. Oculos elevat, ut eos simulque mentem suam cum manuum elevatione ad Deum dirigat; manus autem et oculos statim demittit, ut signet oblata, et ad hoc attendere valeat. Ante benedictionem manus ante pectus jungit, ad significandum se oblata benedicere non propria virtute sed Dei, a quo supplici gestu benedictionem petit; deinde sinistram ponit super altare, ne sola pendula maneat; et dicens *Benedic* facit signum crucis super oblata propter verbum *Benedic*, quod crucem communiter conjunctam habet, quia crux est fons et causa meritoria omnis benedictionis.

80. *Lotio manuum.* Sacerdos e medio altaris discedit in honorem Crucifixi. Lavat manus in sensu litterali propter munditiem corporalem in reverentiam ss. Sacramenti : ideoque in missa privata lavat tantum extremitates indicis et pollicis, quibus Sacramentum tangere debet; in missa autem solemni totas manus, quia incensatione plures maculas contrahere potest. In sensu mystico lavat manus in signum internæ puritatis, quam celebrans habere debet, non tantum a peccatis mortalibus, sed etiam a venialibus et omni affectu ad peccatum; licet enim venialia communionem non prohibeant, ejus tamen effectus impediunt.

(1) Vid. Lebrun, p. 3, art. 6, § 8.

Digitized by Google

Psalmus *Lavabo* incipit a versu sexto psalmi 25, qui versus et sequens septimus lotioni manuum tantum congruunt; reliqui tamen versus psalmi recitantur usque ad finem, ut celebrans eos sub abstersione manuum in Dei laudem recitare posset.

1. *Lavabo inter innocentes manus meas.* Alluditur ad lotionem, qua sacerdotes in veteri lege se purificabant ante ingressum tabernaculi. Sensus est : *Odivi ecclesiam malignantium* (qui est versus præcedens) seu consortium impiorum, *et cum impiis non sedebo* seu conversabor; quinimo ab impiis me ita segregabo, ut me adjuncturus sim illis, qui, antequam templum ingrediantur, lavant manus suas; cum illis piis, innocentibus, et Dei cultui deditis similiter manus lavabo, *et circumdabo altare tuum Domine.*

2. *Ut audiam vocem laudis* a levitis et cantoribus emissam, et illis adjunctus simul *enarrem universa mirabilia tua* opera.

3. Imo in deliciis id habeo : nam *dilexi decorem domus tuæ* seu tabernaculi, *et locum habitationis gloriæ tuæ.* Est usitata repetitio priorum verborum.

4. Cum igitur innocens sim, et te laudaturus sim, *ne perdas cum impiis, Deus, animam meam,* seu vitam meam, *et cum viris sanguinum,* seu crudelibus, *vitam meam.*

5. *In quorum manibus iniquitates sunt* etc., id est : qui mala agunt, et muneribus facile seducuntur ac corrumpuntur ad malum faciendum.

6. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum,* id est : me gessi innocenter, simpliciter et sine fraude *redime* ergo *me* ab impiorum pœnis, ne iisdem involvar.

7. *Pes meus stetit in directo,* id est : ambulavi seu vixi in via rectitudinis et justitiæ; et cum id speciali tua gratia consecutus sim, ideo *in ecclesiis* seu piorum conventibus in gratiarum actionem *benedicam* et laudabo *te Domine.*

8. Psalmus more solito concluditur *Gloria Patri,* qui versus omittitur in missis de *Requiem* et de tempore passionis, tum juxta morem antiquum, quo hic versus psalmis non adjungebatur, tum quia sapit lætitiam, quæ istis missis non convenit.

Digitized by Google

Hic psalmus personam justi repræsentans, optime convenit celebranti, qui pariter justus esse debet : actu etiam lavat manus inter sacerdotes, qui omnes innocentes sint oportet; et circumdat altare Domini, ubi audit vocem laudis a semetipso emissam, et enarrat opus seu mysterium mirabilissimum, ad quod eo affectu ferri debet, ut dicere queat : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* Ejus autem justitia vera et sincera esse debet, ut tuta conscientia dicere possit : *ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.* Si enim in manibus ejus iniquitates sint, et dextra repleta sit muneribus injuste acceptis, propio ore judicaretur, et sententiam perditionis sibimetipsi exposceret. Absit hoc; et sacerdos in veritate dicat : ego non sicut impii, sed *in innocentia ingressus sum* etc. et in gratiarum actionem benedicam et laudabo Dominum. Si sacerdos ob conscientiam præteritorum peccatorum remissorum dicere nequeat se semper in innocentia ingressum esse, interius ingemiscere debet.

Not. in versu quarto hujus psalmi in multis tabellis et missalibus desiderari vocem *Deus*, quæ in s. Scriptura et etiam missalis editione typica habetur : ita ut legendum sit : *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.*

81. *Suscipe, sancta Trinitas.* Sacerdos, qui honestatis et reverentiæ causa e medio altaris discesserat, redit ut coram imagine Crucifixi hanc orationem effundat. Oculos elevat, ut verbis et actione simul Deum alloquatur, suamque mentem et attentionem ad Deum dirigat; illos tamen statim demittit propter inclinationem faciendam. Se inclinat, manusque junctas super altare deponit, ut in statu humili et supplici se uniat Christo, et ab eo sacrificium suscipiatur.

In hac oratione dicitur : 1° *Suscipe hanc oblationem* utriusque materiæ et speciei per consecrationem perficiendam; 2° *in memoriam passionis,* sicut Christus, præcepit per hæc verba : *In mei memoriam facietis;* additur *resurrectionis et ascensionis,* quia hæc fuerunt vitæ et passionis Christi nostræque redemptionis complementum et consummatio, 3° fit expressa mentio B. M. Virginis tanquam omnium dignissimæ, item s. Joannis Baptistæ et ss. Petri et Pauli, tanquam

Digitized by Google

præcipuorum veteris novique testamenti sanctorum; additur *et istorum*, id est, quorum reliquiæ in altari quiescunt; 4° *in honorem* et *ad honorem Sanctorum*, licet autem sacrificium dicatur offerri in honorem sanctorum, id non fit eo modo, quo offertur in honorem Dei : soli Deo principaliter offertur, ideoque dicitur *Suscipe, sancta Trinitas, Offerimus tibi, Domine;* sanctis autem non offertur, sed offertur Deo in honorem et memoriam sanctorum. Sacrificium igitur principaliter et primario tendit in honorem Dei, secundario autem et minus principaliter in honorem sanctorum, qui ex sacrificio acquirunt honorem quemdam accidentalem et extrinsecum, eo scilicet sensu, quod inde gratias consequamur, quibus sanctos in terris honoremus, et debito honore prosequamur (1).

82. *Orate, fratres.* Sacerdos memor fragilitatis suæ, cum et ipse circumdatus sit infirmitate, ad fideles se convertit ut ab iisdem orationum suffragia postulet. Prius osculatur altare in signum amoris et devotionis erga Christum. Se vertit ad populum, quia eum allocuturus est. Dicit *Orate, fratres* media voce ob cantum in missa solemni. Manus extendit et jungit, ut non tantum sua conversione et voce, sed et gestu populum ad orationem moveat et excitet. Revertitur ad altare per suam dextram ob missale, ex quo secretas mox lecturus est, quæ olim ad cornu evangelii legebantur.

Fideles hic dicuntur fratres, ex antiquissimo usu, quo omnes christiani vocabantur fratres, ut constat ex epistolis s. Pauli; sub hac autem voce etiam mulieres comprehenduntur tanquam in sexu nobiliori. *Ut meum ac vestrum sacrificium*, adstantes enim etiam suo modo sunt offerentes, *acceptabile fiat* ex parte celebrantis et fidelium, qui sua indispositione causa esse possunt, ut fructu sacrificii priventur. In responso dicitur *Ad laudem et gloriam nominis sui*, id est ad laudem et gloriam suam : laus et gloria Dei infallibiliter quidem ex sacrificio resultant, recte tamen exoptantur, tum quia decet nos Dei laudem et gloriam velle et desiderare,

(1) Vid. conc. Trid. s. XXII, de sac. m. cap. 3; Lebrun, p. 3, art. IX; Pouget inst. cath. p. 3, sect. 2, c. 7, § 22, n. 12

Digitized by Google

tum quatenus velle debemus, ut sacrificium ita peragatur, ut etiam ex parte nostra in Dei laudem et gloriam cedat.

83. Orationes secretæ ita vocantur a voce secreta, qua leguntur, ad distinctionem collectarum et postcommunionum, quæ alta voce dicuntur. Secreto leguntur ob cantum offertorii, qui quandoque ad præfationem usque protrahitur, vel ad majorem celebrantis recollectionem, vel ad imitationem Christi, qui ad orationem solitudinem sæpius quæsivit, et in silentio oravit. Iis non præmittitur *Dominus vobiscum*, nec *Oremus* tum ob vocem secretam, tum quia hæc dicta sunt ante offertorium.

84. Præfatio ita dicitur a suo fine, qui est, ad canonem præparare sacerdotis et fidelium mentes : sicut enim præfatio ad initium libri apponitur ad parandam lectoris mentem, ita hic præfatio dicitur, ut sacerdotis et fidelium mentes ante canonem et consecrationem eleventur ad choros usque angelorum, et ardoribus seraphicis inflammentur.

Hæc verba *Per omnia* proprie spectant ad orationes secretas; quia enim hæ orationes secreto leguntur, per hæc verba alta voce concluduntur, ut a populo approbentur et confirmentur per *Amen :* nihil tamen obstat quominus hæc verba dicantur secretarum finis et præfationis initium.

Celebrans sub verbis *Per omnia* et *Dominus vobiscum* manus super altare deponit pro sua commoditate, et quia verba aliam actionem non requirunt; rem autem mystice spectando, ut ipse et populus admoneantur, ut omnem cogitationem terrenam deponant, et veluti cum apostolis in monte Thabor aut cum angelis in cœlo intrent in nubem cœlestium contemplationum.

Congruenter hic dicitur *Dominus vobiscum*, quia instat principalis pars missæ, ad quam sacerdos et populus Dei gratia et assistentia præcipue indigent. Sacerdos autem se non vertit ad populum, quia per *Orate fratres* populum quodammodo dimisit, et ipse totus divinis contemplationibus nunc quasi immersus esse debet; vel quia olim ante præfationem sanctuarium claudebatur, et sacerdos e conspectu populi remotus erat.

Digitized by Google

Sacerdos dicens *Sursum corda* manus elevat usque ad pectus, sicut etiam tonus in missa cantata gradatim elevatur, ut actio verbis concordet. *Sursum corda*, id est, elevate corda ad Deum per cœlestem contemplationem. *Habemus ad Dominum*, id est, corda elevata.

Dicens *Gratias agamus Domino* manus jungit, ut deinde majori veneratione caput inclinet, et dicens *Deo nostro*, oculos elevat ad crucem seu Deum, cui gratias agit, et mox oculos demittens, caput inclinat in honorem et venerationem Dei nominis. *Dignum et justum est*, scilicet Deo gratias agere.

Præfatio communis. Vere dignum est creaturæ suo creatori et benefactori gratias agere; et cum creatura ad hoc vere sit obligata, etiam *justum* et *æquum* est; ipsique *salutare*, quatenus pro uno beneficio se gratum exhibere, optima est dispositio, ad alia beneficia impetranda. *Semper et ubique gratias agere*, id est, omni tempore et loco, quia Deus numquam et nullibi cessat benefacere. *Per Christum Dominum nostrum*, quia, cum gratiarum actiones nostræ nimis exiguæ et debiles sint, eas Deo offerimus per Christum mediatorem nostrum. *Per quem* tanquam creatorem et caput suum, ut dicitur ad Coloss. I, 16, et II, 10, *majestatem tuam laudant angeli* etc., sub quibus omnes novem angelorum chori comprehenduntur. *Tremunt potestates* non actu tremoris sed metu reverentiali. *Supplici confessione dicentes*, nimis enim debiles et exigui sumus, ut voces nostræ istis angelicis conjungantur, nisi ex supplici et humili corde procedant (1).

85. Ad *Sanctus* sacerdos se inclinat ob verba præcedentia *Supplici confessione*, vel potius, quum hæc verba non in omni præfatione habeantur, in reverentiam divinæ majestatis, quam cum angelis sanctificat. Manus junctas tenet pro majori veneratione et devotione, eas autem super altare non deponit in reverentiam erga Christum per altare repræsentatum. Recitat voce media ratione pulsus campanulæ, qua

(1) Vid. Innocentius III, lib. 2, c. 61, et Lebrun, p. 4, art. 1, § 3.

Digitized by Google

vox alta suppletur, quæque pulsatur, ut omnibus pars principalis missæ innotescat, et eorum mentes ad proxima mysteria excitentur. Sacerdos ad *Benedictus* se erigit, ut magis commode se signet; se autem signat ob vocem *Benedictus*, ut virtute crucis particeps fieri mereatur benedictionum et gratiarum, quas Christus in altari effundere veniet.

Hæc verba *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua* desumpta sunt ex libro Isaiæ VI, 3. Sanctus ter repetitur tum ex majori affectu, tum ad professionem Trinitatis personarum in unitate essentiæ. *Sabaoth* Isaiæ vertitur *exercituum*, nempe angelorum. Cœli et terra dicuntur plena gloria Dei, quatenus creaturis omnibus, quæ cœli terræque ambitu continentur, impressa apparent argumenta divinæ potentiæ, sapientiæ et providentiæ. *Hosanna* est vox hebraica, significans *salva, quæso*, quæ est acclamatio usitata ab Hebræis, qua a Deo omnem felicitatem precantur, prout vulgariter dicitur *Vivat. In excelsis*, id est, salva, quæso, tu, qui habitas in cœlis excelsis; vel *in excelsis* ponitur pro *de excelsis*, q. d. salus descendat de excelsis cœlis super eum. *Benedictus* etc. : hæc verba diriguntur ad Christum, qui a Patre missus est, et ejus nomine venit in mundum, ut eum redimeret, et quotidie super altare descendit, ut opus redemptionis perficiat : ita ut celebrans hæc verba non tantum narrative, sed etiam assertive referre possit et debeat ad Christum venientem in altare sub speciebus eucharisticis.

DE CANONE MISSÆ USQUE AD CONSECRATIONEM.

86. Canon. vox græca, significat regulam, et ita vocatur, quia est regula firma et invariabilis, juxta quam missa est celebranda. In quibusdam solemnitatibus pauca quidem mutantur, sed id non obstat, quominus canon regula firma dicatur respective ad alias missæ partes, quæ quotidie aut saltem sæpe mutantur. Dicitur etiam agenda aut actio, quia

Digitized by Google

hic dominica sacramenta perficiuntur, unde si quid in canone mutandum aut addendum sit, in missali hæc nota *infra actionem* apponitur; item legitimum, secretum, textus canonicæ precis, et aliqui illum quandoque vocant precem aut orationem.

Canonem antiquum esse et ab omni errore purum docet Concilium Trid. (1). « Ecclesia catholica... sacrum canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat ». Et ibidem can. 6. « Si quis dixerit, canonem missæ errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit ».

Canonem extitisse ante sæculum quintum, inde probari potest, quia in eo nulla fit memoria confessorum, quibus a sæculo quinto cultus tantum tributus est; si enim eo tempore aut postea fuisset compositus, procul dubio illustriores quidam confessores illi inserti fuissent; imo illum extitisse sæculo quarto constat ex s. Ambrosio, qui sæculo quarto vixit, et (2) plures ejus orationes refert; quinimo Vigilius Papa (3) dicit, canonem ex Apostolica traditione profectum esse (4).

Canon (5), « constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. » Constat igitur : 1° ex verbis Domini seu verbis consecrationis. 2° Ex Apostolorum traditionibus : ut enim Vigilius Papa dicit canonem ex apostolica traditione profectum esse, et juxta s. Isidorum Hispal. « Ordo missæ vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a s. Petro institutus est », sic certissime credi potest, Apostolos canonem, non quidem uti nunc est, composuisse, sed partes ejus præcipuas atque ordinem aliquem precum in

(1) Sess. 22, c. 4, de sac. m.
(2) Lib. 4, de sac. c. 5 et 6.
(3) Epist. ad Profuturum.
(4) Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, § 211.
(5) Conc. Trid. cap. cit.

Digitized by Google

ecclesiis a se fundatis instituisse; sicque s. Petrum procul dubio Romanæ Ecclesiæ reliquisse ejusmodi regulam aut canonem, quem sequentes Romani Pontifices, nonnullis adjectis, in eam formam, qua nunc est, redegerunt. 3° Ex Pontificum institutionibus : sic addidit s. Leo Magnus : *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam,* et s. Gregorius Magnus : *Diesque nostros in tua pace disponas* etc., prout et nomina sanctarum *Agathæ, Luciæ,* etc. Post sanctum autem Gregorium nihil amplius in canone fuisse insertum vel mutatum refert Benedictus XIV (1).

Certum est canonem incipi per orationem *Te igitur,* ut patet ex missali, quod hanc orationem sub canone comprehendit; quidam autem censent eum tantum finiri ad communionem sacerdotis; communiter tamen dicitur illum disinere ad orationem dominicam exclusive (2).

87. *Te igitur.* Sacerdos ad hanc orationem manus extendit et elevat, ut hoc actu homini auxilium quærenti proprio incipiat orationem et canonem, simulque ostendat, se a solo Deo auxilium quærere. Oculos quoque elevat, ut eos simulque mentem suam cum manuum elevatione ad Deum dirigat; oculos autem et manus statim demittit ad faciendam inclinationem. Deinde manus jungit, et corpus profunde inclinat, ut non tantum verbo sed etiam facto se coram Deo humiliet. Inclinatus manus super altare deponit, ut se uniat Christo per altare repræsentato. Ad osculum manus hinc inde super altare extendit, ut illud facilius osculetur, vel etiam ut Christum quasi complectatur. Osculatur altare in signum amoris et devotionis erga Christum ad obtinendam ejus in oblata benedictionem. Ante benedictionem manus jungit, ad significandum se oblata benedicere non propria virtute sed Dei, a quo supplici gestu benedictionem petit. Infra benedictionem sinistram super altare deponit, ne sola pendula maneat. Signat super hostiam et calicem propter verbum

(1) De sac. m. sect. 1, § 216; item card. Bona rer. lit. lib. 2, c. XI, n. 2.

(2) Bened. XIV, de sac. m. sect. 1, § 313; Bona rer. lit. lib. 2, c. 11, n. 1; Quarti quæst. procem. sect. 3, p. 3; Cavalieri tom. 5, c. 16, n. 1.

Digitized by Google

benedicas, quod crucem communiter conjunctam habet, quia crux est fons et causa omnis benedictionis; ter autem signat, quia verbum *benedicas* ter quoad sensum habetur, nam subintelligitur *benedicas hæc munera*, *benedicas hæc sancta* etc. Deinde extensis ante pectus manibus prosequitur, sicuti fere per totum canonem, quia manuum extensio est actus Deum orantis, quo significatur mentem ita in Deum esse elevandam, ut sacerdos ex redundantia cordis non tantum verbis sed etiam actione et toto corpore in Deum feratur (1). Ad nomen Papæ caput inclinat ad ejusdem honorem et venerationem.

« Inter præfationem et canonem in plerisque missalibus imago Christi depingitur, ut etiam aspectus picturæ memoriam Dominicæ passionis inspiret, et forte divina factum est providentia, licet humana non sit industria procuratum, ut a littera T canon inciperet, quæ sui forma signum crucis ostendit et exprimit in figura » (2). Particula *igitur* respicit præfationem, q. d. sicut angeli Deum laudant et adorant per Christum, ita et nos per eumdem mediatorem Deum Patrem rogamus ac petimus. *Uti accepta habeas*, semper Deo Patri accepta sunt ex parte Christi seu hostiæ oblatæ; sed non semper ex parte sacerdotis et fidelium, quibus opus est rogare, ut in actu sacrificii Deo placeant, et omnem gratiæ obicem removeant. *Dona* et *munera* vel sunt synonyma, quibus res una pro sua magnitudine diversa appellatione laudatur; vel diversa, quatenus donum est, quod a superiore datur, et munus, quod ab inferiore : ita ut sint dona a Deo nobis donata, et munera a nobis Deo oblata (3). *Hæc sancta sacrificia illibata :* unum quidem est sacrificium sub specie panis et vini; dicitur tamen in plurali *sacrificia* ratione specierum panis et vini, quæ licet ad unum idemque pertineant sacrificium, sunt tamen signa materialiter diversa; dicuntur *sancta* et *illibata*, quatenus cum sanctitate et sine macula cordis et corporis offerri debent, vel quatenus consideratur consecratio mox futura, vi cujus materia consecranda sancta et illibata

(1) Vid. tom. I, n. 139.
(2) Innocentius III, lib. 3, c. 2.
(3) Durantus de rit. Ecc. cath. I, 2, c. 33, n. 3 et 4.

Digitized by Google

dicitur. *Quæ tibi offerimus* in nomine præsentium et omnium fidelium (1).

88. *Memento.* Sacerdos manus extensas elevat et jungit, ut hoc actu homini auxilium quærenti proprio ad Deum confugiat. Caput deinde inclinat pro majori humilitate; manusque junctas tenet pro majori recollectione et devotione. Commemoratione facta, extensis manibus prosequitur ob rationem supra dictam.

Dicitur *Memento, Domine,* non quasi Deus alicujus obliviscitur; sed quatenus Deus dicitur reminisci, quando gratiam et auxilium largitur, ita ut *memento* idem sit ac *miserere, adjuva. Famulorum famularumque tuarum,* hæc verba respiciunt eos, pro quibus celebrans orare intendit, et quos ad litteras N. N. exprimere potest, ut dictum est tom. I, n. 243. *Pro quibus tibi offerimus* sive specialiter sive generaliter, *vel qui tibi offerunt* panem et vinum, juxta antiquam fidelium consuetudinem, de qua dictum est n. 72; quamvis autem hic usus desierit, hæc tamen verba adhuc verificantur, quatenus hoc etiam tempore fideles suo modo sunt offerentes : 1° assistendo et suam intentionem conformando intentioni celebrantis, et 2° concurrendo ad sacrificium, sive per subministrationem necessariorum, sive inserviendo celebranti, sive per postulationem et præcipue per stipendium. Particula *vel* sumitur copulative; sensus enim non est alterutros excludere, sed pro utrisque, pro quibus offerimus et qui offerunt, orare, et specialiorem quidem memoriam agere eorum, qui offerunt (2). *Sacrificium laudis,* est enim sacrificium latreuticum et eucharisticum. *Pro se suisque omnibus* consanguineis, amicis, necessitatibus, etc. *Pro redemptione animarum suarum* a potestate dæmonis, pœnis inferni ac purgatorii, et reatu omnis culpæ et pœnæ. *Pro spe salutis* æternæ, *et incolumitatis suæ* corporalis. *Tibique reddunt vota sua,* id est, adorationes, gratiarum actiones, postulationes, desideria, quæ Deo offerunt, ad impetranda quæcumque auxilia.

(1) Cavalieri tom. 5, c. 16, n. 5.
(2) Vid. Cavalieri tom. 5, c. 16, dec. 3.

Digitized by Google

Commemoratio vivorum et defunctorum olim fiebat ope diptychorum, quæ erant tabulæ bis plicatæ, ita ut lectori tres columnas exhiberent. In prima inscribebantur nomina ss. Martyrum; in secunda nomina Pontificis, Episcopi, Principis aliorumque viventium; et in tertia nomina fidelium in communione Ecclesiæ defunctorum. Nomina clara etiam voce exprimebantur, qui usus sæculo duodecimo extinctus fuit, quia fideles animo vanitatis dona offerebant, ut ipsorum nomina publice annuntiarentur.

89. *Communicantes.* Sacerdos caput inclinat ad nomina Jesu Christi, Mariæ et Sancti, cujus celebratur missa, vel specialis fit commemoratio, in honorem et venerationem illorum nominum : quia enim in nomine Jesu omne genu flectendum est, B. Maria inter sanctos est dignissima, et sacerdos specialiter vacat cultui illius sancti, cujus missa vel memoria celebratur, congruit, ut sacerdos ad illorum nomina specialem exhibeat reverentiam. Dicens *Per eumdem* jungit manus, tum ut se disponat ad manus expandendas super oblata, tum ut majori veneratione orationem concludat per Christum Dominum.

Vox *Communicantes* juxta plures refertur ad initium canonis, seu ad *Supplices rogamus*, ita ut *Communicantes* sit pars illius primæ orationis, et *Te igitur*, *Memento* et *Communicantes*, sint una tantum oratio; juxta alios autem qui has orationes in tres distinguunt, refertur ad verbum *muniamur* in fine orationis. *Communicantes* idem est ac intrantes in aliorum communionem, seu nostras preces aliorum precibus conjungentes : videtur respicere sequentia seu communionem sanctorum, quorum mox memoria sequitur; nihil tamen impedit, quominus etiam spectare dicatur ad præcedentia, seu ad communionem fidelium, quorum fit memoria in oratione præcedente (1). *Genitricis Dei et Domini nostri* etc. : his verbis non fit memoria Domini nostri, sed solius B. M. V., sensus enim est : *Mariæ, quæ est genitrix Dei et Domini nostri.* Fit memoria duodecim Apostolorum,

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 1, § 235; Lebrun p. 4, art. 4, § 3.

Digitized by Google

excepto s. Mathia, qui in fine canonis recensetur, quia post passionem Christi fuit electus ; sanctus tamen Paulus s. Petro adjungitur, quia Ecclesia Romana illum a s. Petro numquam sejungit. Post Apostolos sequuntur duodecim martyres, quibus omnes sanctos martyres comprehendi dici potest, quia numerus duodenarius universalitatem denotat. Hi martyres præ cæteris commemorantur, quia, cum canon a primis sæculis fuerit formatus, hi tanquam illustriores inserti fuerunt.

90. *Hanc igitur.* Sacerdos legens hanc orationem, manus extensas tenet super oblata, non tantum ob pronomen *hanc*, ut materiam sensibiliter præsentem demonstret, sed ut communiter dicitur, ob rationem ex veteri testamento desumptam : scilicet « qui in veteri lege oblaturi erant sacrificium, ante immolationem ponebant manus super caput victimæ, ut hoc ritu significarent, se substituere victimam in locum suum ad subeundam mortem, quam ipsi meriti erant ; simulque orabant Deum, ut hujus sacrificii oblatione placatus, simulque acceptam habens voluntatem offerentium, tribueret ipsis et remissionem peccatorum, et bona omnia ad salutem mentis et corporis necessaria (1). Ad hujus ritus imitationem in nova lege sacerdos facturus jamjam mysticam immolationem Corporis Christi, tam suo quam populi simul offerentis nomine, ponit manus super oblata in Corpus et Sanguinem Christi mox convertenda : eoque ritu offert Deo se populumque christianum cum Christo jamjam mystice immolando ; ut ejus virtute sacrificii impetret a Deo remissionem peccatorum, vitæ præsentis pacem, et æternæ gloriam. Quæ quidem omnia ea oratione, quam positis super oblata manibus recitat, exprimuntur » (2).

In hac oratione particula *igitur* respectum dicit ad orationem precedentem, q. d. suffulti ergo meritis et precibus sanctorum, *hanc oblationem*, *quæsumus*, *placatus accipias*. *Hanc oblationem* mox faciendam per consecrationem, quam sacerdos animo præsentem habet. *Servitutis nostræ*, sumus

(1) Exodi XXIX, 10 ; Lev. I, 4, III, 2, IV, 4.
(2) Ita Pouget inst. cath. p. 3, s. 2, c. 7, § 22, n. XVIII.

Digitized by Google

enim servi Dei, et tanquam servi sacrificium offerimus supremo Deo et Domino nostro. *Cunctæ familiæ tuæ*, id est, totius Ecclesiæ, in cujus nomine sacrificium offertur. *Placatus* de peccatis nostris, *accipias* ex parte celebrantis et fidelium, eos exaudiendo illisque gratias desideratas concedendo. *Dies nostros in tua pace disponas*, largiendo pacificum et salutarem vitæ nostræ cursum. *Atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari :* hæc petitio non adversatur prædestinationi aut immutabilitati Dei ; sicut enim cœlum a Deo petere licet, uti fit in oratione dominica : *Adveniat regnum tuum*, sic etiam petere licet, ut nos ab æterna damnatione eripere et in electorum grege numerare dignetur ; utriusque enim petitionis idem est effectus. Quapropter notandum est, nos hic non petere, ut voluntas Dei circa prædestinationem mutetur, sed ut Deus prædestinationem nostram, quam cum fiducia speramus ab æterno factam, in tempore executioni mandare, nobisque in hunc finem gratias suas largiri dignetur. « Non enim oramus propter hoc, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus quod Deus disposuit per orationes esse adimplendum » (1).

91. *Quam oblationem* etc. Sacerdos legit hanc orationem manibus junctis tum ob verbum *quæsumus*, quod statum supplicem exigit, tum ob signa crucis, quæ sequuntur. Signat super hostiam et calicem simul ob vocem *benedictam*, quæ crucem communiter conjunctam habet, quia crux est causa omnis benedictionis ; et cum voces *adscriptam* et *ratam* eamdem fere significationem habeant, vel potius cum oblatio adscribi et rata haberi nequeat nisi iisdem meritis Christi, sub iisdem signum crucis renovatur. Nulla tamen fit signatio ad voces *rationabilem* et *acceptabilem*, quamvis eadem fere militet ratio, quia Ecclesia numerum ternarium excedere non solet in honorem ss. Trinitatis. Dicens *Corpus et Sanguis* semel signat super hostiam et semel super calicem, ad significandum, virtute crucis nos petere, ut nobis Corpus et Sanguis

(1) S. Thomas, 2, 2, q. 83, art. 1 ad 2.

Digitized by Google

fiat (1). Manus jungit, ut in statu supplici et majori veneratione caput inclinet sub venerando nomine Jesu Christi.

Quam oblationem scilicet servitutis nostræ et cunctæ familiæ seu Ecclesiæ, *in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris :* oblatio ex parte hostiæ essentialiter est benedicta; adscripta seu a Deo approbata; rata seu confirmata, ita ut Deus illam semper accipere dignetur; rationabilis seu rationi consentanea, tum quia Hostia est ipse Christus Dominus, qui æterna est sapientia, tum ad differentiam hircorum, vitulorum et aliorum animalium, quæ in veteri lege offerebantur; acceptabilis seu Deo placens; non tamen ita semper est ex parte sacerdotis et fidelium, quique proinde recte petunt, ut oblatio in omnibus, quæ ipsos concernunt, sit benedicta respectu ipsorum; adscripta, seu per quam approbantur et in cœlo adscribuntur; rata seu firma et stabilis, ita ut vi illius a Deo non separentur; rationabilis, per quam a carnali sensu exuuntur, et rationabiles redduntur, corpus scilicet et passiones rationi, rationemque et animæ facultates Deo submittendo : acceptabilis, per quam Deo accepti redduntur (2). *Ut nobis Corpus et Sanguis fiat* etc. his verbis sacerdos orat, ut panis et vinum per consecrationem convertantur in Corpus et Sanguinem Christi, quamvis id certo futurum credat et sciat : id tamen a Deo petere absurdum non est, cum Christus quoque Joan. XVII. Deum Patrem sit deprecatus, ut ipsum glorificaret, et Patriarchæ in veteri lege ardentibus precibus sollicitaverint adventum Christi in carnem, quem tamen venturum certo credebant; neque etiam inconveniens dici debet, quia sic affectus et desiderium nostrum excitantur. Juxta s. Thomam tamen (3) « non videtur ibi sacerdos orare, ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa : unde signanter dicit : *Ut nobis Corpus et Sanguis fiat* » (4).

---

(1) Alias rationes vide apud Bened. XIV, de sac. m. s. 1, § 248, et Cavalieri t. 5, c. 18, n. 2.

(2) Vid. Quarti p. 2, tit. IX, s. 2, dub. 5; Lebrun, p. 4, art. 6, § 3.

(3) P. 3, q. 83, art. 4 ad 7.

(4) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 1, § 248.

Digitized by Google

DE CONSECRATIONE HOSTIÆ ET CALICIS.

92. Sacerdos ante consecrationem hostiæ extremitates indicis et pollicis extergit, ut ab omni pulvere mundentur, et humiditate siccentur : unde colligi potest id, quod dicit Thomas a Kempis, « quam mundæ debeant esse manus illæ, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor sacerdotis, ad quem ingreditur auctor puritatis. » Dicens *Accepit panem* accipit hostiam, et *Elevatis oculis* oculos elevat, ut actio verbis et exemplis Christi respondeat. Dicens *Tibi gratias agens*, caput inclinat in signum humiliationis et reverentiæ erga illum, cui gratias agit. Dum dicit *Benedixit*, signat super hostiam ob verbum *benedicere*, quod crucem communiter conjunctam habet : interea sinistram quæ hostiam tenet deponit, super corporale uti alias fit, dum dextra est occupata. Deinde cubitos ponit super altare tum pro majori commoditate, tum propter inclinationem capitis faciendam. Infra consecrationem caput inclinatum tenet præ humiliatione erga tantum mysterium ; manus tenentur super mediam plicaturam anterioris partis corporalis, quia ibi est proprius hostiæ locus, et sic removetur periculum consecrandi extra sacrum lapidem ; manus autem corporale tangere non possunt propter particulas consecratas ibi forte relictas. Consecratione facta, caput erigit, cubitos removet, manusque ponit super extremitatem corporalis, ut decentius et commodius genuflectat. Genuflectit autem, ut adoret Christum in s. Hostia præsentem : sub qua genuflexione non tam corpore quam animo se humiliare debet, variosque actus fidei, spei, charitatis, adorationis, aliosque similes mente exercere potest, ore autem aliquid recitare non convenit, ut dictum est tom. I, n. 3. Elevat s. Hostiam, ut adoretur a populo : hæc elevatio præscripta est occasione hæresis Berengarii, ut mysterii veritas publico hoc testimonio declararetur ; item in specierum elevatione repræsentatur Christus in cruce exaltatus, et in earum demissione conditus in sepulcro ; vel ad cœlum ascendens, et tandem descendens, ut judicet totum mundum. Elevat s. Hostiam, eamque

Digitized by Google

demittit linea recta intra corporale, ne fragmenta forte decidant extra corporale; item eam elevat intentis oculis, non tantum ut videat, quomodo et quousque eam elevet, sed etiam quia est objectum sola attentione dignum. Post elevationem iterum genuflectit, ut s. Hostiam adoret, prout fieri solet, quotiescumque s. Hostia infra missam tractanda est. Pollices et indices post consecrationem non amplius disjungit, nisi s. Hostia tractanda sit, eosque super corporale semper deponit, ne sacræ particulæ iisdem forte adhærentes deperdantur : nulla enim cautela vana et inutilis dici potest, si considerentur dignitas ss. Sacramenti et realis Christi in minima specie visibili præsentia.

Si hostiæ minores consecrandæ sint in pyxide clausa, hæc ante consecrationem discooperiri debet, ut materia sensibiliter sit præsens; si tamen non discooperiatur, hostiæ equidem valide consecrantur, quia in pyxide tanquam in continente ordinario satis demonstrantur. Post consecrationem pyxis iterum cooperienda est, ut s. Species ab omni pulvere conserventur.

93. *Qui pridie quam pateretur. Qui* refertur ad *Jesu Christi*, in præcedente oratione. *Pridie quam pateretur*, id est in ultima cœna, die ante passionem suam. *Accepit panem* consecrandum; quæ verba referuntur a Matthæo, Marco et Apostolo Paulo. *In sanctas ac venerabiles manus suas*, hæc verba in s. Scriptura non leguntur, ab Ecclesia tamen adjunguntur causa explicationis verborum præcedentium. *Et elevatis oculis in cœlum* etc. sicut Christus quinque panes multiplicaturus, et Lazarum resuscitaturus, oculos elevavit, sic etiam, quamvis in s. Scriptura non exprimatur, Christum ante Eucharistiæ institutionem fecisse, Ecclesia ex Apostolorum traditione accepit (1). *Tibi gratias agens*, scilicet Patri pro beneficio instituendæ Eucharistiæ : hæc verba referuntur a s. Luca et s. Paulo; quomodo autem Christus gratias egerit, an certis verbis, vel quodam signo externo, an aliter, non constat. *Benedixit*, hujus verbi duplex sensus

(1) Innocentius III, lib. 4, c. 5, et s. Thom. p. 3, p. 83, art. 4 ad 2.

Digitized by Google

redditur, 1° benedixit pani, seu illum consecravit dicendo : *Hoc est Corpus meum;* et 2° benedixit benedictione præparatoria et abstracta a consecratione, seu beneprecatus est pani, invocando Dei beneficentiam et potestatem super illum, ut mutaretur in Corpus suum, dum diceret : *Hoc est Corpus meum* (1). Nos communiter crucis efformatione benedicimus, tum ut nonnulla Christi benedictionis fiat imitatio, tum quia crux est causa meritoria omnis benedictionis : censendum tamen non est, Christum crucem efformasse, dum benedixit, cum crux ejus morte nondum sanctificata esset. *Fregit* in tot partes quot erant communicantes : ex eo autem, quod in evangelio verbum *fregit* ponatur ante verba consecrationis, non sequitur Christum prius fregisse panem, et deinde consecrasse; nam Marci XIV, 23, dicitur : *Biberunt ex illo omnes* et v. 24. *Hic est sanguis meus;* Christum autem consecrasse vinum, antequam biberent Apostoli, exploratissimum est. Unde attendendum non est ad ordinem narrationis, sed ad ordinem rei gestæ, qui ex sensu et significatione verborum colligitur, quique juxta plures auctores recte sic ordinari potest : 1° Christus accepit panem, 2° elevavit oculos, 3° gratias egit, 4° benedixit panem, 5° consecravit, 6° fregit, 7° dedit dicipulis suis (2). *Deditque discipulis suis,* nimirum in eorum manus, ut ipsimet acciperent et sumerent. *Accipite et manducate,* hæc verba referuntur 1, ad Cor. XI, 24, voces autem sequentes *ex hoc omnes* in Scriptura sacra non leguntur de specie panis dicta, sed de calice Matth. XXVI, 27.

94. Sacerdos ante consecrationem calicis pallam deponit, ut materia consecranda melius demonstretur : ambabus manibus calicem accipit, ut Christum in ultima cœna imitetur, et actio verbis respondeat; calicem aliquantulum elevat, quia hoc expressius significat illius acceptionem; eum autem tantum aliquantulum elevat, ne videatur et adoretur a populo, cum nondum sit consecratus. Infra consecrationem

(1) Innocentius III, lib. 4, c. 6.
(2) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. I, § 255.

Digitized by Google

calicem super corporale parum elevat, et ad se inclinatum tenet, ut materiam consecrandam magis coram se præsentem habeat. Genuflectens dicit *Hæc quotiescumque feceritis,* quia hæc verba respiciunt non tantum calicis, sed etiam hostiæ consecrationem.

95. *Simili modo postquam cœnatum est,* id est, post cœnam agni paschalis, aut aliam cœnam vulgarem, quæ forte etiam habita fuit. *Accipiens et hunc præclarum Calicem,* calix præclarus dicitur a re contenta seu Sanguine Christi, qui per instantem consecrationem mox in calice continebitur. Circa reliqua vide supra. Ordo consecrationis calicis, licet aliter ab Evangelistis referatur, sicut supra de consecratione hostiæ dictum est, hic assignari potest : 1° Christus accepit calicem, 2° gratias egit, 3° benedixit, 4° consecravit, dicens *Hic est enim,* 5° dedit discipulis suis, dicens *Accipite et bibite ex eo omnes,* 6° biberunt ex illo omnes. Continet forma consecrationis calicis verba aliqua, quæ nec ab Evangelistis, nec a s. Paulo referuntur, scilicet *æterni* et *mysterium fidei,* item verbum *benedixit* ante formam consecrationis : porro hæc additio, quemadmodum integra forma qua Ecclesia latina utitur, in antiquissimis liturgiis reperitur; ita ut post Apostolos nullum factæ mutationis vestigium occurrat, et improbabilis non sit sententia, eam formam a s. Petro Ecclesiæ Romanæ fuisse traditam.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM.

96. *Unde et memores.* Sacerdos legit hanc orationem et sequentes manibus ante pectus extensis, ob rationes allatas tom. I, n. 139. Olim etiam plures sub hac oratione, in qua fit expressa passionis memoria, brachia extendebant, ut figuram crucis exhiberent; ut autem actio intra gravitatis et decentiæ limites maneret, rubricæ præscripserunt, ne digitorum summitas humerorum altitudinem distantiamque excedat. Dicens *De tuis donis ac datis,* jungit manus ante pectus, uti ante

Digitized by Google

signationes fieri solet, non eadem tamen ratione, ut ante consecrationem, de qua vide num. 87, sed in signum venerationis et humiliationis coram eo, quem signationibus mox confessurus est in altari præsemtem cum eodem Corpore et Sanguine, sicut cruci affixus fuit. Infra signationes sinistram deponit super corporale, ad majorem decentiam, ne sola pendula in aêre maneat. Signat s. Hostiam et Calicem, non ut ante consecrationem, ut eis benedictionem impertiatur; sed ad significandum idem esse Corpus, quod Cruci fuit affixum, eumdemque Sanguinem, qui in cruce effusus fuit, ut dictum est tom. I, n. 135. Hæ signationes hic fiunt, quia nominantur hostia, panis et calix, quæ crucem regulariter conjunctam habent : ter scilicet super hostiam et calicem simul, quia vox *Hostia*, quæ ter repetitur, utrumque significat, et bis seorsum, quia panis designat solum Corpus, et calix solum Sanguinem.

In hac oratione *Unde et memores* vox *unde* respectum ducit ad præcedentia *Hæc quotiescumque feceritis*, q. d. ut hoc igitur præceptum impleamus, memores passionis, etc. *Nos servi tui* in plurali, quia loquitur in persona omnium præsentium. *Sed et plebs tua sancta*, id est tota militans Ecclesia, cujus fideles omnes ad sanctitatem vocati sunt, et inter quos plures re ipsa sancti sunt. *Passionis* etc. passioni adjungitur memoria resurrectionis et ascensionis, quia in his mysterium passionis et redemptionis consummatum et completum fuit. *De tuis donis ac datis*, sive spectentur species panis et vini, hæ sunt dona et data divinæ providentiæ; sive spectentur Corpus et Sanguis Christi, de quibus agitur, hæc etiam sunt dona et data ex parte Dei. Sacra Hostia dicitur panis tum ratione speciei, quæ remanet, tum quia est panis seu cibus spiritualis animæ. Dicitur *Panis vitæ æternæ* et *Calix salutis perpetuæ* juxta hæc verba Joan. VI, 55 : *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, in spe scilicet, quatenus communicans virtutes. Sacramenti ejusque gratiæ acceptæ, in justitia perseverare, vitamque æternam consequi possit.

97. *Supra quæ*, id est, Corpus et Sanguinem Christi, de

Digitized by Google

quibus in oratione præcedente. *Propitio ac sereno vultu respicere digneris :* Deus respicit nos vultu propitio peccata remittendo, et sereno vultu gratias suas largiendo; ita ut petamus, ut Deus sacrificii oblatione placatus, hujus intuitu nobis peccata remittat, suasque gratias largiatur. *Accepta habere* non ex parte Hostiæ oblatæ, quæ semper Deo est accepta, sed ex parte celebrantis et fidelium. Commemorantur munera seu sacrificia Abel *Gen. IV*, 4, Abrahæ *Gen. XXII*, et Melchisedech *Gen. XIV*, 18, quia specialius repræsentant sacrificium Christi, et a Deo præcipue accepta habita sunt. Nulla hic fit injuriosa comparatio; non enim fit comparatio sacrificii cum sacrificio, sed offerentis seu sacerdotis cum sacerdote, ita ut celebrans a Deo solummodo roget, ut sacrificium missæ coram eo acceptabile sit ex parte sua, sicut olim fuit sacrificium Abel, Abrahæ et Melchisedech ex parte ipsorum. *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam,* hæc verba vel intelligenda sunt de sacrificio missæ, eadem referendo ad initium orationis *supra quæ,* scilicet sanctum sacrificium, immaculatam hostiam respicere digneris, aut ad orationem sequentem q. d. *Supplices te rogamus, jube hæc,* scilicet, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam perferri;* vel melius intelligenda sunt de sacrificio Melchisedech, quod licet non in se, equidem ratione sacrificii novæ legis, quod præfigurabat, santum et immaculatum dici potest; sic enim sensus nullam patitur violentiam; idque confirmari potest ex eo, quod hæc verba tantum commate disjungantur a voce Melchisedech, et quod nulla signatio fieri debeat, quæ alias, dum similia verba sacrificium missæ significant, regulariter præscribitur.

98. Ad orationem *Supplices te rogamus* sacerdos manus jungit et corpus profunde inclinat, ut humilitatem facto demonstret, quam sermone exprimit. Manus junctas super altare deponit, ut se uniat Christo, non tantum per altare repræsentato, sed jam etiam ibi quiescenti. Osculatur altare in signum amoris et devotionis erga Christum, ad obtinendum tum sibi, tum aliis benedictionem et gratiam, de quibus in fine orationis. Post osculum altaris jungit manus ante pectus,

Digitized by Google

et infra signationem sinistram deponit ob rationes supra n. 96 allatas. Signat super hostiam et calicem ob voces *Corpus* et *Sanguinem*, ut supra n. 96 dictum est. Dicens *omni benedictione cælesti* se ipsum signat, ut virtute crucis et meritis Christi benedictionem et gratiam consequatur. Sinistram, uti alias fit sub signo crucis, ponit infra pectus, ut sit extra terminos crucis. Dicens *Per eumdem* manus jungit, ut in statu supplicantis et majori veneratione orationem concludat.

Sacerdos dicit *Supplices rogamus* in plurali nomine omnium communicantium, seu uti dici potest, omnium præsentium, quia olim omnes missæ præsentes communicare solebant. *Jube*, seu fac, et non permitte, ad exprimendum magnum orantis studium et desiderium. *Hæc perferri*, id est, Corpus et Sanguinem Christi. *Per manus* seu ministerium aut mediationem *Sancti Angeli tui :* quidam censent hic intelligi angelum stricte dictum, et putant vel agi de angelo aliquo determinato, quemcumque Deus huic ministerio destinare voluerit, vel nomen angeli pluraliter sumi pro ministerio angelorum; alii autem hic per angelum intelligunt ipsum Christum Dominum, qui dicitur *magni consilii Angelus. In sublime altare tuum*, id est, cœlum, quod est altare Dei viventis, et ad quod ascendunt orationes et sacrificia nostra : non petitur autem, ut angelus aut Christus Dominus sacras species in cœlum elevet et perferat, sed ut sua potenti mediatione sacrificium Corporis et Sanguinis Deo Patri offerat et præsentet, ut ejus intuitu, quotquot ex altari participant, benedictione et gratia repleantur. *Ut quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus* per communionem realem, uti olim fiebat, vel saltem spiritualem (1).

99. *Memento.* Quare sacerdos manus extendat et elevet, easque junctas teneat, ac caput inclinet; item quare commemoratione facta, extensis manibus prosequatur, vide num. 88. Tempore commemorationis defunctorum intentos tenet oculos ad Sacramentum, quia cum Deo ibi præsente agit causam defunctorum. Dicens *Per eumdem* manus jun-

(1) Vid. Lebrun, p. 4, art. 13, § 2; Quarti p. 2, tit. 9, s. 2, d. 7.

Digitized by Google

git, ut in statu supplicantis et majori veneratione orationem concludat, et caput inclinet. Sacerdos ex speciali rubricæ ordinatione ad hanc conclusionem caput inclinare debet, juxta quosdam ob verbum præcedens *Deprecamur*, quod aliquam subjectionem importat, vel ob sequentia *Nobis quoque peccatoribus*, quæ sunt maximæ humiliationis; quia autem inclinatio facienda est, non ad verba prædicta, sed ad conclusionem *Per eumdem Christum*, idcirco alii dicunt, hoc loco inclinationem fieri, et non in aliis, dum similia verba proferuntur, ob peculiare mysterium, spectans ad hanc orationem pro defunctis, in qua sermo est de omnibus in Christo quiescentibus, seu mortuis cum Christo, qui inclinato capite tradidit spiritum : sacerdos scilicet sibi repræsentat Christum morientem, qui inclinato capite tradidit spiritum, et ad liberandos defunctos descendit; et ob hoc mysterium ad Christum caput inclinat, videlicet in memoriam et venerationem illius inclinationis capitis Christi morientis et descendentis ad inferos (1).

Memento consolando animas, et e pœnis purgatorii liberando. Particula *etiam* refertur vel ad commemorationem vivorum initio canonis, vel ad orationem præcedentem, q. d. Domine, sicut omnes ex hoc altari participantes reples benedictione et gratia, sic etiam memento, etc. Post *famularum tuarum* ponuntur litteræ N et N, quæ tenent locum diptychorum, de quibus vide num. 88, in quibus scripta erant nomina defunctorum, quæ alta voce exprimebantur; usu autem generali hæ litteræ nunc negliguntur, et memoria defunctorum tantum fit post verba *in somno pacis. Qui nos præcesserunt cum signo fidei*, fidem scilicet profitendo, fideique opera exercendo : fides enim non tantum per characterem baptismalem, sed etiam per signum crucis aliaque pietatis et fidei opera externa signum est, quo fideles ab infidelibus dignoscantur. *Dormiunt in somno pacis :* justi dicuntur dormire et quiescere in somno pacis, quia resuscitabuntur ad vitam æternam; et licet eorum animæ in

(1) Ita Quarti p. 2, tit. 9, rub. 2, et Cavalieri tom. 3, c. 11, n. 4.

Digitized by Google

purgatorio patiantur, certa tamen pace fruuntur, quatenus securæ sunt de sua salute, liberæ ab omni peccato et tentatione, et pœnas patienter tolerant. *Omnibus in Christo quiescentibus :* justi dicuntur in Christo quiescere, quatenus in gratia ex hac vita discesserunt, et ita per orationes et sacrificii applicationem satisfactionum Christi participes fieri merentur; *locum refrigerii* respective ad pœnas, quas patiuntur defuncti; *lucis* respective ad privationem visionis Dei; *pacis* seu felicitatis æternæ : licet enim quadam pace perfruantur, hæc tamen non est perfecta, sed ex memoria peccatorum et pœnis, quas patiuntur, necessario perturbantur.

100. *Nobis quoque peccatoribus.* Sacerdos ad hæc verba sinistram super corporale ponit, ne sola pendula maneat; et dextra pectus percutit, ut ad exemplum Publicani verbo et facto se peccatorem profiteatur. Dicit hæc tria verba voce parum elata ad excitandam populi attentionem, eumque provocandum, ut simili pectoris percussione se peccatorem demonstret. In fine orationis jungit manus, ut in statu supplici et majori veneratione orationem concludat.

Particula *quoque* refertur ad orationem præcedentem, q. d. sicut deprecamur, ut fidelibus defunctis locum refrigerii indulgeas, sic nobis quoque peccatoribus partem aliquam donare digneris cum sanctis. *Peccatoribus*, sacerdos se et omnes præsentes peccatores profitetur, ut se humiliet, et a Deo efficacius exaudiatur : licet autem se probare debeat, antequam ad altare accedat, equidem se vere peccatorem dicere potest ob peccata præterita et remissa, ob defectus veniales a quibus nemo liber existit, et saltem ob peccatum originale, cui omnes obnoxii nascimur. *Partem aliquam et societatem* in cœlo. *Intra quorum nos consortium admitte,* hinc patet differentia inter *Communicantes* et hanc orationem; ibi sanctorum patrocinium invocamus, hic autem eorum consortium in cœlo postulamus. *Non æstimator meriti, sed veniæ largitor;* licet adultus ex gratia per bona opera vitam æternam mereri possit et debeat, sacerdos tamen hæc verba ex humilitate vere dicere potest, non excludendo meriti necessitatem, sed se præcipue considerando tamquam pecca-

Digitized by Google

torem et venia indigentem, q. d. non tam æstimator meriti, quam veniæ largitor (1).

101. *Per quem hæc omnia*, etc. quæ verba sacerdos legit junctis manibus, quia nihil exigit earum separationem, et junctio manuum est præparatio ad signationem, uti sæpius dictum est. Dicens *sanctificas, vivificas, benedicis,* ter signat super hostiam et calicem, quia verba benedictionem significantia crucem communiter conjunctam habent; istæ autem signationes non fiunt ad benedicendum aut sanctificandum s. Hostiam aut Calicem, quibus major benedictio attribui nequit, sed sunt signa mere speculativa seu commemorativa crucis et passionis Domini, ad significandum, quod sanctificatio, vivificatio et benedictio, de quibus agitur, sint fructus crucis et passionis Domini, nobisque ex virtute crucis et meritis passionis proveniant. Nulla fit signatio ad verba *creas* et *præstas*, quia tam expressam benedictionem non significant. Deinde discooperit calicem propter signationes sequentes, interim ponit sinistram super pedem ejus, et dum signat, sinistra eumdem ad nodum tenet, ad majorem illius firmitatem in altari. Dicens *Per ipsum* etc. ter signat cum s. Hostia super calicem, ad significandum idem esse Corpus, quod cruci affixum fuit, eumdemque Sanguinem in cruce effusum : ter autem signat, quia pronomen *ipse* ter repetitur. Deinde bis signat ad nomen *Patris* et *Spiritus sancti*, ad significandum, quod e mysterio crucis eis profluxerit omnis honor et gloria, de quibus in oratione agitur : signat autem extra calicem, quia, etsi catholico sensu propter unionem hypostaticam naturæ humanæ cum divina dici possit Deum esse passum, minime tamen dici potest, Patrem aut Spiritum Sanctum esse passum; quapropter hæ signationes fiunt non intra calicem, sed inter calicem et pectus celebrantis (2). Dicens *omnis honor et gloria,* calicem cum hostia parum elevat : olim quando s. Species post consecrationem non

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 1, § 301.

(2) Merati p. 2, tit. 9, n. 7. Plura de crucibus infra missam videri possunt apud Janssens, p. I, II, post. tit. IX, append. de crucibus.

Digitized by Google

elevabantur, hæc calicis et hostiæ elevatio altior, quam nunc, erat, tuncque fiebat, ut populus Sacramentum adoraret; cum autem s. Species nunc tantum parum eleventur, hæc ratio adorationis non amplius subsistit, et elevatio considerari potest tamquam vestigium antiqui ritus; vel etiam dici potest, hanc elevationem fieri, ut sacerdos hoc, quod verbis dicit, actione exprimat et demonstret; honor enim et gloria in calicis et hostiæ elevatione manifestantur. Pollices et indices super calicem extergit, ne particulæ sacræ forte adhærentes deperdantur; calicem cooperit, ne quid incidat; et genuflectit, ut post tractationem Sacramenti, illud veneretur et adoret.

Sub his ritibus in multis locis pulsatur campanula : id quidem fit præter rubricas; si tamen fiat, pulsanda est non sub signationibus ad *sanctificas* aut *Per ipsum*, sed sub elevatione calicis et hostiæ, uti constat ex antiquo ritu, quo pulsabatur, ut populus sub elevatione attentus fieret, et Sacramentum adoraret (1).

Per quem hæc omnia etc. His verbis Ecclesia canonem terminans, reddit rationem, cur præcedentem et alias canonis orationes concludat per Christum Dominum, quia ipse est, per quem Pater omnia semper bona creat, etc. et per ipsum etc. est Patri in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria. *Hæc omnia bona :* olim post præcedentem orationem, dictis verbis *largitor admitte*, fruges ad altare benedicebantur; et finita benedictione cum solita clausula *per Christum Dominum nostrum*, hæc oratio *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas* addebatur, quæ proinde referebatur non tantum ad hostiam et calicem, sed etium ad res tunc benedictas (2). Cum autem hæc frugum benedictio non amplius fiat, per *Hæc bona* tantum intelligenda sunt panis et vinum, quorum species post consecrationem remanent. Panem et vinum Deus semper seu quotannis creat producendo novum triticum et uvas; sanctificat acceptando illa in materiam

(1) Vid. Pouget sect. 2, c. 7, § 22, n. 25.
(2) Vid. Bona rer. lit. lib. 2, c. 14, n. 5.

Digitized by Google

consecrationis, quo fit, ut ex usu profano in usum sanctum transeant; vivificat per verba consecrationis, quibus substantia panis et vini convertitur in Corpus et Sanguinem Christi, qui sub speciebus eucharisticis vivit; benedicit, quatenus hoc Sacramentum est fons omnis gratiæ et benedictionis; et præstat nobis per communionem, qua gratia et bonis omnibus replemur. *Per ipsum* etc. : data ratione conclusionis orationis respective ad nos, nunc per hæc verba datur ratio respective ad Deum : *Per ipsum* scilicet, qua redemptorem et hominum salvatorem; *Cum ipso*, quatenus est persona distincta a Patre et Spiritu Sancto; et *In Ipso*, quatenus unus est Deus cum Patre et Spiritu Sancto.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

102. *Per omnia sæcula* etc. spectant ad præcedentem orationem canonis qui his verbis concluditur; interea manus deponuntur, quia nihil aliam positionem requirit; alta voce proferuntur ad excitandum populum, ut confirmet et ratificet vota ad Deum infra canonem emissa; hoc præstat populus respondendo *Amen*. Quod faciendo populus insipienter non agit, licet canonem non audiat, nec percipiat, quia est omnino certus, Ecclesiam nihil a Deo petere, nisi quod Dei gloriæ et fidelium saluti congruit.

Hoc loco, ut dictum est num. 86, finitur canon, et incipitur præparatio ad communionem per orationem dominicam, in qua petitur panis quotidianus, sub qua panis eucharisticus comprehenditur.

103. *Ad Oremus* sacerdos manus jungit, et caput inclinat ob rationes datas num. 62. Manus junctas retinet infra *Præceptis salutaribus* etc. ob venerationem divini præcepti, quod refert. Infra *Pater noster* manus extensas tenet ob rationes n. 62 allatas; oculos quoque ad Sacramentum intentos habet, quia ibi præsens est, quem Patrem suum

Digitized by Google

vocat, et ad quem sermonem dirigit. Legit alta voce ad populi instructionem et majorem Dei glorificationem; in fine tamen secreta voce respondet *Amen*, quia cum tota oratio dominica alta voce lecta sit, nihil requirit, ut sacerdos sibi ipsi alta voce *Amen* respondeat.

Brevitatis studio orationis dominicæ explicatio, quæ in pluribus locis traditur, prætermittitur. Circa præfationculam autem notandum est, hæc verba *Præceptis salutaribus moniti et divina institutione formati* respicere verba Christi Matth. VI, 9 : *Sic ergo vos orabitis, Pater noster* etc. ex quibus verbis patet orationem dominicam esse institutionis divinæ, et a Christo præceptam. Subjungimus *Audemus dicere;* seposita enim institutione divina, temerarium foret creaturæ Deum Patrem suum dicere. Notandum ritum orationis dominicæ infra missam recitandæ, esse institutionis apostolicæ.

104. *Libera nos.* Patena extergitur, ut ab omni pulvere mundetur, antequam s. Hostia super eam deponatur; sacerdos autem patenam extergit, priusquam orationem *Libera nos* incipiat, ne extersione distrahatur, et ut patenam ad signationem paratam habeat. Oratio *Libera nos* legitur secreto, quia actiones, quæ infra eam fiunt, impedire possunt, ut unico tractu legatur, qualiter legendum est, quandocumque alta voce legitur. Ad *Da propitius pacem in diebus nostris* sacerdos seipsum signat, quia crux, tanquam præcipuum passionis instrumentum, est causa meritoria hujus pacis; et se signat cum patena, quia patena habetur ut symbolum pacis a s. Hostia, quam in se recipit, seu a Christo, qui est auctor pacis, et dicitur *Pax nostra* ad Eph. II, 14. Deinde patenam osculatur, tum quia osculum est signum pacis, tum in venerationem instrumenti, quod mox corpus Domini recipere debet; in extremitate autem patenæ, ne locus, in quo Hostia ponitur, osculo madefiat. Post osculum patena deponitur super corporale, ut partes fractæ s. Hostiæ super eam deponantur; cum autem s. Hostia ibi jaceat, patena eidem prævie submittitur, et ipsa super patenam accomodatur. Postea genuflectit, ut ss. Sacramentum adoret, uti semper ante et post tractationem s. Hostiæ fieri solet.

Digitized by Google

Oratio *Libera nos* est extensio ultimæ petitionis orationis dominicæ. Mala præterita sunt peccata, quorum reatus remanet; præsentia sunt peccata quotidiana, tentationes, afflictiones; futura, pœnæ peccatis debitæ sive temporales sive æternæ, et quæcumque peccata et mala, quæ nobis aliquando accidere possunt, nisi Deus misericorditer nos liberet. *Da propitius pacem*, mentis scilicet et corporis, ut, prout in sequentibus explicatur, a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi : quamvis enim sola pax interna seu bona conscientiæ dispositio æternæ saluti sufficiat, et cum hujus vitæ adversitatibus non tantum consistere, sed etiam perfici possit; adversitates tamen corporales et temporales vere mala sunt, et homini sæpe graves tentationes et pericula lapsuum afferunt : ita ut recte petamus ut simus ab omni perturbatione securi.

105. *Fractio s. Hostiæ.* Frangitur tum ad exemplum Christi in ultima cœna, tum ad facilitandam sumptionem. Hæc fractio fit manibus et non alio instrumento, quia, cum Christus panem in manus suas acceperit, iisdem quoque fregisse credendum est. Ritus frangendi hostiam est tam antiquus quam sacrificium : Christus enim fregit in ultima cœna, et deinde coram discipulis in Emmaus; fregerunt postea Apostoli, prout meminit Scriptura Act. II, et idem continuo usu practicavit Ecclesia. Modus autem hostiam frangendi plures variationes subiit : juxta ritum Romanum olim in plures quam tres partes dividebatur; sed cessante fidelium usu infra missam communicandi, invaluit ut in tres tantum partes frangeretur, quia hic modus commodæ sumptioni et immissioni particulæ in calicem sufficit.

106. *Pax Domini.* Post fractionem s. Hostiæ sacerdos sinistra calicem tenet, pro majori illius firmitate, et alta voce dicit *Per omnia sæcula*, ut minister respondeat, et nomine populi approbet petita in oratione *Libera nos*. Dicens *Pax Domini* signat cum hostia super calicem, ad exprimendam causam meritoriam hujus pacis; ter autem signat, ad dictam causam menti melius imprimendam, vel juxta s. Thomam ad repræsentandam resurrectionem Christi tertia

Digitized by Google

die factam (1), aut juxta Durandum (2) triduum mortis Christi.

107. *Commixtio sacræ particulæ in calice.* Particula mittitur in calicem ad repræsentandam gloriosam Christi resurrectionem, in qua, sicut hic Corpus cum Sanguine miscetur, Anima cum Corpore conjuncta fuit (3); item ad denotandum unum Sacramentum confici ex speciebus panis et vini (4).

Verba *Hæc commixtio et consecratio,* ut sensum legitimum referant, juxta quosdam sumenda sunt, non in abstracto prout sonant, sed in concreto, q. d. hoc commixtum et consecratum fiat, etc.; juxta Bellarminum autem et alios sensus est, hæc commixtio præsens et consecratio antea facta fiat etc.; vel quod fere idem est, hæc commixtio specierum panis et vini, sub quibus per consecrationem factam continentur Corpus et Sanguis Domini nostri, fiat, etc. ita ut vox *consecratio,* quocumque modo sumatur, sensum legitimum et convenientem reddat. *Accipientibus nobis* vel sumitur pro singulari, vel verificatur in persona fidelium, qui de eodem sacrificio, si hostiæ minores consecratæ sint, participant, vel saltem adstant spiritualiter communicantes.

108. *Agnus Dei.* Sacerdos manus jungit, et caput inclinat, ut non tantum verbis, sed etiam actione statum supplicantis assumat; manus autem tenet ante pectus junctas et non super altare positas ad majorem venerationem erga Christum in altari quiescentem. Alta voce dicit *Agnus Dei* ad excitandam populi attentionem, eumque provocandum, ut simili oratione et pectoris percussione Dei misericordiam imploret. Dicens *Miserere nobis* sinistram super altare ponit, ne sola pendula maneat, et dextra pectus percutit in signum compunctionis : pectus ter percutit, quia ter repetitur ex majori affectu, et olim etiam ter dicebatur *Miserere nobis;*

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 1, § 331.
(2) Lib. 4, c. 51, n. 15.
(3) Bened. XIV, loco cit. § 334.
(4) Durand. loco cit. n. 17.

Digitized by Google

licet autem nunc tertia vice dicatur *Dona nobis pacem*, percussio tamen pectoris tertia vice retenta fuit, quæ etiam nullam inconvenientiam involvit, cum cordis compunctio sit optima ad pacem obtinendam dispositio.

Hæc oratio desumpta est ex evangelio, in quo Joan. I, 29, Christus dicitur *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, et Matth. IX, 27, duo cæci leguntur clamasse ad Christum : *Miserere nostri*. Christus dicitur agnus ab agno paschali, quo Christus ejusque mors præfigurabatur; vel etiam a mansuetudine, qua passionem et mortem pertulit. *Qui tollis peccata* pro eis Deo Patri satisfaciendo. *Dona nobis pacem* tertio additum fuit juxta Durandum (1) ob varias Ecclesiæ adversitates.

109. *Orationes ante communionem.* Interea sacerdos manus junctas super altare deponit, ut, postquam manus extra altare tenuerit ex reverentia erga Christum, suum ostendat desiderium unionis realis cum Christo per communionem. Corpus mediocriter inclinat, quia situs humilis decet hominem ad perceptionem tanti mysterii se præparantem. Orat secreto, tum præ majori devotione et recollectione, tum quia orationes, præcipue duæ postremæ, seipsum tantum respiciunt.

In prima oratione sacerdos timens ne sua indignitas ob peccata præterita, vel etiam præsentia venialia, a quibus nemo vitam ducit immunem, obsit effectui orationis et sacrificii, supplicat ut Deus non respiciat ejus indignitatem, sed fidem Ecclesiæ, quæ ob suam sanctitatem ei semper grata existit; et ut Ecclesiam seu membra Ecclesiæ aut fideles coadunare dignetur per vinculum charitatis in hoc sæculo, et in futuro per eamdem gloriam cœlestem.

Sacerdos quatuor consequentibus vicibus petit pacem : 1° in oratione *Libera nos*, 2° dicens *Pax Domini*, 3° *Dona nobis pacem*, et 4° in hac oratione : quia, cum Christus post resurrectionem suam apostolis non semel sed iterum dixerit *Pax vobis*, et nos debemus repetita supplicatione, præcipue

(1) Lib. 4, c. 52.

Digitized by Google

proxime ante communionem, pacem a Deo implorare, quæ et omnia bona in se complectitur, et dignum Altissimo præparat habitaculum.

In secunda oratione *Domine Jesu*, Christus dicitur mundum seu homines, qui mortui erant peccato, vivificasse, eosdem liberando a peccato, et in gratiam restituendo; ex voluntate Patris, a quo hoc mandatum accepit juxta Joan. X, 18; cooperante Spiritu sancto, qui supervenit in Mariam Virginem. Incarnatio et redemptio sunt opera ad extra, et communia tribus personis; specialiter tamen adscribuntur Patri, tum quia misit Filium suum, tum quia sunt opera omnipotentiæ divinæ; Filio, quatenus homo factus est, et per mortem suam nos redemit; et Spiritui Sancto, quatenus sunt opera summæ gratiæ et sanctificationis, qualia Spiritui Sancto attribuuntur. *Libera me ab omnibus iniquitatibus meis*, scilicet a reatu peccatorum, vel etiam remittendo peccata venialia, quæ veræ sunt iniquitates, aut præservando a peccatis futuris; *et universis malis*, tentationibus, passionibus aliisque tum corporis, tum animæ malis.

In tertia oratione sacerdos dicit se indignum ad communicandum : quis enim dignus seu satis dignus, nisi solus ipse Deus? Præterea quamvis sacerdos, antequam ad celebrandum accedat, seipsum probare, et bonæ conscientiæ testimonium habere debeat, tale tamen testimonium formidinem compatitur, ita ut cum Apostolo dicere debeat : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* I ad Cor. IV, 4. *Prosit ad tutamentum corporis*, non tantum extinguendo vel saltem mitigando concupiscentiam aliaque vitia corporalia, sed etiam sanitatem procurando : si enim propter indignam communionem juxta Apost. I ad Cor. XI, 30, *Multi infirmi, et dormiunt multi*, digna communio non parum ad tutamentum et sanitatem corporis conferre debet. *Et ad medelam* contra vitia corporis et mentis *percipiendam.*

110. *Pax.* Finita prima oratione ante communionem, in missa saltem solemni datur pax ad exemplum Christi, qui in ultima cœna Apostolis dixit : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Joan. XIV, 27. Ecclesia hoc ritu intendit

Digitized by Google

fideles tum cum Deo, tum cum se invicem charitatis et pacis vinculo unire, ut cum fructu percipiant communionem sive realem, sive spiritualem tantum.

Diaconus genuflexus expectat pacem, ut hac humiliatione disponatur ad pacem accipiendam. Celebrans et diaconus osculantur altare, ut quasi a Christo pacem accipiant, quam aliis sunt daturi. Diaconus autem id facit manibus ante pectus junctis, quia, cum altare Christum repræsentet, solum tangitur a celebrante Christi vices gerente. Pax datur cum complexu, et genis sinistris sibi invicem appropinquantibus, quia fideles juxta usum primævum in signum pacis sese mutuo osculabantur, ut dicitur I ad Cor. XVI, 20 : *Salutate invicem in osculo sancto :* qui usus licet his temporibus etiam quoad clericos mutatus sit, aliqua tamen illius osculi species servata fuit. Laicis datur pax cum instrumento, quia, licet primis Ecclesiæ sæculis viri viros, et feminæ feminas oscularentur, frigescente tamen charitate et morum puritate, ad præcavenda varia inconvenientia instrumentum adhibitum fuit.

111. *Domine, non sum dignus.* Postquam celebrans oraverit, ne communio ob suam indignitatem sibi proveniat in judicium, jam confidenter dicit *Panem cœlestem accipiam.* Quamvis autem confidat, cum metu tamen et tremore s. Hostiam accipit, et se adhuc indignum profitetur, dicens *Domine, non sum dignus.* Genuflectit ut adoret s. Hostiam, antequam eamdem accipiat. Supponit patenam, ut particulæ forte adhærentes super illam decidant. Corpus mediocriter inclinat, quia hæc verba sunt maximæ humilitatis. Pectus percutit, in signum compunctionis ad exemplum Publicani; ter quidem, quia verba ex majori affectu ter repetuntur. Prima verba dicit voce media ad excitandam populi attentiònem, eumque provocandum, ut simili oratione et pectoris percusione animæ sanationem impetret; reliqua autem verba secreto prosequitur, quia prima verba sufficiunt ad populi attentionem excitandam, et sacerdos pro se solo orat.

Hæc oratio continet verba Centurionis, petentis a Christo sanationem servi sui Matth. 8, seipsum indignum reputantis,

Digitized by Google

ut Christus in domum suam intraret, ad sanandum servum suum. Immutatum mansit *tectum*, per quod in sensu accommodatitio intelligitur corpus sacerdotis. *Dic verbo*, id est, impera, dic verbulum. *Sanabitur puer meus*, quod ut verum sit in ore sacerdotis, dicitur anima mea. *Sanabitur* ab omni peccato, et imperfectione, omnique languore spirituali.

112. *Sumptio s. Hostiæ.* Seipsum signat cum s. Hostia, ut hac benedictione gratias ad instantem communionem consequatur. Corpus mediocriter inclinat, cubitosque super altare deponit pro majori humilitate et etiam commoditate. Manibus junctis pro majori devotione et reverentia, quiescit in meditatione ss. Sacramenti, tum ut interea ss. Sacramentum in se recipiat, tum ut divini amoris fervorem in se accendat, et continuum gratiæ augmentum obtineat.

Sacerdos, meditatione post sumptionem ss. Sacramenti peracta, considerans Dei bonitatem, et doni, quod recipit, magnitudinem, erumpit in has voces : *Quid retribuam Domino* etc. Duo primi versus desumpti sunt ex psalmo 115, et tertius ex ps. 17, 4. *Calicem salutaris*, id est, salutis seu Christi salvatoris. *Ab inimicis*, dæmone, mundo et carne *salvus ero.*

113. *Sumptio calicis.* Sacerdos diligenter colligit fragmenta, ut ab omni profanatione conserventur, et nihil e victima sacrificii residuum maneat. Supponit mento patenam, ut si quid de s. Sanguine effundatur, super patenam recipiatur.

114. *Purificatio calicis.* Hæc fit solo vino ob reverentiam Sacramenti, cujus reliquiæ communiter in calice remanent, tum etiam juxta s. Thomam, quia vinum ratione humiditatis est ablutivum. Sacerdos ministro calicem porrigit super altare, nisi parva illius statura aliud exigat, in reverentiam calicis, in quo verisimiliter sacræ reliquiæ supersunt. Sumitur eadem circiter quantitas pro ablutione ac pro consecratione, quia minor quantitas ablutioni non sufficit, et major decenti haustui obest. Sumitur ablutio per eamdem partem, qua sacer Sanguis sumptus est, ne sacræ reliquiæ circa labia calicis remaneant.

Digitized by Google

In oratione *Quod ore sumpsimus*, sacerdos orat, ut ss. Sacramentum pura mente capiat; cum enim non tantum bonæ conscientiæ testimonium formidinem compatiatur, sed etiam ipse Sacerdos se sentiat varia infirmitate spirituali oppressum et multis peccatis venialibus obnoxium, hoc instante, quo Deus in corde quiescit, optime ad eum recurrit, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine. Dicitur *pura mente capiamus* in præsenti, licet sumptio Sacramenti sit paracta, illud referendo ad tempus, quo Sacramentum sumptum est, vel etiam sumendo in præsenti, nam licet sumptio sit peracta, moraliter tamen durat, quamdiu realis præsentia perseverat. *De munere temporali*, sumptio enim et operatio Sacramenti sunt transitoriæ, et omnes effectus in ipsa sumptione seu communione conferuntur. *Remedium sempiternum*, quatenus effectus per totam vitam et etiam æternitatem subsistere possunt, scilicet conferendo remedia contra vitia et tentationes hujus vitæ, et auxilia vitæ æternæ obtinendæ.

115. *Ablutio digitorum.* Prius infunditur vinum, in reverentiam ss. Sacramenti, ut supra dictum est, et deinde aqua : 1° ut elemento fluidiori omnes reliquiæ a digitis et calice auferantur; 2° ad majorem munditiem, ne purificatorium colore vini præsertim rubri, si adhibeatur, maculetur; 3° in signum sobrietatis, ut sacerdotes discant vinum aqua temperare. Major semper quantitas aquæ quam vini accipitur in sententia illorum, qui putant per admixtionem vini species sacras non dissolvi, ut ita per admixtionem majoris quantitatis aquæ, species vini consecratæ esse desinant, quæ alias a purificatorio indecenter absumerentur. Ablutio numquam sola aqua aut solo vino fieri potest sine dispensatione pontificia, quia hæc in utraque materia per rubricas positive est præcepta, in quo solus Pontifex dispensare potest. Ablutione sumpta, sacerdos abstergit os suum et calicem ex decentia naturali, et ad abstergendum, quidquid de ablutionibus superesse potest. Tandem calicem cooperit, ut super altare collocetur majori cum decore, sitque paratus ad discessum celebrantis, finita missa.

Digitized by Google

In oratione *Corpus tuum* dicitur *adhæreat visceribus meis*, quod intelligitur de visceribus non corporis, sed animæ, scilicet de animæ potentiis, quibus Christus Dominus adhæret juxta Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Scelerum macula*, scilicet venialium, et etiam mortalium quoad culpam remissorum.

116. *Distributio communionis.* Hæc fit post sumptionem s. Sanguinis, quia convenit, ut sacerdos se ipsum communicet, prout debet sub utraque specie, antequam alios communicet; fit tamen ante ablutiones, ut sacræ species, quæ supersunt, ante ablutiones, vel earum reliquiæ simul cum ablutionibus sumantur. Communicantes communionem accipiunt super linteum seu velum album ad cautelam, ut sacra Hostia vel ejus fragmenta forte decidentia super illud cadant. Minister nomine communicantium dicit confessionem, quia confessio et dolor de peccatis sunt optima ad communionem præparatio : hæc confessio hic repetitur, licet in principio missæ dicta sit, quia sæpius accidit, ut omnes communicantes a principio missæ præsentes non fuerint. Deinde sacerdos dicit *Misereatur* et *Indulgentiam* ad communicantes absolvendos, quæ absolutio, licet non sit sacramentalis sed tantum deprecatoria, ex opere tamen operantis effectum producere potest, si cum dolore et fiducia percipiatur; ad *Indulgentiam* signat communicantes, ut, sicut crux semel operata est nostram salutem, sic virtute crucis absolutionem efficacius impertiatur. Ostendens sacram Hostiam, dicit *Ecce Agnus Dei*, ad excitandos communicantes, ut actum fidei circa realem Christi præsentiam eliciant. Ter dicit *Domine, non sum dignus* in nomine communicantium, ut et ipsi eumdem actum humilitatis eliciant : hæc verba semper dicuntur in singulari et in genere masculino, quia sunt verba Scripturæ sacræ, quæ mutanda non sunt. Incipit communionem distribuere a cornu epistolæ pro majori commoditate, quia cum pyxidem sinistra teneat, latus ejus dextrum liberum est ad ministrandum, et videndum communicantes. Cum s. Hostia facit signum crucis super pyxidem aut patenam, ad signifi-

Digitized by Google

candum, idem esse Corpus, quod cruci affixum fuit; vel etiam ad benedicendum communicantes, ut gratias ad instantem communionem consequantur.

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

117. Missale transfertur, quia, cum translatum fuerit ob impedimenta in cornu epistolæ, scilicet ob oblationes populi, infusionem vini in calicem ad offertorium, purificationem calicis et ablutionem digitorum, his causis cessantibus ad priorem locum transfertur; vel etiam in sensu mystico juxta aliquos, ad significandum Judæos in fine mundi rursus illuminandos esse.

118. *Communio* ita dicitur, quia sicut olim, sic etiam nunc cantatur infra communionem populi, si fiat infra missam. Est versiculus ex sacra Scriptura, et plerumque ex psalmis desumptus, aut interdum etiam pia sententia compositionis ecclesiasticæ, præcipue inserviens ad affectum communioni convenientem excitandum. Quando olim infra communionem populi cantabatur, psalmus addebatur; cessante autem frequenti populi communione, et multiplicatis missis privatis, sub quibus communio non distribuebatur, sola antiphona ad communionem reservata fuit. Quamvis autem communio ad unam antiphonam redacta sit, id tamen non impedit, quominus in numerosa communionis distributione cantetur psalmus aut hymnus de ss. Sacramento, ad populum excitandum, movendum et lætificandum : hoc enim nihil facit quoad ordinem missæ, cum a celebrante non legatur (1).

119. *Postcommuniones* ita dicuntur ad distinctionem collectarum et secretarum, quia post communionem sequuntur. Iisdem præmittitur *Dominus vobiscum*, ut sacerdos et

(1) Lohner, p. 6, tit. X, n. 9, litt. n.

Digitized by Google

fideles præsentes per Dei assistentiam debite et fructuose orationi vacare possint; in quadragesima superadditur oratio super populum, quæ ita dicitur, quia præcipue respicit populum præsentem; eidem præmittitur *Humiliate capita vestra Deo*, ut populus capite et simul mente se coram Deo humiliet, et fructum orationis percipere mereatur : ortum ducit ex antiquo ritu missam cantandi in quadragesima hora nona seu tertia pomeridiana, in qua post communionem celebrantis vesperæ immediate cantabantur, uti fit sabbato sancto; anticipata autem refectione ad meridiem, missa mane cantata est, et oratio, quæ semper eadem est cum oratione vesperarum, in missa retenta est, ut super populum diceretur.

120. *Ite missa est.* Præmittitur *Dominus vobiscum*, ut, sicut urbanitatis causa servatur ab iis, qui post conversationem a se recedentes, sibi invicem bonum apprecantur, sic celebrans exoptet, ut euntibus Dominus adsit. *Ite Missa est*, communiter explicatur eo sensu, quod missa ponatur pro missione seu dimissione, q. d. ite, dimissio est, seu fit vobis facultas eundi. Dicitur versus populum, quia sacerdos eum alloquitur : *Benedicamus* autem dicitur versus altare, quia hoc ad Deum dirigitur. *Ite Missa est* dicitur in missis, in quibus recitatur *Gloria*, quia omnes illæ missæ sunt aliquatenus festivæ, et dimissio populi præ se fert quamdam solemnitatem et lætitiam; in aliis autem missis dicitur *Benedicamus Domino*, quia illæ sunt lugubres vel saltem minus festivæ. In missa solemni diaconus cantat *Ite Missa est*, quia sicut illius erat olim catechumenos et peccatores dimittere post evangelium, ut antiquitatis monumenta testantur, sic etiam nunc illius est fideles dimittere sacrificio peracto.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSÆ ET EVANGELIO SANCTI JOANNIS.

121. *Placeat.* Sacerdos manus super altare deponit, ut se uniat Christo; manus junctas et caput inclinatum tenet,

Digitized by Google

ut Deum oret in statu supplicantis; secreto orat pro majori recollectione et devotione.

In hac oratione sacrificium dicitur *obsequium servitutis*, quatenus offertur ad recognoscendum supremum Dei dominium, et infimam nostram servitutem. Dicitur *Indignus obtuli* pro *non satis dignus*, ad majorem humilitatem.

122. *Benedictio.* Sacerdos prius osculatur altare in signum amoris erga Christum per altare repræsentatum, ad obtinendam ejus benevolentiam et gratiam, ut populi benedictio effectum consequatur. Elevat manus et oculos ad crucem, ut ostendat se supernum quærere auxilium ad benedicendum, eamque benedictionem a solo Deo expectandam esse. Deinde manus jungit et caput inclinat, tum in venerationem Dei nominis, tum quia se convertit ad populum. Se vertit ad populum, et alta voce loquitur, quia benedictio ad populum dirigitur. Sub benedictione crucem efformat, tum ut exprimat causam meritoriam benedictionis tum ut virtute crucis benedictionem efficacius impertiatur. Hæc benedictio in fine missæ datur, ut, sicut Christus in cœlum ascendens, elevatis manibus benedixit apostolis, sic sacerdos dimittens populum, ei benedicat, ut benedictus a Deo ad propria redeat.

123. *Evangelium* s. Joannis legitur in fine missæ ad profundissima mysteria præcipue ss. Trinitatis et Incarnationis, quæ continet, menti imprimenda, eaque jugiter memoranda. Sacerdos post datam benedictionem perficit circulum, quin ad medium altaris revertatur, tum ut via breviori ad cornu evangelii transeat, tum quia nihil exigit, ut ad medium altaris redeat. Signat librum, si eo utatur, vel tabellam, et alias altare, ad significandum verba evangelii esse illius, qui per altare repræsentatur, et qui in cruce pependit. Dicens *Verbum caro factum est*, genuflectit, ut, sicut commemorat mysterium profundissimæ humiliationis, sic exemplo Filii Dei se quoque in eodem humiliet.

Brevitatis causa explicatio evangelii s. Joannis prætermittitur. Quoad canticum autem *Benedicite* notandum est, creaturas invitari ad benedicendum Domino locutione poetica,

Digitized by Google

qua rebus inanimatis vox tribuitur, ad affectum magis excitandum; creaturæ dupliciter dici possunt benedicere Domino; 1° pulchritudinem et utilitatem suam exhibendo, idque faciendo, ad quod ab auctore naturæ creatæ et institutæ sunt; et 2° per suam pulchritudinem, utilitatem, mirabilemque structuram homines excitando, ad Deo benedicendum, ejusque potentiam, sapientiam et bonitatem celebrandum.

DE MISSA DEFUNCTORUM.

124. In Missa de *Requiem* varia mutantur et omittuntur præcipue propter has tres rationes : 1° ad servandum antiquum ritum, qui erat simplicior, et huic officio lugubri magis convenit : ita omittuntur ps. *Judica, Gloria Patri, Gloria in excelsis, Credo,* etc. 2° Ob signa solemnitatis, festivitatis et lætitiæ, quæ missæ lugubri non conveniunt : ita omittuntur *Alleluja*, osculum libri evangelii, et consequenter verba conjuncta *Per evangelica dicta, Ite Missa est,* benedictio in fine missæ, etc.; item in missa solemni oscula, benedictio subdiaconi post epistolam et diaconi ante evangelium, incensatio ante introitum, varii ritus sub evangelio, cui tantum assistunt duo acolythi in reverentiam evangelii sed sine lumine seu sine signis solemnitatis; item ob eamdem rationem non datur pax, neque patena tenetur a subdiacono. 3° Ob specialem applicationem, scilicet ut sacerdos seipso aliisque fidelibus neglectis solummodo vacet refrigerio et liberationi defunctorum : ita sacerdos ad introitum non signat seipsum sed librum, quasi defunctos signaret et benediceret; ad *Agnus Dei* dicitur *Dona eis requiem;* omittuntur orationes *Jube Domine benedicere, Dominus sit, Domine Jesu Christe qui dixisti,* benedictio in fine missæ, benedictio aquæ; item in missa solemni benedictio diaconi et subdiaconi, incensatio ministrorum, chori et populi. Fit tamen incensatio oblatorum et altaris ad offertorium in honorem sacrificii, tum etiam quia incensatio cum oratione facta, ad

Digitized by Google

refrigerium defunctorum conducere potest : quamvis autem omittantur incensationes ministrorum et aliorum, non tamen celebrantis, personam Christi gerentis.

125. *Requiem æternam dona eis,* et *Requiescant in pace* semper dicuntur in plurali numero, licet pro uno defuncto celebretur : 1° quia Ecclesia non vult liturgiam continuis mutationibus esse subjectam; 2° quia, sicut in missa de die plures preces omnibus fidelibus applicantur, ita convenit, ut in missa defunctorum quædam etiam applicentur omnibus fidelibus defunctis; 3° quia, sicut omnes fideles defuncti participant de fructu generali sacrificii, sic etiam congruit, ut in precibus generaliter participent. Illa tamen anima, pro qua specialiter celebratur, nullum inde detrimentum patitur de fructu speciali, qui illi totaliter applicatur.

126. *Offertorium in missa de requiem. Libera animas de pœnis inferni, et de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum.* Hic per infernum vel non intelligitur locus damnatorum, sed purgatorium, quod ratione pœnarum et situs loci infernus, profundus et obscurus lacus, et etiam metaphorice os leonis dici potest; ita ut petatur, ut animæ liberentur non de inferno damnatorum, in quo nulla est redemptio, sed de pœnis purgatorii, ne longo tempore pœnis quasi absorbeantur; vel per infernum intelligitur locus damnatorum; sed tunc Ecclesia respicit illud instans, quo animæ constitutæ sunt in exitu vitæ, et orat, ne obsorbeat eas tartarus, seu ne pereant; qui sensus confirmari potest ex verbis, quæ in fine dicuntur : *Fac eas, Domine, de morte transire ad vitam.* Hæc ultima verba verificari possunt quoad omnes fideles defunctos, retrahendo illas preces ad tempus, quo animæ de corporibus nondum erant egressæ; quo modo plura verificantur tempore adventus, uti *Rorate cœli :* purgatorium tamen vere mors dici potest, non prout infernus, sed quatenus animas pro tempore privat vita felicissima, aut quatenus ejus pœnæ sunt morte acerbiores.

Digitized by Google

127. ORATIONES MEMORITER ADDISCENDÆ A SACERDOTE.

Cum! avat manus. Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad amictum, dum ponitur super caput. Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad albam, cum ea induitur. Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad cingulum, dum se cingit. Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiæ, et castitatis.

Ad manipulum, dum imponitur brachio sinistro. Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad stolam, dum imponitur collo. Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad casulam, cum assumitur. Domine, qui dixisti: jugum meum suave est, et onus meum leve: fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

S. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitudo nea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Digitized by Google

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es anima mea, et quare contùrbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Introibo ad Altare Dei.

M. Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit cœlum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis fratres : quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo etc. *ut supra, dicendo* tibi pater *et* te pater.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis Domine misericordiam tuam

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras : ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, et omnium sanctorum : ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Benedicens incensum, dicit : Ab illo bene † dicaris, in cujus honore cremaberis. Amen.

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito : ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis : ut digne et competenter annuntiem evangelium suum. Amen.

In Missa solemni diaconus recitat Munda cor, *ut supra : deinde petens benedictionem, dicit :* Jube domne benedicere. *Sacerdos respondet :* Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis : ut digne et competenter annunties evangelium suum : In nomine Patris, et Filii, † et Spiritus sancti. Amen.

Ad osculum libri. Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Sacerdos benedicens et infundens aquam in calicem dicit : Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti : da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster : qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus : per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oblatio calicis. Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam : ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Benedicens incensum dicit : Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus

Digitized by Google

benedicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Dum incensat oblata : Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Dum incensat altare : Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis : ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum : Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis. Amen.

Orate, fratres : ut meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem. *R.* Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis *(vel* meis, *si sacerdos sibimetipsi respondeat)* ad laudem, et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ. *Sacerdos subjungit :* Amen.

Initio canonis propter profundam inclinationem. Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas hæc dona, etc.

Similiter propter profundam inclinationem. Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ : ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur. Per eumdem etc.

Orationes ante communionem, quæ recitandæ sunt intentis ad ss. Sacramentum oculis. Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ : eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti : libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis : et

Digitized by Google

fac me tuis semper inhærere mandatis, et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem : sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritu sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Si distribuatur sacra communio. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. R. Amen. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. R. Amen.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum die verbo, et sanabitur anima mea. Domine non sum dignus, etc. *iterum ac tertio repetitur.*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

Ad purificationem calicis. Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus : et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Ad ablutionem digitorum. Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis : et præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

PARS III.

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

Titulus I.

DE DEFECTIBUS IN GENERE.

Rub. *Sacerdos celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, et ex parte formæ adhibendæ, et ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii vero sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.*

128. Per defectum intelligitur carentia alicujus requisiti ad missam hic et nunc celebrandam.

Duplex distinguitur, scilicet defectus substantialis seu essentialis, et accidentalis. Substantialis est carentia alicujus

Digitized by Google

requisiti ad essentiam Sacramenti; accidentalis autem est carentia illorum, quæ etsi Sacramenti validitatem non impediant, obsunt tamen sacrificii integritati, ordini, significationi, ornatui aut reverentiæ.

Defectus substantialis contingere potest circa materiam debitam, formam cum intentione, et ordinem sacerdotalem in conficiente; alii omnes defectus sunt accidentales, ut patet ex rubricis præfatis.

129. Sub quanta obligatione defectus caveri debent?

R. Defectus substantiales, qui invalidam reddunt consecrationem, caveri debent sub mortali ex toto genere, seu non admittente parvitatem materiæ, defectus vero accidentales sub mortali ex genere, ut dictum est tom. I, n. 3.

Not. autem prædictam quæstionem diversam esse ab alia, quam quidam auctores pertractant, scilicet : an rubricæ de defectibus sint præceptivæ vel directivæ tantum. Ad quam quæstionem Quarti (1) respondet, eas tantum esse directivas proprie et secundum se, nisi aliunde ex sacris canonibus vel jure divino obligatio oriatur, quia præceptum S. Pii V ad has rubricas non extenditur, et hæ rubricæ solum declarant, quid sit agendum positis his vel illis defectibus : s. tamen Alph. de Ligorio (2) videtur censere, rubricas de defectibus esse præceptivas et obligare ut alias.

Duplex hinc oritur obligatio, scilicet : 1ª curandi quantum fieri potest, ne defectus accidant, quod fiet rubricas in prima et secunda parte explicatas bene cognoscendo et diligenter servando; 2ª emendandi defectum qui accidit, quod fiet : 1° adhibendo remedia, quæ in hac tertia parte tradentur, quæque animo præparata esse debent, quia in casus occurrentia maxime ad altare, non est tempus inquirendi et studendi sed agendi; et 2° corrigendo per pœnitentiam, si quis negligenter egerit circa hoc sacrificium.

130. Circa defectus in missa occurrentes generaliter notanda sunt sequentia : 1. numquam esse turbandum : errare

(1) Quæst. procem. puncto ultimo.
(2) Lib. 6, n. 347, 375, etc.

Digitized by Google

enim humanum est, et cuique proprium; sed judicio rationis procedendum, et interius ingemiscendum, saltem si culpa adfuerit.

2. Si celebrans non recordetur, se quædam dixisse aut fecisse, propterea eum non turbari, sed tuto procedere debere : qui enim multa dicit et facit, non recordatur omnia, quæ dicit aut facit.

3. Ubi difficultas, dubium aut perplexitas quædam occurrit, secundum s. Thomam (1) *semper esse accipiendum illud, quod habet minus de periculo,* et minus malum putatur.

4. Considerandum esse defectum commissum, an sit notabilis vel levis, an adsit irreverentia vel indecentia, an scandalum populi, an detur facilitas eumdem emendandi, etc., etc., ex quibus si quis judicium formet, in quantum temporis angustia permittit, tuto procedere debet; non est enim hic scrupulis inhærendum, sed faciendum quod tunc melius videtur : quodcumque enim bona fide tunc fit, coram Deo benefactum censetur (2).

131. An dum defectus commissus suppletur, reliqua postea dicta aut facta etiam sunt iteranda?

R. Id plures existimant, ne mutetur ordo sacrificii; sed rubricæ contrarium præscribunt tit. III et IV, et signanter tit. III, n. 4, ubi dicitur : *Celebrans*, suppleto defectu, *prosequatur ab eo loco, ubi desivit.* Item necessitas vitandi scandalum exigere potest, ne reliqua repetantur, quia inde major occasio scandali præberetur.

DE DEFECTIBUS PRÆVISIS, ET ACCIDENTALIBUS COMMISSIS.

132. Quid faciendum, si defectus sive substantialis sive accidentalis prævideatur?

R. 1. Si sit defectus substantialis, et ante missam prævi-

(1) P. 3, q. 83, art. 6, ad 2.
(2) Quarti p. 3, tit. I, sect. 1, dub. 2, in fine.

Digitized by Google

deatur, tollendus est, vel a celebratione est abstinendum : si autem infra missam ante consecrationem prævideatur, suppleri debet; ut dicetur numeris sequentibus; et si suppleri non possit, ab altari est recedendum, quodcumque timeatur scandalum, quia dari non potest causa, ad invalide consecrandum, aut unam materiam consecrandam sine altera (1). Post consecrationem defectus substantialis prævideri nequit, sed commissus esse potest, de quo agetur numeris sequentibus.

2. Si sit defectus accidentalis, et prævideatur ante missam, suppleri debet, si possit : si suppleri nequeat, regulariter a celebratione est abstinendum, quia actio, quæ debito modo fieri non potest, potius est omittenda, quam indebite exercenda; nisi celebratio sine scandalo omitti non possit, aut tanta sit ratio aut necessitas celebrandi, ut scandalum, ratio aut necessitas defectui prævaleant et celebrationem licitam reddant : quod prudenti judicio discernendum est (2).

Si defectus accidentalis prævideatur infra missam, suppleri debet, si possit. Si suppleri nequeat, et sit post consecrationem, sacrificium omnino est absolvendum, quia cum sit substantialiter inchoatum, non debet propter ritum accidentalem dimitti imperfectum. Si autem defectus accidentalis prævideatur ante consecrationem, et suppleri nequeat, tunc vel est defectus levior, ut si hostia non sit omnino integra, habeat aliquam maculam, si alterutrum ex luminibus videatur extinguendum, et tunc in celebratione est procedendum, ut initio quæstionis seq. dicetur; vel defectus prævisus est gravis, ut si timeatur omne lumen extinguendum, celebrans infirmandus, etc., et tunc judicandum est juxta probabilitatem eventus, gravitatem ritus, aliasque circumstantias; si autem defectus certo occurrere videatur, præstat sacrum relinquere, quam perficere absque illo ritu, nisi gravis necessitas aliud suadeat (3). Sic in fundato periculo

(1) Quarti p. 3, tit. III, sect. 2, p. 1.
(2) Quarti p. 3, tit. I, sect. 1, dub. 3.
(3) Vid. Quarti quæst. procem. sect. 3, p. 8.

Digitized by Google

vomitus ante consecrationem ab altari esset recedendum; post consecrationem autem procedendum eo meliori, quo potest, modo (1).

133. Quid faciendum, si advertatur defectus accidentalis infra missam commissus?

R. 1. Si defectus commissus suppleri nequeat, est distinguendum : nam vel est defectus levis, ut si advertatur altare tantum duabus mappis esse coopertum, et tunc in celebratione est procedendum, quamvis etiam sit in initio missæ, quia continuatio censetur esse majoris considerationis, et abruptio semper nata est aliquod scandalum parere; vel est defectus gravis, et tunc si ante consecrationem advertatur, ab altari est recedendum, nisi habeatur gravis causa sic celebrandi, aut grave timeatur scandalum. In dubio tamen et gravi perplexitate seu difficultate eligendum est, quod habet minus periculi, et minus malum putatur (2). Post consecrationem autem in celebratione est procedendum, quia missa post consecrationem abrumpi non potest.

2. Si defectus accidentalis commissus suppleri possit, regulariter tamen suppleri non debet, uti rubricæ tit. V, n. 2 præscribunt, quod, quæ non sunt de necessitate Sacramenti, non sint resumenda : ratio est quia illi ritus accidentales ab una parte non pertinent ad essentiam sicut essentiales, qui semper suppleri debent; et ab altera parte nihil conferunt ad significationem, ornatum aut reverentiam, quando non fiunt suo ordine, sed potius perturbant (3). Sic nullo modo repeti possunt post consecrationem, quæ ante eam omissa sunt, nec post sumptionem quæ antea prætermissa sunt, quia communiter verificari nequeunt; neque repetendæ sunt partes extraordinariæ omissæ, ut *Gloria, Credo*, etc.; neque præfatio, *Communicantes* aut *Hanc igitur* propria, si communia dicta fuerint; neque epistola aut evangelium si unum dictum sit pro alio; neque renovandæ sunt genuflexiones aut signationes, quando non factæ sunt suo loco.

(1) Quarti ibidem et Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 1, n. 6.
(2) Quarti p. 3, tit. I, sect. 1, dub. 3.
(3) Gavantus p. 3, tit. X, rub. 16; Quarti p. 3, tit. I, sect. 1, dub. 3.

Digitized by Google

Excipitur tamen : 1° si rubricæ aliter statuant, ut quoad mixtionem aquæ et oblationem calicis aut hostiæ, quæ ante consecrationem semper suppleri debent; item si inveniantur reliquiæ consecratæ post sumptionem, eæ etiam post ablutiones sumendæ sunt. 2° Si notabilis pars omissa sit, quam sacerdos statim advertit, potest eam repetere, præsertim si secreto oret; si autem fieri non possit nisi modo inconvenienti aut cum scandalo, quia populus omissionem non advertit, sed adverteret repetitionem, repetere non potest, nisi, si populus defectum adverterit, minus scandalizaret repetere, quam non repetere : populum enim minus offendit, repetere quæ inadvertenter omissa sunt, quam penitus omittere, quæ dicenda aut facienda sunt. 3° Si id quod omissum est, faciliter suppleri possit, et parva mora ad id sufficiat, suppleri potest, ut si collecta omissa sit, et id advertatur ante finem orationum, omissa cum aliis extra ordinem recitari potest.

Titulus II.

DE DEFECTIBUS MATERIÆ.

Rub. *Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim ut sit panis triticeus, et vinum de vite : et ut hujusmodi materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote.*

Titulus III.

DE DEFECTU PANIS.

Rub. 1. *Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat*

Digitized by Google

panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.

2. *Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur.*

3. *Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus, similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ latinæ, conficitur, sed conficiens graviter peccat.*

---

134. Qualis debet esse hostia, ut valide et licite sit consecrabilis?

R. Ut valide consecretur, debet esse confecta ex farina triticea cum aqua, saltem in majori quantitate, et esse non corrupta; ut licite consecretur, debet esse : 1° sine admixtione aliorum granorum et liquorum præter triticum et aquam naturalem; 2° panis azymus; 3° recenter confecta (1); 4° rotunda, integra et non fracta; 5° candida et non maculata; 6° tenuis; 7° ordinariæ magnitudinis; 8° cum imagine crucifixi, quam ei impressam esse convenit, in quo tamen servandam esse consuetudinem respondit S. R. C. (2). Hinc hi duo versus :

Candida, triticea, ac tenuis, non magna, rotunda.
Expers fermenti, non falsa, sit hostia Christi.

135. Quoad confectionem hostiarum notanda sunt sequentia : « Conveniret a sacerdotibus, clericis aut religiosis hostias in missa usurpandas confici, ut omni errori, præsertim admixtionis liquoris vel grani alterius obviaretur, et cum majori nitore et reverentia tractarentur : passim enim venales satis incurie tractantur et sordide, quod est indecens in materia tanti tamque puri sacrificii... Ut autem hostiæ purissime sine ulla admixtione, nec non honestissime fiant, hæc erunt singulariter observanda : imprimis triticum, si fieri potest, magno studio granatim eligatur; electum in

(1) Vid. tom. I, n. 281.

(2) 26 Ap. 1854, n. 2714. Vid. Quarti quæst. procem. s. 5, puncto 4, dub. 3.

Digitized by Google

sacculo mundo et de bono panno ad hoc opus tantum facto ponatur, atque a famulo boni studii ad molendinum deferatur. Quo delato, famulus aliud frumentum in ipso molendino moli prius faciat, ut illud, unde hostiæ fieri debent, sine aliqua sorde moli postea valeat. Reportata farina, clerici antequam incipiant, manus lavent, ipsamque cribrent. Deinde unus super tabulam mundissimam ipsam farinam aqua conspergat, et manibus fortiter compingat, atque maceret. Postea in ferrum, in quo coquuntur, ponat et coquat, advertens ut imago sacra Crucifixi, et non alia tam majoribus, quam minoribus sit impressa. Nec non ut nitide et studiose fiant, eas forcipibus ad id tantum paratis, vel alio simili instrumento tondeat (1). »

136. An licet adhibere materiam, quæ habet defectum accidentalem?

R. 1. Si ratione alterationis seu defectus materia dubia evadat, ipsam in nullo umquam casu adhibere licet, neque ad perficiendum sacrificium.

2. Quamvis certum sit, materiam fore valide consecrabilem; per se tamen semper illicitum erit eam adhibere, et peccatum erit grave contra reverentiam sacramenti, si defectus notabilis fuerit : hoc autem morali judicio determinandum est, sanctissimi negotii considerando dignitatem. Deficiente tamen materia undequaque debita, et habita ratione sufficiente sic celebrandi, v. g. ob præceptum superioris, licet adhibere materiam modice defectivam, ut vinum tenue, vel paululum acescens, hostiam aliquantulum maculatam, etc., et urgente gravi necessitate etiam materiam notabiliter defectivam, modo certum sit, esse verum panem et verum vinum (2). Quanto autem major est defectus, tanto major debet esse necessitas, ut peccatum excusare et irreverentiam abstergere valeat.

Not. viros etiam probos solere assumere materiam licet

(1) Vinitor p. 3, tit. 3, annot. 11.

(2) Merati p. 3, tit. 4, n. 4; Quarti quæst. procem. s. 5, p. 4, et p. 3, tit. 4, dub. 12; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 207, q. 1.

Digitized by Google

non undequaque debitam, quæ in alia ecclesia sibi administratur, v. g. vinum satis tenue, vel paululum acidum : id enim in alia ecclesia ipsos excusat, sed minime illius rectores, qui materiam undequaque debitam procurare tenentur.

3. Quoad panem fermentatum communis est sententia, illum neque ad dandum viaticum, neque ut populus missam audiat, neque in ullo alio casu adhiberi posse, nisi ad perficiendum sacrificium, si scilicet celebrans post factam consecrationem calicis advertat defectum substantialem panis, et non possit habere alium panem nisi fermentatum.

137. An licet celebrare cum hostia minori, qualis datur laicis?

R. Negative, ex usu Ecclesiæ, et quia major aptior est ad cæremonias præscriptas faciendas; nisi major haberi non possit, quo casu solius devotionis causa cum minori celebrare licet in secreto seu privato sacello; et etiam publice, facta monitione ad vitandum scandalum, si justa adsit causa, v. g. ut populus possit audire sacrum de præcepto, detur viaticum, etc. (1).

DE EMENDANDO DEFECTU PANIS.

Rub. 4. *Si Celebrans ante consecrationem advertit, Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.*

5. *Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis* Qui pridie quam pateretur; *et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit : quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.*

(1) Quarti quæst. procem. sect. 5, p. 4; Vinitor p. 3, tit. 3, annot. 10.

Digitized by Google

6. *Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua; et facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis,* Qui pridie : *ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.*

---

138. Quid faciendam si celebrans infra missam advertat substantialem defectum hostiæ, seu eam esse corruptam, aut non esse triticeam?

R. 1. Si celebrans defectum ante consecrationem advertat, hostiam statim removere debet et aliam aptam sumere, hancque, si alterius facta sit oblatio, mox offerre, vel orationem *Suscipe sancte Pater* etc. vocaliter recitando, quod certo est optimum, ut ipsa rubrica per vocem *saltem* innuere videtur; vel eamdem orationem saltem mente concipiendo, hostiamque deponendo super corporale absque illius elevatione cum patena (1). Quæ mentalis oblatio semper sufficiens est, et quandoque etiam congruentior, ut si sit infra inceptum canonem, ne recitatio interrumpatur, aut si ita fieri expediat, ut defectus eo magis occultetur. Facta oblatione missam prosequitur ab eo loco, ubi desivit, nisi modo recitasset *Qui pridie quam pateretur,* quæ verba semper resumenda sunt. Hostia amota, si illius facta sit oblatio, sumenda est post ablutiones, vel in sacrarium projicienda.

2. Si Celebrans defectum advertat post consecrationem, etiam post illius hostiæ invalide consecratæ sumptionem, sed ante sumptionem s. Sanguinis, debet statim sumere aliam hostiam, eam offerre ut supra, moxque illam consecrare, more solito incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie quam pateretur;* facta consecratione, et prætermissa, si facta sit, elevatione, non repetendo verba et signa intermedia, missam prosequitur ab eo loco, ubi desiit, uti patet ex rubrica supra n. 6, et ut in sequente responsione dicetur; si enim ibi preces

(1) Gavantus p. 3, tit. 3, rub. 4.

Digitized by Google

et signa repetenda non sint, licet dicta et facta sint super unam tantum speciem valide consecratam, neque hic repetenda sunt, quia eadem utriusque est ratio. Neque etiam in hoc et similibus casibus juxta Collet (1), si reconsecratio fiat post *Agnus Dei*, nova commixtio sacræ particulæ in calice fieri debet, quia juxta rubricas (2) inter consecrationem et sumptionem nullum medium intercedit, ita ut nulla signa facta repetenda sint; licet idem auctor innuat eamdem commixtionem fieri posse, modo fiat sine populi perturbatione.

Si celebrans priorem hostiam invalide consecratam non sumpserit, debet illam sumere post sumptionem Corporis et Sanguinis, sed ante purificationem, quod est omnium optimum; vel alii in statu gratiæ existenti, uti maxime decet, sumendam tradere; vel alicubi reverenter conservare, donec certo constet illam esse corruptam, et tunc in sacrarium projicere. Hæc facienda sunt ad cautelam, quia ordinarie tam certo constare non potest, hostiam totaliter esse corruptam, aut non esse triticeam; et licet hoc constaret, equidem oblatio facta et prolata super istam materiam verba consecrationis exigunt, ut ipsa reverenter tractetur.

Si autem celebrans hostiam invalide consecratam sumpserit, nihilominus quamvis non amplius sit jejunus, statim sumere debet eam, quam consecravit.

3. Quod si hoc contingat post sumptionem s. Sanguinis, debet celebrans rursus apponere novum panem et novum vinum cum aqua, et facta prius utriusque oblatione saltem mente concepta, ut supra, utrumque consecrare, incipiendo a verbis *Qui pridie;* prætermissis autem elevatione, et omnibus aliis, quæ fiunt et dicuntur a consecratione usque ad communionem, statim utrumque sumere, missamque prosequi : ea enim verba rubricæ *statim sumat*, ut ait Benedictus XIV (3), ostendunt omittendas esse preces, ne (4) populus, si fieri potest, errorem cognoscat.

(1) Tract. de div. off. in fine observat. 10.
(2) Hoc. tit. n. 6, et tit. IV, n. 5.
(3) De sac. missæ sect. 2, § 127.
(4) Gavantus p. 3, tit. 3, rub. 6.

Digitized by Google

Ratio, quare hic utrumque consecrandum sit, est : 1° ne Sacramentum seu potius sacrificium maneat imperfectum; prior enim consecratio calicis totaliter peracta et per sumptionem completa, amplius connecti nequit cum posteriori consecratione hostiæ ; et 2° ut debitus servetur ordo, qui postulat, ut prius consecretur hostia, et deinde calix ; Corpus enim Christi prius existere debet, antequam ex eo fundatur Sanguis ; in calice namque repræsentatur effusio sanguinis (1).

Consecratio ergo utriusque speciei in hoc casu juxta rubricas semper requiritur, sive celebretur in loco publico, sive privato, et « nos, ut sit Benedictus XIV (2), non ita fidenti animo sumus, ut a rubrica recedamus » : ea enim rubricarum auctoritas est, ut quorumcumque auctorum placitis præferri debeant. Quarti tamen (3) censet probabilius esse, non oportere in dicto casu consecrare novum vinum, neque hoc cadere sub præcepto, imo melius et convenientius esse, solum panem consecrare, et consecratum statim sumere : 1° quia ex jure communi (4) in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermissum ; 2° quia si de novo fiat consecratio utriusque speciei, de novo conficitur integrum sacrificium ; ergo non perficitur prius inchoatum, sed eo relicto imperfecto, aliud distinctum offertur ; 3° quia hic modus est magis commodus et expeditus, minusque expositus periculo scandali et admirationis populi ; 4° quia quamdiu sacerdos est in altari, actio sacrificandi moraliter perseverat ; 5° quia licet invertatur ordo debitus prius consecrandi panem et deinde vinum, hoc etiam obtinet in casu rubricæ n. 5, ubi tamen sola panis consecratio præscribitur ; et tandem 6° quia rubricæ de defectibus juxta ipsum Quarti sunt tantum directivæ, ut notatum est n. 129. Hæ rationes tam graves et solidæ videntur, ut Collet (5) condemnare nequeat illos, qui hanc sententiam amplectuntur, licet ex debito rubricarum respectu

(1) Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 121 ; Gavantus loco cit.
(2) Loco cit.
(3) P. 3, tit. 3, sect. 2, dub. 2.
(4) Cap. 1, de sac. non iterandis.
(5) *Traité des ss. myst.*, ch. IV, n. 11.

Digitized by Google

inclinet ad primam sententiam, quam rubricæ proponunt sequendam, nisi in casu scandali multitudinis populi, aut longæ expectationis faciendæ.

139. Quid faciendum, si facta oblatione hostiæ, afferantur hostiæ minores consecrandæ pro communione populi?

R. Cum rubricæ (1) præcipiant, ut hostiæ minores una cum majori offerantur, et dum agunt de defectibus, quoad novam materiam consecrandam constanter præscribant, ut illa materia, licet omnibus aliis prætermissis, prius tamen offeratur; sequitur: 1° oblationem ex lege rubricarum omnino necessariam esse; 2° hostias consecrandas post oblationem factam non esse admittendas nisi ex legitima causa; 3° si admittantur, semper saltem mentaliter esse offerendas, ut supra de majori hostia dictum est. Quousque autem et ex qua ratione admitti possint, auctores non conveniunt. Certum solummodo est, illas nunquam posse admitti post consecrationem panis. Post oblationem autem usque ad præfationem exclusive secundum communem sententiam licite admitti possunt ex gravi causa; quinimo tuto admitti posse videntur ex causa rationabili, qualis censetur commoditas communicantis, quia ad præfationem moraliter perseverat oblatio, et ad hanc spectant omnes orationes, quæ usque ad initium præfationis dicuntur (2). 2° Incepta præfatione, sed ante canonem, admitti nequeunt, nisi ex gravi causa, cujusmodi est magna multitudo parata ad communicandum, necessitas communicandi infirmum aut consecrandi hostiam in solemnitate exponendam; quia, cum oblatio neque moraliter perseveret, non est amplius tempus aptum offerendi, et per oblationem faciendam ordo missæ invertitur (3). 3° Incepto canone quidam etiam censent, illas admitti posse, sed, ut dicit Benedictus XIV (4), communis sententia est, et plurimo-

(1) In ritu celeb. m. tit. VII, n. 3.

(2) Ita Cavalieri tom. 4. dec. 64, n. 3; Quarti p. 2, tit. 7, sect. 1, dub. 2 et 3; item ita sentire videntur Gavantus p. 3, tit. 10, n. 19; et Bened. XIV, de sac. m. sect. 2, § 158.

(3) Ita Bened. XIV et Quarti locis cit.; Cavalieri loco cit. et tom. 5, c. 13, n. 32; ita etiam sentire videtur Merati p. 2, tit. 7, n. 8, in fine.

(4) Loc. cit.

Digitized by Google

rum firmata consensu, non posse admitti, cum canon recitari inceperit, etiamsi ageretur de consecranda particula, quæ pro viatico ad infirmum afferenda esset : eo enim casu parva quædam particula ex hostia missæ detrahi, et pro infirmo reservari posset (1). Addit tamen Cavalieri, si tot sint infirmi communicandi, ut pro omnibus pars hostiæ missæ reservari non possit, tunc in hoc casu necessitatis, quæ legi non subjacet, etiam incepto canone, imo adhuc immediate ante consecrationem, particulas consecrandas admitti posse.

DE CASU, QUO SPECIES CONSECRATÆ DISPAREANT.

Rub. 7. *Si hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo :* Qui pridie quam pateretur, *facta ejus prius oblatione, ut supra.*

Prænotandum ob similitudinem materiæ hic etiam agi de casu effusionis calicis, de quo rubricæ agunt tit. X, n. 13.

140. Quid faciendum, si species panis aut vini post consecrationem dispareant?

R. I. Si Hostia sacra ab aliquo animali aut vento surrepta sit, diligenter et reverenter quærenda est, ut sacrificium cum eadem perficiatur; si autem reperiri nequeat, res divinæ providentiæ relinquenda est, et faciendum, quod dicetur in sequentibus.

II. Si species sacra non totaliter disparuerit, ut si calix non totaliter sit effusus, ita ut aliquid vel parum remanserit; si vento aut ab animali media tantum pars hostiæ surrepta sit, aut saltem aliqua pars relicta; si species panis aut vini per miraculum (2) non totaliter sublatæ aut mutatæ sint,

(1) Ita etiam Merati et Quarti locis cit. et Cavalieri tom. 5, loco cit.

(2) De miraculosa mutatione specierum vid. Quarti p. 3, tit. 3, sect. 3; Billuart de Euch. dissert. 4, art. 2, pet. 5.

Digitized by Google

sed aliquo modo sint sensibiles, vel saltem aliqua earum pars immutata remaneat; nihil renovandum est, sed illud, quod remanet, sumendum est, nisi, ut infra dicetur, in casu miraculi nimia nausea fiat.

Not. dum dicitur juxta rubricas (1) nihil esse renovandum, si aliquid vel parum remanserit, hoc intelligendum esse, non de minima gutta vel particula, quæ linguæ vel palato adhæret, et deglutiri non potest, seu ad stomachum sensibiliter pervenire non valet, sed de aliquo, quod per modum manducationis et bibitionis, per quos actus s. Scriptura communionem exprimit, sumi potest; ita ut si tam parum remanserit, ut per modum cibi aut potus sumi non possit, nova consecratio illius speciei deficientis requiratur (2).

III. Si alterutra species sive panis sive vini totaliter disparuerit, ut si de effuso Sanguine nihil omnino remanserit, quod per modum potus sumi potest, si totalis hostia surrepta sit, si species miraculo totaliter mutatæ sint, aut saltem sacerdoti talis nausea fiat, ut eas sumere non possit; tunc alia materia pro specie deficiente accipienda est, hæc primum offerenda et tunc consecranda, incipiendo a verbis : *Qui pridie,* aut *Simili modo,* prout vel hostia vel calix reconsecratur; et consecratione facta, missa prosequenda est ab eo loco, ubi celebrans desiit.

Not. 1. In casu quo alterutra species dispareat, hujus tantum et non utriusque novam consecrationem requiri, quamvis nova consecratio etiam fiat post sumptionem sacræ speciei remanentis; quia sacrificium essentialiter perfectum fuit valida consecratione utriusque speciei, quæ simul in altari extitit, et debito ordine, una post alteram consecrata fuit; et nova tantum requiritur consecratio ad sumptionem illius speciei, quæ disparuit.

Not. 2. Novam consecrationem in casu, quo alterutra species consecrata dispareat, in rubricis (3) præscriptam esse,

(1) Tit. X, n. 13.

(2) Collet *Traité des ss. myst.,* ch. XIV, n. XII; Janssens, p. 3, tit. X, § 3, n. 39.

(3) Tit. III, n. 7, et tit. X, n. 13.

Digitized by Google

et sub gravi obligare, cum sub gravi utraque species sumenda sit : in casu tamen miraculi nova consecratio non videtur præcepta, sed consulenda tantum juxta s. Thomam (1), quia quæ miraculo fiunt, legibus humanis non subduntur (2).

IV. Si utraque species dispareat, ut si vento s. Hostia avolet et calix effundatur, aut miraculo species in carnem et sanguinem mutentur ; juxta Quarti (3) nova materia panis et vini consecrari nec debet nec potest, quia hoc esset non prius sacrificium consummare et perficere, sed aliud omnino distinctum offerre : attamen extra casum miraculi, in quo juxta s. Thomam est de consilio tantum, videtur probabilius, novam materiam panis et vini accipiendam esse, eamque prius facta oblatione consecrandam, incipiendo a verbis *Qui pridie*, et deinde missam esse prosequendam a loco, ubi relicta est (4). Quia cum sacrificium essentialiter sit inceptum, per sumptionem etiam est consummandum ; et nova consecratio utriusque speciei in hoc casu non magis distinctum sacrificium censeri debet, quam in aliis casibus, in quibus nova consecratio sive alterutrius sive utriusque speciei præscribitur.

Not. celebrantem in casu miraculosæ mutationis sacrarum specierum, illam carnem aut sanguinem sumere non debere, sed reverenter reservare (5).

Quid sit faciendum cum s. Sanguine effuso, dicetur num. 185.

Titulus IV.

DE DEFECTU VINI.

Rub. 1. *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum,*

(1) P. 3, q. 82, art. 4.
(2) Vid. Collet *Traité des ss. myst.*, ch. IV, n. 14.
(3) P. 3, tit. 3, s. 3, dub. 5.
(4) Janssens p. 3, tit. 3, n. 20.
(5) S. Thomas et Quarti locis cit.; Castaldus lib. 2, s. 14, c. 7, n. 19.

Digitized by Google

vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

2. *Si vinum cæperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*

---

141. Quale vinum est materia debita consecrationis?

R. Omne et solum vinum de vite, in sua specie incorruptum. Idem autem est, sive sit album, sive rubrum, nisi alicubi exstet præceptum rubro aut albo utendi : communiter tamen adhibetur album ad majorem linteorum munditiem; rubrum tamen etiam licite adhiberi potest, uti quidam etiam præferunt, ad removendum periculum assumendi aquam loco vini, et ad Sanguinem Domini nostri expressius repræsentandum (1). Item ut vinum licite consecretur, debet esse purum et mundum absque admixtione fragmentorum cooperculi lagenæ, etc. De vino congelato agetur n. 183.

DE EMENDANDO DEFECTU VINI.

Rub. 3. *Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in Calice; debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis :* Simili modo, *etc.*

4. *Si post verba consecrationis, advertat vinum non fuisse positum, sed aquam : deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis prædictis :* Simili modo *etc.*

5. *Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ; apponat aliam Hostiam iterum consecrandam,*

(1) Merati p. 3, tit. 4, n. 6; Vinitor p. 3, tit. 4, annot. 8.

Digitized by Google

et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cætera.

6. *Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in Calice.*

7. *Si autem celebrans ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

---

142. Quid faciendum, si celebrans infra missam advertat aut vinum non esse in calice, vel esse corruptum, vel esse aquam, totum acetum, aut alium diversum liquorem?

R. 1. Si celebrans ante consecrationem calicis, quamvis post consecrationem hostiæ, defectum advertat, debet statim liquorem defectivum, si appositus fuerit, in aliquod vas effundere, mox apponere vinum cum modica aqua, et si calicis oblatio facta sit, eum statim saltem mentaliter offerre, ut dictum est, n. 138, resp. 1; factaque oblatione missam prosequi ab eo loco, ubi desiit, ut patet ex rubricis tit. III, n. 4, cum eadem sit ratio; nisi modo recitasset *Simili modo* etc. quæ verba semper resumenda sunt, cum juxta rubricas ab his verbis semper incipiendum sit, si calix de novo consecrari debeat. Liquor defectivus, saltem si calicis oblatio facta sit, cum ablutione digitorum sumendus est, vel in sacrarium projiciendus.

2. Si celebrans defectum advertat post prolata verba consecrationis calicis, sed ante sumptionem s. Hostiæ, debet statim liquorem defectivum effundere in aliquod vas, tum vinum cum modica aqua apponere, calicem de novo saltem mentaliter offerre; et hac oblatione facta statim consecrare,

Digitized by Google

resumendo a verbis *Simili modo,* et prosequendo usque ad *Unde et memores* exclusive (1). Facta consecratione, et elevatione si jam facta fuerit, cum omnibus aliis prætermissa, missam prosequitur ab eo loco ubi desiit, ut de simili casu dictum est n. 138, resp. 2.

Si in hoc casu particula s. Hostiæ in calicem missa fuerit, non tamen alius calix pro nova consecratione adhiberi potest, sed aqua aut alius liquor in alium calicem aut ciborium effundi debet; et si alius calix aut ciborium desit, adhiberi potest quodcumque vas mundum, cum rubrica non aliud requirat : potest etiam, effusa prius aqua aliove liquore, particula s. Hostiæ in calice retineri, et superinfundi vinum cum modica aqua ad consecrandum. Item juxta missale Parisiense aqua infusa, post commixtionem s. particulæ, non est effundenda, sed vinum apponendum in majori quantitate (2).

Liquor effusus, si sit aqua vel quid aliud potabile et s. particula commixta non fuerit, sumendus est cum ablutione digitorum; et si sacra particula commixta fuerit, cum prima purificatione; si autem liquor potabilis non sit, in sacrarium effundendus est, prius tamen s. particulam, si immissa sit, diligenter eripiendo; et casu, quo particulæ separatæ eripi non possint sine periculo, ne quædam fragmenta remaneant, in tabernaculo conservandus est, donec particulæ certo corrumpantur, et tunc totum in sacrarium mittatur.

3. Si celebrans defectum advertat post sumptionem s. Hostiæ vel liquoris invalide consecrati, debet statim rursus apponere aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calicem, offerre utrumque saltem mentaliter, mox consecrare, et statim sumere (ut patet ex verbis *offerat utrumque, et consecret, et sumat,* quæ rubrica supra n. 5, immediate conjungit, item ex tit. III, n. 6, ubi in simili casu utrumque statim sumendum præscribitur), quamvis etiam non amplius sit jejunus; ac deinde missam prosequitur. Vel

(1) Ita Sylvius apud Bened. XIV, de sac. m. sect. 2, § 127.

(2) Vid. Collet *Traité des ss. myst.,* ch. IV, § II, n. IX, et *de l'off. div.* observ. in fine.

Digitized by Google

si missa celebretur in loco publico, ubi plures adsunt, celebrans ad evitandum scandalum, potest apponere solum vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, missamque prosequi.

Itaque juxta rubricas supra n. 5 solum vinum in casu consecrari debet, si celebretur in loco publico, et utraque materia, si celebretur in loco privato, vel in ecclesia ubi pauci adsunt : nihilominus juxta Quarti (1) solum vinum consecrari licet, etiamsi nullus adsit, nec urgeat necessitas vitandi scandalum, quia hic modus est aptior et expeditior, nec militat ratio inversionis ordinis, cum Sanguis consecretur post Corpus (2). Notandum in casu, quo celebrans defectum vini advertit, quidem post sumptionem s. Hostiæ, sed ante sumptionem s. particulæ in calice relictæ, uti fieri potest, tunc semper solum vinum consecrari posse et debere, quia tunc Corpus et Sanguis simul in altari existunt, quamvis distincte sumi nequeant, propter cujus tamen defectum nihil esse reiterandum rubricæ expresse statuunt tit. X, n. 10; quod etiam confirmatur ex rubricis ibidem n. 13, ubi præscribitur, si aliquid de effuso Sanguine remanserit illud esse sumendum sine nova consecratione calicis; quod similiter locum habet in præsenti casu, in quo particula s. Hostiæ remanet.

Casu quo sacerdos, dum liquorem e calice haustum tenet in ore, cognoscat vinum non fuisse positum in calicem, illum liquorem ejicere non debet, tum propter indecentiam indesequendam, tum propter periculum simul ejiciendi particulam s. Hostiæ, sed potius deglutire, quamvis per hoc jejunium naturale frangatur, quia sic ex duabus inconvenientiis minor eligitur (3).

Si liquor autem non sit exhaustus, vel in calice retinendus

(1) P. 3, tit. 3, sect. 2, dub. 2, in fine, et tit. 4, rub. 5.

(2) Ita etiam Scotus, Suarez, et favet s. Bernardus apud Bened. XIV, de sac. m. sect. 2, § 124, usque ad § 127. Vide etiam dicta num. 138, resp. 3, quæ hic similiter applicari debent.

(3) Ita Suarez disp. 85, sect. 1; Gavantus p. 3, tit. 4, rub. 5; Quarti p. 3, tit. 4, dub. 13.

Digitized by Google

est affusa majori quantitate vini; vel in aliud vas effundendus, et deinde sumendus cum ablutionibus; et si sumi nequeat, vel conservandus vel in sacrarium est mittendus, ut dictum est ad resp. præc.

143. Quid faciendum, si celebrans advertat, se omisisse aquam vino admiscere?

R. Si id advertat ante consecrationem calicis, debet statim parum aquæ apponere, eam de more benedicere (1) et sine nova calicis oblatione procedere; nam licet rubricæ supra n. 3 novam oblationem præscribere videantur, hæ tamen rubricæ tantum intelligendæ sunt de casu, quo aut vinum, aut vinum et simul aqua non sunt apposita, ut patet ex rubricis n. 7, ubi nihil de calicis oblatione præscribitur : quia hoc parum aquæ unitur, et moraliter unum efficitur cum vino, quod modo est oblatum (2). Si autem id advertat post consecrationem calicis, nullo modo eam amplius apponere potest; et si adverteret post incepta sed ante finita verba consecrationis calicis, præstaret pergere, quam formam abrumpere, et aquam apponere.

DE DEFECTU QUI SUPPLERI NON POTEST, ET DE DEFECTU IN UTRAQUE MATERIA.

Rub. 8. *Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi; si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet : si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba et signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu, haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum.*

---

(1) Gavantus p. 3, tit. 4, rub. 7.

(2) Ita Quarti p. 2, tit. 7, sect. 1, dub. 4; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. XIV, n. III.

Digitized by Google

144. Quid faciendum, si materia deficiens panis vel vini haberi non possit?

R. Ante consecrationem hostiæ ab altari est recedendum, ut etiam dictum est n. 132; si autem sit post consecrationem hostiæ aut etiam vini, tunc si materia apponenda nullo modo, aut, quod idem est (1), non nisi difficillimo modo haberi possit, missa est absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba et signa, quæ pertinent ad solam speciem deficientem; et signa utrique speciei communia fiant super solam speciem valide consecratam. Quod si aliquamdiu expectando, materia haberi possit, expectandum est, non quidem per integrum aut medium diem, sed tali tempore, ut censeri possit unum numero Sacrificium eademque moralis actio. Vid. num. 171.

Not. in casu ad perficiendum sacrificium, licere adhiberi panem fermentatum, item mustum, seu uvas maturas in calicem exprimi posse.

145. Quid faciendum, si defectus essentialis in utraque materia panis et vini simul occurrat?

R. 1. Si sacerdos id advertat ante consecrationem, afferri sibi jubeat materias idoneas, quæ si non reperiantur, missam omittat (2).

2. Si vero id advertat post prolata consecrationis verba, quia invalida est consecratio, omittat pariter missam : nihil enim egit, nec quidquam propterea est quod suppleri oporteat (3). Quidam tamen censent, quod sacerdos post consecrationem, sed ante sumptionem, possit debitas materias assumere, offerre, consecrare ac sumere, quia jus celebrandi non amisit; et quandoque etiam debeat, dum sine gravi scandalo aut infamia ab altari discedere non potest : quinimo juxta Præpositum (4) semper tenetur ex lege ecclesiastica, vi cujus missam notabiliter inceptam abrumpere non potest, dum eam licite perficere potest (5).

(1) Gavantus p. 3, tit. 4, rub. 8.

(2) Ita Bened. XIV, de sac. missæ sect. 2, § 128.

(3) Ita etiam Bened. XIV, loco cit.

(4) Q. 83, art. 6, n. 162.

(5) Vid. Janssens p. 3, tit. 4, n. 33 et 34; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. IV, § 1, n. XII; Mohren tract. 1, § 33, q. 12.

Digitized by Google

3. Si id advertat post sumptionem materiæ invalide consecratæ, cum jam jejunus non sit, neque necessitate urgeatur ad missam perficiendam, nihil renovet, sed recitet ad vitandum scandalum orationes, quæ communionem consequuntur, omissis iis verbis, quæ Sacramenti perceptionem significant, ac facta benedictione ad populum, legat evangelium s. Joannis (1).

DE DUBIO CIRCA MATERIAM PANIS ET VINI, ET DE CASU QUO SACERDOS DEFECTUM NON COGNOVERIT NISI POST ABLUTIONES AUT FINITAM MISSAM.

146. Quid faciendum, si dubitetur, an hostia aut vinum sit materia debita validæ consecrationis?

R. Idem est faciendum, ac si materia sit certo invalida, quia sacrificium dum fieri potest, numquam relinquendum est imperfectum, et dum quis prudenter dubitat de validitate materiæ, rationes timendi habet ne sacrificium imperfectum relinquat (2).

Not. 1. dubium, dum post consecrationem oritur, prudens, seu ut ait rubrica tit. V, n. 2, valde probabile esse debere : ex levibus enim rationibus et scrupulosa anxietate ad rem tanti momenti, qualis est nova consecratio, procedere non licet. 2° Gustum et odoratum quandoque infectum esse, et sic fallere posse.

Not. 2. Materiam dubie consecratam sub gravi sumendam esse post sumptionem Corporis et Sanguinis : valide enim consecrata esse potest, et ut tit. X, n. 4 dicitur, gravissime peccat qui extra casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, nisi nausea fiat, ut dicetur num. 178.

147. An posterior consecratio in prædicto casu materiæ dubie consecratæ, fieri debet absolute, an sub conditione, *si prior materia consecrata non sit?*

(1) Quarti p. 3, tit. 3, sect. 2, dub. 4.
(2) S. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 206.

Digitized by Google

R. Juxta plures (1) fieri debet sub conditione, quia si prior consecratio valida fuerit, posterior esset inchoatio novi sacrificii, et faceret sacrificium mutilatum; periculum autem non reliquendi sacrificium mutilatum, justa est causa consecrandi posteriorem materiam sub conditione. In casu consecrationis conditionatæ juxta Quarti ritus exerceri possunt cum alterutra materia ad libitum sacerdotis; et quoad sumptionem, si altera hostia sub conditione consecrata sit, sumi potest utraque simul. Attamen absoluta consecratio videtur melior et rubricis conformior; melior scilicet, quia juxta principium s. Thomæ n. 130 allatum, habet minus de periculo, cum per eam præcaveantur omnia inconvenientia et incommoda : perficiens enim sacrificium per absolutam consecrationem, communicat naturaliter jejunus, prius sumens utramque speciem valide consecratam, et deinde dubie consecratam; atque omnes preces et signa verificat, quæ facit cum specie absolute consecrata; contra perficiens per consecrationem conditionatam, vel communicat non jejunus, vel saltem illius periculo se exponit, utramlibet speciem prius sumat sive dubie sive conditionate consecratam; deinde falsificat omnes preces et ritus, quos facit cum specie, si non sit consecrata; atque neutram speciem ipse et adstantes adorare possunt sine periculo idololatriæ saltem materialis, cum non constet, utra species sit vere consecrata. 2° Absoluta consecratio est etiam conformior rubricis, quia nullibi præscribunt aut permittunt consecrationem conditionatam super materiam, de qua constat, quod sit purus panis aut purum vinum; et insuper in fere simili casu tit. X, n. 3 in fine præscribunt, alium calicem præparatum absolute esse consecrandum, cum in eo contentum postea vocent Sanguinem consecratum. Cum tandem hæc absoluta consecratio fiat tempore ejusdem sacrificii nondum integraliter completi, ac ad idem sacrificium referatur, censeri debet non tam novi sacrificii inchoatio, quam ejusdem continuatio et perfectio (2).

(1) S. Alph. de Ligorio loco cit.; Quarti p. 3, tit. 3, sect. 2. dub. 5; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. IV, § 1, n. XIII, et in fine tract. de div. off. observ. 10.

(2) Vid. Janssens in append. ad tit. 4, de defect.

Digitized by Google

148. Quid faciendum, si celebrans defectum substantialem alterutrius materiæ, sive panis, sive vini, non cognoverit, seu supplere omiserit, donec ablutionibus sumptis calicem cooperuerit, aut finita missa ab altari discesserit?

R. Si ab altari discesserit, non debet nec potest reverti, et iterum consecrare, quia tunc esset moralis distincta actio et novum sacrificium; si autem ab altari nondum discesserit, potest et debet, quamdiu est in altari, defectum supplere et sacrificium perficere, quia cum nova consecratio fiat tempore ejusdem actionis, tam bene censeri debet ejusdem sacrificii continuatio et perfectio, quam si post sumptionem calicis altera consecratio fiat ad complendum sacrificium (1).

Titulus V.

DE DEFECTIBUS FORMÆ.

Rub. 1. *Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc:* Hoc est enim Corpus meum. *Et,* Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti : mysterium fidei : qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret.*

2. *Si Celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt*

(1) Quarti p. 3, tit. 3, sect. 2, dub. 3; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. IV, § 1, n. XII; Lohner p. 2, tit. 35, ad II *sequitur quinto.*

Digitized by Google

de necessitate Sacramenti, id est, formam Consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam et cætera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

---

149. Quid faciendum, si celebrans aliquid in forma consecrationis omiserit, aut saltem de eo dubitet?

R. I. Si ea quæ celebrans omisit, non sint essentialia, nihil resumere, sed ulterius procedere debet.

R. II. 1° Si Celebrans defectum essentialem formæ circa alterutram materiam commiserit, seu materiam consecrare, aut aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, omiserit sive ex inadvertentia sive ex malitia, et hoc ei certo constet; tunc si defectum cognoscat ante sumptionem speciei valide consecratæ, integram formam repetere debet, sine ulla conditione, incipiendo a verbis *Qui pridie*, aut *Simili modo*, prout defectus respicit consecrationem panis aut vini; et repetita forma, cætera per ordinem prosequi ab eo loco, ubi desiit (1).

2° Si in hoc casu, defectus consecrationem hostiæ respiciat, eamque modo sumpserit; tunc quamvis non amplius sit jejunus, statim tamen apponere debet novam hostiam, eam offerre saltem mentaliter, consecrare et statim sumere, quia eadem est ratio materiæ ineptæ, et materiæ sine forma (2).

3° Si in prædicto casu invalidæ consecrationis alterutrius materiæ alteram speciem valide consecratam sumpserit, rursus utramque materiam more solito consecrare debet juxta rubricas tit. III, n. 6 et tit. IV, n. 5. Ita ut, si hostiam valide consecratam sumpserit, iterum apponere debeat aliam hostiam, eam offerre saltem mentaliter, et consecrare incipiendo a verbis *Qui pridie;* et deinde calicem sine nova ejus-

(1) Quarti p. 3, tit. 5, sect. 2, dub. 1, *dico secundo.*
(2) Gavantus p. 3, tit. 5, rub. 1.

Digitized by Google

oblatione, quia supponitur oblatus, consecrare : si autem calicem valide consecraverit, eumque sumpserit, rursus debeat apponere novam hostiam et vinum cum aqua, et prius facta utriusque oblatione saltem mente concepta, utrumque consecrare incipiendo a *Qui pridie,* statimque utrumque sumere; nisi in hoc etiam casu solam materiam consecret, quam omisit consecrare vel invalide consecravit (1), ut dictum est n. 138 et 142 resp. 3.

R. III. Si celebrans defectum essentialem formæ commiserit circa utramque materiam, sed nondum sumpserit, tenetur statim utramque materiam consecrare, resumendo a verbis *Qui pridie,* et deinde prosequi sacrum, ex vi præcepti non fingendi aliquid falsum in hoc ministerio, et vitandi scandalum, quod missam abrumpendo vitare non potest, cum inculpabilem omissionem aut inadvertentiam probare vix possit. Si autem alterutram materiam sumpserit, non debet nec potest quidquam licite supplere, neque consecrationem resumere, quia ab una parte non est jejunus, et ab altera non tenetur sacrificium perficere, quod defectu validæ consecrationis non est essentialiter inchoatum; ad vitandum autem scandalum potest recitare orationes post communionem, omissis iis, quæ Sacramenti sumptionem significant, dare benedictionem, et legere evangelium s. Joannis, ut dictum est in fine n. 145 (2).

R. IV. Si sacerdos dubitet, an consecraverit, aut aliquid essentiale in forma omiserit, tunc si dubium illud sit prudens seu, ut rubricæ n. 2 dicunt, valde probabile, aut ex fundata aliqua ratione ortum, idem faciendum est ac in 2ª et 3ª responsione præcedente, excepto casu, quo dubium versatur circa utramque materiam eamque sumpserit, quando, quamdiu est in altari, ob dubium de valore consecrationis missam perficere debet per novam utriusque materiæ consecrationem. Forma in quocumque casu dubio, si repetatur super eamdem materiam, repetenda est sub tacita conditione, *si materia*

(1) Quarti p. 3, tit. 5, sect. 2, dub. 1.
(2) Quarti p. 3, tit. 5, sect. 2, dub. 1, in fine.

Digitized by Google

non sit consecrata; si autem nova materia assumenda sit, quia prior species dubie consecrata sumpta est, forma resumenda est vel absolute vel conditionate juxta dixta num. 147.

Not. 1° si dubium versetur circa consecrationem calicis, non posse assumi alium calicem, non tantum quia usus duorum calicum prohibetur, sed etiam, cum defectus semper accidat ex culpa sive voluntaria sive involuntaria, assumptio novi calicis sine scandalo et infamia fieri non potest : 2° hic posse occurrere dubium facti, ut si quis debitet, an consecraverit, an in consecratione calicis dixerit *mei;* et dubium juris, ut si quis sciat se dixisse : *Hic est Calix Sanguinis mei*, sed omisisse verba sequentia *novi et æterni* etc. de quibus, ut ait Benedictus XIV (1) non est ita exploratum propter gravem quæ adhuc viget inter theologos controversiam, consecratane sit sine illis, an non, species vini.

2. Si vero dubium non sit prudens, neque valde probabile, neque ex fundata aliqua ratione ortum, sed ex levibus motivis et scrupulosa anxietate procedens, contemnendum est, et propterea celebrans nec aliquid reiterare potest, nec turbari, sed tuto procedere debet. Tale dubium habetur juxta rubricas supra, quando celebrans non recordatur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur : memoria enim necessaria non est, et ipse supponere debet, se omnia suo ordine dixisse et fecisse; non enim, ait s. Thomas, qui multa dicit, recolit omnia, quæ dicit. Celebrans tamen, ut suæ quieti omnino consulat, a ministro petere potest, an hostiam aut calicem elevaverit; et si non elevaverit, id tanquam sufficientem rationem dubitandi et formam sub conditione repetendi habere potest (2).

Not. 1° materiam, circa quam defectus formæ commissus est, non esse offerendam, antequam forma repetitur, quia debite oblata fuisse supponitur.

Not. 2° rubricas supra tantum dicere ipsam formam consecrationis resumendam esse, ideoque quosdam dicere, non

(1) De sacrificio m. sect. 2, § 134.
(2) Merati p. 3, tit. 7, n. 1; Quarti p. 3, tit. 5, sect. 2, dub. 2.

Digitized by Google

esse incipiendum a verbis *Qui pridie* aut *Simili modo*, sed sola verba consecrationis esse repetenda : supra tamen dictum esse, semper esse incipiendum a verbis *Qui pridie* aut *Simili modo* juxta rubricas tit. III et IV, in quibus ita præscribitur, et quæ hic subintelligi supponuntur, ubi eadem est ratio (1).

150. Si sacerdos per errorem super hostiam proferat formam consecrationis calicis, an resumpta forma consecrationis hostiæ, tenetur iterum proferre formam consecrationis calicis ad eumdem consecrandum?

R. Affirmative, quia calix non fuit consecratus defectu intentionis, quæ ita explicatur, ut nolit sacerdos jam consecrare calicem sed hostiam, et nolit confundere ordinem sacrificii consecrando calicem ante hostiam : ita ut juxta Quarti (2) formam calicis saltem sub conditione mentali repetere debeat. Not. tamen, si hostia non consecrata elevata fuerit, eam non denuo esse elevandam ad cavendum scandalum.

Titulus VI.

DE DEFECTIBUS MINISTRI.

Rub. *Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt : in primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quæ in ipso possunt occurrere.*

(1) Quarti p. 3, tit. 5, sect. 2, dub. 1.
(2) P. 3, tit. 5, s. 2, d. 1.

Digitized by Google

Titulus VII.

DE DEFECTU INTENTIONIS.

Rub. 1. *Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere : item si aliquæ hostiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt : item si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit : in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat; nam tunc omnes erunt consecratæ : atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.*

2. *Si Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post Consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant.*

3. *Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat : si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat : vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice, seu Patena decenter conservet, quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur : quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.*

4. *Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.*

Digitized by Google

151. Quid faciendum, si sacerdos defectum essentialem commiserit circa intentionem?

R. Si defectum commiserit circa alterutram materiam tantum, altera valide consecrata, debet conteri de culpa, quam commisit, et defectum reverenter supplere eodem modo, ac si essentialem formæ defectum commiserit, ut dictum est num. 149, resp. II. Si defectum commiserit circa utramque materiam, eamque modo sumpserit, facere debet quod ibidem resp. III, dictum est : si vero neutram sumpserit, tunc cum propter fictionem mortalitor peccaverit, idem facere debet ac si recordetur se esse in peccato mortali, ut num. 157 dicetur; et si perficiat sacrificium, uti debite contritus facere potest vi præcepti non fingendi sacrificium et vitandi scandalum, tunc debet utramque formam sub debita intentione resumere, uti num. 149 resp. III dictum est (1).

Not. sacerdotem, si in missa post consecrationem majoris hostiæ, quamvis ante consecrationem calicis, advertat appositas fuisse minores hostias consecrandas, de quibus nullam intentionem habuit, super has hostias formam repetere non posse, quia sic bis celebraret, cum illæ hostiæ nullatenus spectent ad perfectionem sacrificii, et referri nequeant ad majorem hostiam, utpote jam perfecte consecratam.

152. Quæ et qualis intentio requiritur ad valide et licite consecrandum?

R. 1. Requiritur intentio faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia, seu consecrandi panem et vinum, quod est illud, quod Christus instituit, et quod facit Ecclesia, et cujus potestatem a Christo accepit.

2. Illa intentio in particulari quoad materiam consecrandam determinata esse debet : quia sicut sacerdos non consecrat, nisi intendat consecrare, ita nec hanc aut illam materiam consecrat, nisi illam determinate consecrare intendat; sufficit tamen, ut sit determinata quoad totam materiam, quæ proponitur, licet illius quantitas aut numerus ignoretur.

(1) Gavantus p. 3, tit. 5, rub. 1, et tit. 7, rub. 1.

Digitized by Google

3. Requiritur intentio consecrandi omnes hostias, quas sacerdos ante se ad consecrandum positas habet, sive sit una vel duæ conjunctæ, sive sint plures vel pauciores, quam putat. Hæc intentio semper requiritur ad licite consecrandum, ita ut nullam hostiam ex præsentibus in corporali positis excludere liceat; et sufficit quoque ad valide consecrandum omnes hostias præsentes, licet plures aut pauciores sint, quam putat celebrans, quia error speculativus et materialis non vitiat intentionem practicam et absolutam, cum materia tota sit determinata et inclusa intra intentionis terminum.

Not. hanc intentionem non debere esse explicitam, sed sufficere implicitam, qualem quisque habere censetur, qui eam non excluserit, aut aliam non fecerit.

4. Intentio consecrandi debet esse actualis vel virtualis. Actualis quidem optima est, et curare debet sacerdos juxta rubricas supra n. 4 ut eam adhibeat; non est tamen necessaria, neque est totaliter posita in hominis potestate, non tantum propter evagationem mentis, sed etiam propter devotionem, aliasque causas, quæ actualem mentis intentionem sæpius impediunt. Intentio autem sufficiens et requisita facillime haberi potest, ita ut opus non sit, sacerdotem circa hanc scrupulose occupari et angi contrariis cogitationibus quandoque incidentibus, quæ potius contemnendæ quam advertendæ sunt, cum a voluntate non procedant, et intentiones vocari nequeant.

5. Quoad fragmenta hostiarum, quæ tempore consecrationis reperiuntur extra corporale et lapidem sacrum, et quoad guttas vini extra calicem dispersas vel ejus externis partibus adhærentes, certum est, sacerdotem licite non posse intendere eadem consecrare. Quoad micas autem hostiis adhærentes, vel ab illis separatas sed in pyxide aut corporali loco debito positas, et guttas vini intra cuppam calicis dispersas et a toto in fundo separatas, auctores minime conveniunt: 1° quidam generaliter dicunt, sacerdotem debere intendere non consecrare illas micas etiam hostiis adhærentes, et guttas a toto separatas; quia intentio Ecclesiæ esse videtur,

Digitized by Google

adeoque et sacerdotis esse debet, tantum consecrare id, quod per modum unius sive in calice sive in hostia continetur (1). 2° Alii quoad micas dicunt, sacerdotem debere intendere consecrare micas hostiis in ciborio conjunctas, cum absit periculum eas perdendi; item micas hostiis adhærentes, quia tunc considerantur per modum unius, et ne simul cum speciebus consecratis proponantur adorandæ; non autem micas super corporale separatas, quas tamen quidam etiam licite consecrari censent (2). 3° Quoad guttas intra calicem dispersas, quidam dicunt sacerdotem licite intendere consecrare guttas propinquas, quæ in fundo facile uniuntur, sed non remotas, quas tamen alii etiam licite consecrari putant, ne in calice sit vinum, quod non sit consecratum (3). Hic autem notandum est, sacerdotem non posse intendere consecrare guttas, quæ a tempore consecrationis usque ad communionem cum reliquo in fundo unientur, quia consecratio a futuro eventu pendere non potest. 4° Ad tollendos scrupulos et anxietates juxta quosdam consultum est, ut sacerdos formet intentionem consecrandi omnem materiam præsentem licite et decenter consecrabilem, et non aliam : sed cum dubitetur, quæ materia licite et decenter sit consecrabilis, omnia æque dubia manent, ac si hæc intentio formata non fuisset. 5° Alii tandem dicunt, sacerdotem facta ordinaria intentione, circa micas aut guttas nihil statuere debere, quia nec Ecclesia aliquid statuit; vel, ut dicit Quarti (4), intentionem celebrantis esse debere, consecrandi juxta Christi institutionem et ritum Ecclesiæ, nihil determinando in particulari : sic enim vitatur perplexitas. Quod si quis, ut idem pergit, determinare velit, poterit sequi utramvis ex opinionibus, scilicet vel intendendi consecrare micas et guttas prædictas, vel non intendendi, cum utraque sit probabilis.

(1) Ita Merati p. 3, tit. 7, n. 3; Busembaum apud s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 215, aliique ab iisdem citati.

(2) Croix apud s. Alph. de Ligorio loco cit.; Quarti p. 3, tit. 7, dub. 9.

(3) Vid. s. Alph. de Ligorio et Quarti locis cit.

(4) P. 3, tit. 7, in fine dub. 9.

Digitized by Google

153. Quid ergo quoad micas hostiarum et guttas intra calicem dispersas faciendum est in praxi?

R. 1. Major hostia, uti rubricæ præscribunt in ritu celeb. m. tit. I, n. 1, ante missam leviter est extergenda a fragmentis, si opus sit; et pariter minores cum cribro aut aliter bene purgandæ sunt : item si post infusionem vini et aquæ in calicem, guttæ intra calicem dispersæ appareant, tunc circumacto vino in fundo uniendæ sunt, vel purificatorio abstergendæ, ut dictum est tom. I, n. 228.

2. Si sacerdos ante consecrationem micas hostiæ adhærentes, aut ab ea super corporale separatas, vel guttas intra calicem dispersas conspiciat, tunc si facile fieri possit, micæ illæ digito amoveantur, et guttæ, si sint vicinæ vino in fundo, cum eo uniantur circumacto vino, aut si sint remotæ et facile uniri nequeant, medio digito vel purificatorio abstergantur : quod licet forte optimum sit, quidam tamen dicunt, hoc immediate ante consecrationem non expedire, quia populus elevationem expectat; et certo si facile fieri nequeat, vel si verba *Qui pridie* aut *Simili modo* jam incepta sint, micæ illæ et guttæ relinquendæ esse videntur (1), et in casu optimum est juxta dicta n. 130, ad 3, illud facere, quod quis in his circumstantiis constitutus, prudenter judicat, minus de periculo irreverentiæ habere, illudque tuto agere, quo casu etiam unusquisque ab omni peccato immunis censeri debet.

Not. micas hostiæ adhærentes, aut separatas in patena seu corporali quandoque relictas esse ex præcedente aliquo sacrificio, et proinde non tam facile rejiciendas esse saltem extra corporale. Item fieri posse, ut extersione digitorum supra calicem immediate ante consecrationem, fragmenta s. Hostiæ in calicem decidant, quæ ex calice nullatenus extrahi possunt.

Not. hostiis quandoque admixtam esse tritici siliquam, et vino sæpius fragmenta cooperculi lagenæ vel quid simile : tali casu si materia ita mixta consecretur, potius esse videtur nihil circa intentionem statuere, et ut alias intendere

(1) Lohner p. 2, tit. 18, n. 4; Busemb. apud. s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 219.

Digitized by Google

consecrare panem et vinum; nam vel illud, quod admixtum est, cum pane et vino moraliter unum totum efficitur, et tunc supposita ordinaria intentione, totum consecratur, ut ait Steyaert (1); vel illud admixtum bene distinctum manet, et unum totum non efficit, tuncque supposita ordinaria intentione, etiam non consecratur, quia sacerdos non intendit consecrare nisi verum panem triticeum et vinum de vite.

3. Post consecrationem micæ illæ et guttæ amplius amoveri et abstergi nequeunt, nisi forte sacerdos expressam habuisset intentionem illas non consecrandi : nulla enim expressa intentione facta quidam affirmant illas esse consecratas, et alii negant; unde dubium est an sint consecratæ, et proinde quia forte sunt consecratæ, tanquam tales habendæ sunt, atque sumendæ vel cum speciebus sacris vel cum prima ablutione (2). Nec obstat, ut ait s. Alph. de Ligorio (3), quod si non sint consecratæ, eas sumendo lædatur jejunium, nam magis tunc videtur præcavenda irreverentia Sacramenti, quam læsio jejunii.

Cum autem micæ extra corporale dispersæ, et guttæ calici exterius adhærentes non consecrentur, nisi quis expresse, sed sacrilege, eas consecrare intendat; eædem sine scrupulo etiam post consecrationem amovendæ et abstergendæ sunt.

154. An hostiæ minores dicendæ sunt consecratæ per verba consecrationis, quæ sacerdos profert super hostiam majorem, si de illis in consecratione non cogitaverit?

R. 1. Si hostiæ, inscio omnino sacerdote, super altare ponantur, ita ut nullam habuerit intentionem illas consecrandi, non sunt consecratæ, quia voluntas non fertur in incognitum : nisi forte hostiæ collocatæ fuerint super corporale et aram lapideam, inscio sacerdote v. g. cæcutiente, aut putante esse ciborium purificandum; quia, cum *quilibet sacerdos* juxta rubricas supra n. 1 *semper intentionem habere deberet, consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum*

(1) Aphor. de euch. sac. § 2, n. IV.
(2) Quarti p. 2, tit. 7, dub. 9, in fine.
(3) Lib. 6, n. 215.

Digitized by Google

positas habet, istæ hostiæ in tali intentione includuntur, et debite consecratæ dicendæ sunt, saltem si de hac generali sacerdotis intentione in hoc particulari casu constare possit; de qua autem si dubitetur, saltem tanquam dubie consecratæ habendæ sunt, et tractandæ prout infra in fine ad 3 dicetur.

2. Si sacerdos intentionem eas consecrandi habuerit, ut si ipse vel alter ipso volente illas consecrandas ad altare detulerit, et hostiæ super corporale et aram lapideam ponantur : certum est eas esse consecratas, licet pyxis etiam clausa manserit, quia remanet intentio virtualis. Idem dicendum est, si sacerdos monitus fuerit de hostiis consecrandis super altare positis vel ponendis, aut si ipso tantum advertente, ad altare delatæ fuerint, modo easdem consecrare intenderit vel consenserit, et hostiæ super aram et corporale ponantur (1). Si autem in hoc ultimo casu nec eo ipso, quo monitus fuerit, aut attenderit hostias ad altare deferri, nec in actionis progressu easdem consecrare intenderit, sed alio distractus, de consecratione facienda non cogitaverit, dubitari vel saltem non certo constare potest de sufficiente intentione; adeoque hostiæ tanquam dubie consecratæ tractandæ sunt, prout infra in fine ad 3 dicetur (2).

3. Si sacerdos quidem habuerit ordinariam intentionem illas consecrandi, sed ipso inscio positæ sint extra corporale et aram lapideam, ubi tempore consecrationis remanserunt, non advertente sacerdote : tunc quidam affirmant eas esse consecratas, quia adfuit absoluta voluntas illas consecrandi, et non est retractata, neque conditionata dici potest ex eo, quod extra corporale et aram lapideam non consecretur sine peccato mortali; nam etsi illicita sit intentio consecrandi materiam, quam sacerdos novit esse extra corporale et aram sacram, non tamen illicita est intentio consecrandi materiam omnem, quæ præsens est, etiamsi incaute in eo loco posita non fuerit, quo eamdem locatam esse oportuit : eodem modo ac si quis ignoranter celebraret sine corporali, aut in altari

(1) S. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 217.
(2) Collet *Traité des ss. myst.*, ch. IV, § II, n. XIV.

Digitized by Google

sine ara lapidea, quem tamen vere consecrare nemo negare poterit. Contra alii communiter negant illas esse consecratas, quia ordinaria sacerdotis intentio non censetur extendi ad hostias tali modo positas. Quidquid sit, hæ hostiæ tanquam dubie consecratæ habendæ sunt : unde reverenter sunt tractandæ, sed non adorandæ, neque eodem cultu ac vere consecratæ honorandæ; non sunt populo distribuendæ; sed sumendæ post sumptionem s. Sanguinis, uti in alio casu per rubricas tit. III, n. 5, et tit. X, n. 3, præscribitur; vel si magnus hostiarum cumulus fuerit, in alia missa sub conditione consecrari possunt (1). Idem juxta Quarti dicendum est, si ex pluribus hostiis repositis super corporale, aliqua commotione aeris asportetur extra corporale, ibique super mappam vel sub corporali maneat tempore consecrationis, sacerdote non advertente.

155. Quid faciendum, si una vel plures hostiæ non consecratæ misceantur consecratis?

R. Optimum est illas hostias sumere post sumptionem s. Sanguinis sive in una sive in sequentibus missis. Quidam etiam consulunt, ut, si una tantum non consecrata admixta sit, singulis communicantibus duæ species tribuantur; alii tamen censent hoc non expedire, tum ob admirationem communicantium, tum ne hostia non consecrata pro consecrata sumatur et adoretur. Alii dicunt illas posse consecrari sub intentione consecrandi tantum non consecratas; alii autem docent sub tali intentione non posse consecrari solas hostias non consecratas, quia, cum de nulla affirmari possit, hanc non esse consecratam, deficit vera determinatio materiæ, et pronomen *hoc* verificari nequit. Tandem alii potius censent, licite posse consecrari omnes sub conditione, si non sint consecratæ, id est omnes, quæ sunt in cumulo vel in pyxide, et singulas, si non sint consecratæ; quia, cum, posita confusione, de nulla affirmari possit hanc esse consecratam, singulæ possunt consecrari sub conditione, et consequenter

(1) Vid. Suarez quæst. 73, disp. 47, sect. 6; Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 139; s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 217; Quarti p. 3, tit. 7, dub. 8.

Digitized by Google

omnes simul, quia forma spectat ad omnes et singulas distributive (1).

156. Quid faciendum, si sacerdos putans se habere unam hostiam majorem, inveniat esse duas?

R. Si id advertat ante consecrationem, alteram extra corporale seponere debet, eamque si ejus oblatio facta fuerit, sumere post ablutionem; si autem advertat post consecrationem, cum alterutra dumtaxat signa facere, sed in sumptione utramque simul sumere tenetur.

De reliquis et hostia relicta post sumptionem agetur n. 161.

Titulus VIII.

DE DEFECTIBUS DISPOSITIONIS ANIMÆ.

Rub. 1. *Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret : conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.*

2. *Si quis habens copiam Confessoris, celebret in peccato mortali, graviter peccat.*

3. *Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus si conteratur : debet tamen, cum primum poterit, confiteri.*

4. *Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi.*

5. *Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum; similiter conteratur cum propo-*

(1) Vid. s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 216; Quarti p. 3, tit. 7, d. 6, *colligitur quarto :* Collet *Traité des ss. myst.*, ch. IV, § II, n. XIV.

Digitized by Google

sito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

Not. defectus dispositionis animæ consistere in his duobus, vel in peccato mortali vel in impedimento canonico, scilicet in excommunicatione, suspensione, interdicto, degradatione, irregularitate.

157. Quid faciendum, si celebrans recordetur se esse in peccato mortali, vel, quod idem est, si in ipsa celebratione mortaliter peccaverit?

R. 1. Si recordetur ante inchoatam missam, maxime si e sacristia nondum sit egressus, debet confiteri, quia ordinarie citra scandalum fieri potest. Si sacris vestibus sit indutus, valde decet, ut illas exuat, quia illæ statui pœnitentis non congruunt (1).

2. Si post consecrationem recordetur se esse in peccato mortali, nec confiteri, nec missam abrumpere aut interrumpere potest, sed conteri debet cum proposito quam primum confitendi et satisfaciendi; et sic non indigne sed fructuose, ut ait s. Thomas, sumet Sacramentum.

3. Si post inceptam missam ante consecrationem recordetur, et ex recessu ab altari timeatur infamia celebrantis vel scandalum assistentium, potest et tenetur perficere missam, elicito actu contritionis, juxta rubricas supra n. 4 et 5, et communem sententiam; nisi facile et sine scandalo confiteri possit, ut infra dicetur.

4. Si post inceptam missam ante consecrationem recordetur, et ex recessu non timeatur scandalum, quia v. g. celebrat in privato oratorio præsente solo puero vel fideli aliqua persona, disputatur : alii censent sacerdotem non teneri missam interrumpere, hec confessarium advocare aut ad eum accedere, sed elicito contritionis actu posse prosequi :

(1) Gavantus p. 3, tit. 8, rub. 5.

Digitized by Google

1° quia rubrica supra n. 4 generalis est, et prosecutionem in casu admittit; 2° quia prævalet obligatio prosequendi sacrificium; et 3° quia sine nota infamiæ vix fieri potest, cum minister interruptionem aliis facile narrare possit (1). Contra alii docent celebrantem teneri confiteri, et si non possit habere confessarium, missam inceptam deserere debere, quia restrictio rubricarum n. 5 æque afficit n. 4, ut patet ex antiquis missalibus, in quibus rubricæ sine numeris impressæ fuerunt; et quia obligatio prosequendi missam non est adeo urgens, ut obligationi præmittendi confessionem, quæ majoris est momenti prævaleat (2). Alii tandem dicunt esse consilium, et non præceptum confitendi vel missam deserendi, quia s. Thomas (3) indicat, ut putat Gavantus (4), non esse præceptum sed consilium deserere missam inceptam, dum dicit: *si ante consecrationem... sit memor, tutius reputarem, quod missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur*(5). In hoc tamen et præcedente casu, ut supra dictum est, si celebrans facile confiteri possit, v. g. quia celebrat coram solo ministro, qui est confessarius, quia diaconus assistens est confessarius, vel quia fit concio, ita ut ab altari discedat, confiteri tenetur, quia lex confitendi urget, et nulla causa sufficiens excusat. Confessione autem statim facta, missam prosequi debet (6).

158. Quid facere debet sacerdos, qui in celebratione recordatur se esse excommunicatum, suspensum, vel alias canonice impeditum, aut locum esse interdictum?

R. Ut in quæstione præcedente: 1° si recordetur post consecrationem, missam abrumpere aut interrumpere nequit, sed prosequi debet elicito contritionis actu ad obtinendum

(1) S. Bonaventura in 4, dist. 3; Quarti p. 2, tit. 3, sect. 2, d. 3; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 2, § I, n. X.

(2) S. Alph. de Ligorio et Busembaum apud eumdem lib. 6, n. 262, dub. 1 et 2.

(3) P. 3, q. 83, art. 6 ad 2.

(4) P. 3, tit. 8, in fine.

(5) Vid. Bened. XIV, de sac. missæ sect. 2, § 91.

(6) Quarti loco cit.

Digitized by Google

statum gratiæ, cum proposito confitendi et petendi absolutionem a peccatis et censuris : et *sic*, ut ait s. Thomas, *per invisibilem Pontificem J. C. absolutionem consequetur, quantum ad hunc effectum, quod peragat divina mysteria*, et in irregularitatem non incurret (1).

2. Post inceptam missam ante consecrationem, si timeatur scandalum, missam deserere non tenetur, sed illam prosequi potest et debet, modo conteratur ut supra, nisi facile possit confiteri et petere absolutionem, ut in fine quæstionis præc. dictum est.

3. Si non timeatur scandalum, alii sustinent celebrantem ante consecrationem teneri missam deserere juxta rub. n. 5 : sed alii contra censent, celebrantem in hoc casu posse missam inceptam deserere, et id esse tutius, non vero teneri saltem sub peccato mortali; sed elicito actu contritionis tuta conscientia eam prosequi posse, vel quia rubricæ de defectibus non sunt præceptivæ, sed doctrinales, ut vult Quarti (2), nec improbant opiniones oppositas, sed suæ naturæ relinquunt; vel quia verbum *debet*, quo utitur rubrica n. 5, non videtur importare præceptum grave; et insuper quia favet s. Thomas, qui loco supra citato tantum dicit, tutius esse missam inceptam deserere (3).

Not. rubricas n. 5 dicere, sacerdotem, qui recordatur locum esse interdictum, conteri debere : id autem intelligendum esse, si ipse causam dederit, aut eidem culpabiliter cooperatus fuerit.

(1) Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 2, § 1, n. X, et Janssens p. 3, tit. 8, n. 14.

(2) P. 2, tit. 3, sect. 2, dub. 3.

(3) Vid. Quarti p. 3, tit. 8, sect. 1, dub. 4, aliique in quæst. præc. citati.

Digitized by Google

Titulus IX.

DE DEFECTIBUS DISPOSITIONIS CORPORIS.

DE DEFECTU JEJUNII.

Rub. 1. *Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.*

2. *Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.*

3. *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.*

4. *Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem* (quoad hoc vid. tom. I, n. 284).

159. Annotatur : 1° Circa tempus mediæ noctis declaravit S. R. Congregatio, standum esse publicis horologiis (1).

2° *Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur,*

(1) 7 Aug. 1875, n. 3365, IX.

Digitized by Google

non impediunt Communionem. Hoc certum est apud omnes, si casualiter transglutiantur; dubitatur autem si voluntarie fiat (1). Unde dicitur cum s. Alph. de Ligorio : « Licet in hoc non sit scrupulose agendum, reliquiæ tamen a dentibus divulsæ, quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, equidem sunt expuendæ : non vero est obligatio adhibendi diligentiam ad reliquias illas ex dentibus extrahendas, etiamsi prævideantur deglutiendæ, si non extrahantur, et cum saliva deglutiantur; alias enim hæc obligatio esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxia, ad quod certe non præsumitur Ecclesia voluisse obligare ».

3° *Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem :* id non impedit communionem et celebrationem, sive certo constet, sive de eo dubitetur, modo factum fuerit involuntarie et præter intentionem. Unde sine scrupulo communio et celebratio permittendæ sunt dubitantibus, an mane os lavando, guttam aquæ præter intentionem deglutierint, cum rubrica permittat scientibus sese id præter intentionem fecisse.

Dicitur *stilla aquæ*, quod certo moraliter est intelligendum de una aut altera stilla, cum alias id scire sit impossibile : ex hac tamen rubricæ expressione intelligendum venit, non posse communicare nec celebrare illum, qui in notabili quantitate deglutiret licet præter intentionem.

160. Quid faciet sacerdos, si in celebratione recordetur, se non esse jejunum?

Respondetur eodem modo, ac si recordetur se esse in peccato mortali, aut canonice impeditum, uti num. præc. dictum est : scilicet ante consecrationem tutius est missam inceptam deserere, nisi grave timeatur scandalum; post consecrationem autem debet perficere sacrificium, et sumere sacramentum (2).

(1) Vid. s. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 279; Lucius Ferraris *missæ sacrificium* art. XI, n. 36; Quarti p. 3, tit. 9, s. 1, dub. 2, diffic. 1.

(2) S. Thomas, p. 3, q. 83, art. 6, ad 2. Vid. s. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 287; Bouvry de def. tit. 9.

Digitized by Google

161. Quid faciendum, si sacerdos post sumptionem corporis et sanguinis aut etiam post ablutionem deprehendat relictas esse reliquias consecratas, aut etiam integram hostiam?

R. 1. Si reliquiæ in eodem sacrificio consecratæ sint, certum est juxta rub. tit. VII, n. 2 eas esse sumendas, sive parvæ sint sive magnæ; quamvis etiam communionem distribuendo mora intercesserit, quia ad idem spectant sacrificium. Quinimo ex communi sententia juxta Quarti (1) sacerdos eas sumere potest, quamdiu est in altari, quia tamdiu continuatur una moralis actio. Postquam vero ab altari discessit, aliqui etiam permittunt reliquias relictas sumere, modo sint consecratæ in eodem sacrificio, celebrans sacris vestibus adhuc sit indutus, easque exuere non distulerit, quia earum sumptio est complementum ipsius sacrificii, quod moraliter adhuc perseverare censetur (2). Alii tamen censent, sacerdotem easdem in sacristia aut alibi sumere non posse, quia post discessum ab altari, censetur omnino absolutum sacrificium et ministerium, quod non nisi in altari perficitur (3). Omnes tamen concedunt eas reliquias a sacerdote sumi posse et debere, sive sit adhuc sacris vestibus indutus, sive eas exuerit, si decenter asservari nequeant: ut fieri potest, si non habeatur tabernaculum, nec sacerdos qui deinde celebrabit; item licet habeatur tabernaculum, prudentum tamen virorum judicio periculosum esset, eas ex sacristia ad tabernaculum deferre. Secus autem si habeatur tabernaculum vel sacerdos celebraturus, reverenter ad tabernaculum aut altare, ut in alia missa sumantur, deferendæ sunt, saltem si celebrans sacras vestes exuerit.

2. Si reliquiæ ex alio sacrificio relictæ sint, certum est, eas sumi posse post s. Sanguinem ante purificationem calicis, vel una cum purificatione calicis, uti dum pyxis purificatur, aut dum communicantibus datur vinum aut aquam bibere:

(1) P. 2, tit. X. sect. 2, dub. 4.
(2) Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 148.
(3) Quarti loco cit.; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 3, § 1, n. 17.

Digitized by Google

quamvis enim ablutio prius deglutiatur, non censetur tamen moraliter communionem præcessisse; præceptum enim jejunii est, ut ante Eucharistiæ sumptionem nihil sumatur; quando autem una cum ablutione sumitur Eucharistia, tunc totum illud ex ablutione et particulis sumitur unica sumptione : unde bene verificatur violationem jejunii communionem non præcessisse. Quapropter omnes saltem concedunt hanc fractionem non obstare jejunio ab Ecclesia præcepto (1).

Disputatur autem, an sumpta ablutione, reliquiæ ex alio sacrificio relictæ sumi possint : quidam affirmant, quia celebrans defectum alterius sæpe supplere debet, et vix umquam discernere potest, utrum a se aut ab alio sint relictæ; alii vero fere communiter et probabilius negant, quia rubricæ tantum permittunt sumptionem reliquiarum in eodem sacrificio consecratarum, quia ad idem sacrificium spectant (2). Quarti tamen dicit priorem opinionem satis probabilem sibi videri, et tutam in praxi, et quando fragmentum est parvum, illud regulariter loquendo sumendum esse etiam post ablutionem, quia minora fragmenta facile deperduntur non sine gravi irreverentia Sacramenti. Secus juxta posteriorem sententiam cum his reliquiis faciendum est, ac si integra hostia relicta esset, ut infra dicetur.

Not. Quando dubitatur an fragmentum sit reliquia hostiæ consecratæ necne, tunc si dubium sit rationabile et ex sufficiente motivo ortum, sumendum est sed post sumptionem s. Sanguinis, vel una cum ablutione, aut etiam postea, ut supra de reliquiis certo consecratis dictum est; si autem non sumatur, in altari custodiendum, vel ad tabernaculum, sine stola tamen et lumine, deferendum est, ut in alia missa post sumptionem s. Sanguinis sumatur. Si dubium non sit rationabile, sed scrupulus, deponi debet, et nihil de eo curandum est : quod notandum est, quia sæpe in patena et corporali fragmenta hostiæ videntur, quæ talia revera non sunt, sed

(1) S. Alph. de Ligorio, lib. 6, n. 288.

(2) Vid. Quarti p. 2, tit. 10, s. 2, dub. 2; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 3, § 1, n. 17.

Digitized by Google

potius furfures seu excrementa capitis, fila corporalis, etc., de quibus nihil est curandum (1).

3. Si sumpta ablutione, relicta sit hostia integra consecrata, sive parva sit sive magna (2); tunc sacerdos eam in tabernaculum, si in altari habeatur, cum aliis reponere debet. 2° Si tabernaculum in altari non habeatur, sequenti sacerdoti ibi celebraturo eamdem in altari super corporale decenter opertam relinquat sumendam vel una cum altera quam est consecraturus juxta rubricas tit. VII, n. 3, vel post sumptionem s. Sanguinis. 3° Si in altari non habeatur tabernaculum, neque adsit sacerdos, qui in hoc altari immediate est celebraturus, tunc illam hostiam duabus saltem candelis manentibus accensis, decenter conservare debet in ipso calice vel patena, quousque in tabernaculum reponatur vel ab altero sumatur. 4° Quod si non habeat, quomodo honeste conservetur, quia aliæ missæ eodem die ibi non celebrantur et ss. Sacramentum asservari non solet, ipse sacerdos eam sumere potest, non obstante defectu jejunii, adeoque etiam debet, quia minor est irreverentia eam sumere quam indecenter conservare.

DE DEFECTU CASTITATIS.

Rub. 5. *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione et Celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est an in præcedente cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest commu-*

(1) Quarti p. 2, tit. 10, s. 2, d. 5.
(2) Quarti p. 2, tit. 10, s. 2, d. 3; Bened. IX, de sac. m. sect. 2, § 147.

Digitized by Google

nicare et celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

---

162. Principium generale est, solum peccatum mortale nondum per Sacramentum pœnitentiæ remissum, ex necessitate impedire communionem et celebrationem. Rubricæ tamen specialiter agunt de pollutione nocturna (et idem est de diurna eodem die ante communionem habita) propter fœditatem corporalem et evagationem mentis, quæ ex ea sequuntur, et per absolutionem sacramentalem non tolluntur : adeo ut hoc pollutionis peccato per Sacramentum pœnitentiæ quoad reatum culpæ debite remisso, adhuc indecens sit et contra reverentiam ss. Sacramenti, ad s. communionem accedere. Rubricæ autem prohibent aut permittunt communionem et celebrationem post pollutionem, non tam secundum gradum fœditatis corporalis et evagationis mentis, quam secundum gradum culpabilitatis, quam quis habuit in pollutione, et consequenter in effectu fœditatis et evagationis inde secuto.

An post pollutionem ad communionem et celebrationem accedere licet?

R. 1. Si pollutio fuerit mortaliter mala sive in se, sive in causa, vel evenerit propter nimiam crapulam similiter mortaliter malam, tunc quamvis quis debite confessus fuerit, abstinendum tamen est a communione et celebratione, sed juxta communem sententiam sub veniali tantum, nisi ob sufficientem causam a confessario accedere permittatur.

2. Si dubium sit an fuerit mortaliter mala, tunc quamvis quis confessus fuerit, consulitur quidem abstinendum, nisi detur necessitas aut sufficiens ratio communicandi et celebrandi.

3. Si certum sit eam non fuisse mortaliter malam, vel nullum peccatum formale, tunc quisque absque alia causa licite communicare et celebrare potest, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinen-

Digitized by Google

dum videatur, modo sufficiens ratio communicandi et celebrandi hanc mentis perturbationem non excuset (1).

Titulus X.

DE DEFECTIBUS IN MINISTERIO IPSO OCCURENTIBUS.

Rub. 1. *Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit : ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto : si non adsint luminaria cerea : si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter : si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit : si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus : si vestes sacerdotales et mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ : si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier : si non adsit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea, vel vitrea : si Corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, et ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superius dictum est : si celebret capite cooperto sine dispensatione : si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.*

---

163. Not. rubricas, dum hic varios defectus enumerant, non dicere defectus tantum circa enumerata, et non circa alia occurrere : nam primo generaliter dicunt, quod possint defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 92; Quarti p. 3, tit. 9, sect. 2.

Digitized by Google

ad illud desit; et deinde varios defectus graviores enumerant, non excludendo alios, sed per modum exempli, prout patet ex particula *ut*, quæ præponitur.

De his defectibus actum est p. 1 et 2.

DE VIOLATIONE ECCLESIÆ, INCURSU HOSTIUM, RUINA LOCI, ET INGRESSU EXCOMMUNICATI.

Rub. 2. *Si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa : si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.*

---

164. Quid faciet celebrans, si violetur ecclesia?

R. Si violetur per homicidium, sanguinis effusionem etc., post inchoatum canonem missam non dimittere, sed ut alias usque ad finem complere debet; si autem ante inchoatum canonem violetur, missam deserere debet, nisi ecclesia statim reconciliari possit, quo casu, reconciliatione facta, missa perficienda est, licet nondum ad canonem perventum fuisset.

Not. Ecclesia consecrata a solo Episcopo diœcesano vel ex ejus commissione ab alio Episcopo reconciliari potest, et a simplici sacerdote tantum ex facultate Sedis Apostolicæ, qualis facultatis delegatio pluribus Episcopis specialiter conceditur. Si autem tantum sit benedicta, a simplici sacerdote reconciliari potest, sed juxta aliquos ex delegatione Episcopi tantum, prout in rituali Rom. exigitur (1); communiter tamen juxta Quarti loco citando asseritur, non requiri licentiam Episcopi ex præcepto, sed solum ex decentia, ita ut

(1) Vid. Cavalieri tom. 4, dec. 191, ad 2 et 3, et Catalanus in Rit. Rom. tit. 8, c. 30, § 1.

Digitized by Google

simplex sacerdos celebrans, nulla præobtenta delegatione, ecclesiam tantum benedictam statim reconciliare possit aqua a se benedicta, et juxta formam in rituali Rom. descriptam (1). Adeoque si tempus permittat, petenda est licentia Episcopi; at si tempus non suppetat, simplex sacerdos sine delegatione ecclesiam benedictam tuto reconciliare potest; hancque reconciliationem esse validam, declaravit S. R. C. (2).

165. Quid fieri licet ac debet, si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ut sub terræ motu, incendio etc., vel aliud gravissimum vitæ periculum?

R. Si hæc fiant ante consecrationem, quamvis canone incepto, missa dimitti debet, sed periculo statim transacto, perfici et compleri potest; post consecrationem autem sacerdos pro ratione periculi accelerare potest sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis; vel etiam, si alias fieri nequeat, sacras species secum conferre, et sumere in loco tutiori, non tantum ex jure naturæ de conservanda vita, sed etiam ad vitandum contemptum et irreverentiam in ss. Sacramentum, et propter periculum numquam perficiendi sacrificium. An autem, consecrata sola hostia, celebrans ob imminens periculum eamdem statim sumere possit, omissa calicis consecratione, disputatur : communis tamen et vera sententia juxta Quarti sustinet, sacerdotem s. Hostiam statim sumere posse, omissis calicis consecratione et reliquis omnibus, quia nulla ratio aut textus obligat celebrantem ad obeundam mortem, et sacerdos solum permittit sacrificium manere imperfectum. Disputatur pariter an celebrans, si Sacramentum nec sumere nec secum conferre queat, possit fugere, relicto Sacramento, præsertim in incursu hostium : alii negant, quia reverentia Sacramenti vitæ propriæ dispendio prævalere debet; alii autem affirmant, tum quia, si sacerdos occidatur, Sacramentum equidem erit expositum

(1) S. R. C. 12 Dec. 1761, n. 2463; Bened. XIV, de Syn. dicœc. lib. 13, c. 15, n. 2; Quarti p. 2, tit. 3, sect. 2, d. 5, et p. 3, tit. X, n. 2, d. 10; Lucius Ferraris *ecclesia* art. 4, n. 71 et 72; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 7, n. 17, et ch. 13, n. IV, 3.

(2) 15 Dec. 1646, n. 904.

Digitized by Google

periculo irreverentiæ, tum quia ipse non cooperatur irreverentiæ, sed illam solum ex justa causa permittit (1).

166. Quid faciendum, si excommunicatus vitandus missæ assistere velit?

R. Si missa nondum incepta sit, coram eo celebrari nequit, ne cum eo communicetur in sacris. Si missa sit incepta, admonendus est, et interim cessandum quousque egrediatur; et si nolit, expellendus est, si fieri possit, sine scandalo tamen et percussione; si expelli nequeat, et nondum perventum sit ad canonem, vel, ut quidam volunt, ad consecrationem, missa abrumpenda est et omittenda; si autem eo usque perventum sit, debet sacerdos, ministro remanente, eunte populo ex ecclesia, missam prosequi usque ad communionem inclusive, deinde recedere ab altari, et reliquas orationes persolvere in sacristia vel in alio loco decenti et separato, et si talis locus non sit, eas omnino prætermittere (2).

DE SACERDOTE QUI PRÆ INFIRMITATE MISSAM PERFICERE NEQUIT.

Rub. 3. *Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa : si post consecrationem Corporis tantum, ante Consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta Consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semi-*

(1) Vid. Quarti p. 2, tit. 3, sect. 2, dub. 6; Bened. XIV, de sac. m. s. 2, §§ 115 et 116; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 13, n. 4, ad 5.

(2) Ita Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 117; Quarti p. 2, tit. 3, s. 2, d. 4.

Digitized by Google

prolata forma Sanguininis, tunc alter prosequatur Missam, et super eumdem Calicem repetat integram formam ab eo loco : Simili modo postquam cœnatum est, *vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, et Hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.*

---

167. Quid faciendum, si celebrans infra missam moriatur, vel ita infirmetur ut missam perficere nequeat?

R. Si id fiat ante consecrationem hostiæ, prætermittitur missa, quia sacrificium nondum essentialiter est inceptum. Panis autem et vinum, si oblata fuerint, sumenda sunt juxta rubricas hujus tit. n. 9, post ablutionem in alia missa, vel saltem ab alio tanquam benedicta reverenter sunt sumenda, aut in sacrarium projicienda. Si sacerdos ante consecrationem deficiens, vires suas post breve tempus recuperet, potest et debet, modo adhuc sit jejunus, missam prosequi et perficere saltem si notabiliter incepta fuerit.

Si defectio contingat post consecrationem hostiæ tantum aut consecrationem utriusque speciei, nondum facta utriusque sumptione, tunc missa, si brevi per sacerdotem deficientem perfici nequeat, per alium sacerdotem explenda est ab eo loco ubi deficiens desiit; quia cum sacrificium essentialiter sit inceptum, per consecrationem et sumptionem utriusque speciei complendum est, et quidem sub gravi obligatione (1), modo moraliter possit (2), tuncque ex utraque persona juxta concilium Toletanum unus moraliter minister efficitur.

Hinc sequitur : 1° si sacerdos, semiprolata forma hostiæ, defecerit, missam non esse supplendam sed omittendam; si tamen dubitetur, an hostia consecrata sit nec ne, missa per alium perficienda est, ne sacrificium, si consecratio sit facta, maneat imperfectum; 2° si defecerit post totalem sumptionem utriusque speciei, etiamsi ablutio necdum facta sit, tunc

(1) Bened. XIV, de sac. m. sect. 2, § 108.
(2) Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, d. 1.

Digitized by Google

missam etiam non esse supplendam per alium, et reliquas preces et cæremonias simpliciter esse omittendas. Eo autem casu, si calicis ablutio nondum facta sit, in tabernaculum aut locum decentem super corporale ponendus est, donec in alia missa abluatur; pariter digiti sacerdotis deficientis in vase mundo abluendi sunt. Item si sacerdos prævidens deliquium, post consecrationem statim sumpsisset utramque speciem, omissis omnibus aliis, sicuti in incursu hostium faciendum esse præcipit rubrica n. 2, non opus esset missam ab alio expleri, quia nihil substantiale deest (1).

Dictum est supra, *si missa brevi per sacerdotem deficientem perfici nequeat :* nam 1° si sacerdos deficiens vires recuperet, ipse sacrificium perficere debet, quamvis etiam non amplius sit jejunus; quia obligatio missam perficiendi per seipsum, prævalet præcepto jejunii naturalis, sicut sacerdos, qui post consecrationem recordatur se non esse jejunum, nihilominus missam perficere debet; et 2° si sacerdos deficiens adeo infirmus fuerit, ut missam cum omnibus cæremoniis quidem perficere nequeat, sed tamen commode et absque periculo utramque speciem ipsemet sumere possit, tunc juxta plures id facere debet, ita ut missa per alium non sit explenda, sed omnes aliæ cæremoniæ simpliciter omittendæ (2). Hic etiam non obstat rubrica præscribens, quod, licet sacerdos infirmus communicare possit, alius equidem sacerdos missam perficiat, quia rubrica agit de casu, quo sacerdos infirmus aut seipsum communicare, aut utramque speciem sumere nequit.

168. An sacerdos deficiens tenetur participare de suo sacrificio, si alter illud perficiat?

R. Certo non tenetur, si commode non possit, neque tenetur ad sumptionem Sanguinis, cum rubricæ hoc non permittant. Dubitatur autem, an teneatur participare de s. Hostia. Rubricæ præscribunt « si Sacerdos fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos, qui missam supplet, dividat Hostiam, et unam par-

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, d. 6.
(2) Janssens p. 3, tit. 10, § 2, n. 17.

Digitized by Google

tem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. » Quod quidam intelligunt de casu, quo non adest alia hostia in eodem sacrificio consecrata, quia sacerdos communicat non tantum ut infirmus in articulo mortis, sed etiam ut minister consecrans; sed si communicaret ut minister consecrans, deberet etiam de s. Sanguine participare, quod tamen non præscribitur, nec permittitur : unde potius dicitur, quod numquam teneatur participare de suo sacrificio, nisi sit periculose infirmus ad mortem, et non adsit alia hostia sive in hoc sive in alio sacrificio consecrata; quæ si adsit, ipsi pro viatico dari potest (1).

169. Per quem missa est perficienda, si Sacerdos deficiens eam explere nequeat?

R. Primum tenetur sacerdos, qui adest; deinde qui abest, etiamsi ex alia parochia sit advocandus; item primum, qui nullo, deinde qui aliquo impedimento detinetur : sic præ omnibus tenetur, qui in statu gratiæ existit, naturaliter est jejunus, et necdum illo die celebravit, et si talis non habeatur, expleri debet etiam per eum, qui non est jejunus, et qui eodem die celebravit. Si non adsit nisi sacerdos in peccato mortali existens, tenetur confiteri, si possit; sin autem, contritionem elicere, et sic perficere sacrificium, quia magis urget præceptum perficiendi sacrificium, quam præmittendi confessionem. Si non adsit nisi sacerdos excommunicatus, suspensus, irregularis, aut aliter canonice impeditus, licet aliqui existiment, eum nec debere, nec posse sacrificium perficere, qui non est minister idoneus, et perinde est, ac si nullus adsit, nihilominus multo probabilius est, talem sacerdotem et posse et debere sacrificium perficere, prius tamen confitendo et petendo absolutionem a censuris, si possit, sin minus contritionem eliciendo, quia magis urget præceptum perficiendi sacrificium, quam servandi leges censurarum; sicut in rubricis tit. VIII, n. 5 statuitur, sacerdotem, qui post consecrationem recordatur se esse excommunicatum, etc., nihilominus missam perficere debere. Censet tamen Benedictus XIV, loco citando, sacer-

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, d. 6.

Digitized by Google

dotem, qui gravi peccato commaculatum habet animum, et cum sibi confessarii copia non sit, frustra studuit actum contritionis elicere, non teneri sacrificium perficere; quia nullatenus tenetur Sacramentum in peccato sumere, sicut nemo obligatur ad peccandum (1).

170. Quomodo missa per alium sacerdotem est supplenda?

R. 1° Convenit, ut sacerdos missam perficiens, suam intentionem, colorem, et missam conformet intentioni, colori et missæ prioris sacerdotis; cum enim unum sit sacrificium, saltem decet, ut in omnibus, quantum potest, conveniat (2). 2° Si cognoscatur, ubi sacerdos deficiens desierit, ab eo loco alter incipere debet. Sic si deficiens hostiam tantum consecraverit, perficiens solum vinum consecrat; si deficiens neutram speciem sumpserit, alter utramque sumit; si deficiens solam hostiam sumpserit, alter solum Sanguinem sumit. 3° Si dubitetur, ubi sacerdos deficiens desierit, tunc si, consecratione utriusque speciei certe peracta, dubitetur de aliis, perficiens incipere debet ab eo loco, prout ex positione libri aut s. Hostiæ apparet alterum desiisse, vel ubi juxta testimonia ministri et præsentium convenientius et tutius judicat ut missa integre etiam quoad partes accidentales expleatur. 4° Si sacerdos defecerit semiprolata forma calicis, ut si dixerit : *Hic est enim Calix Sanguinis,* non autem *mei :* tunc quia non est valida consecratio, prosequens missam sine ulla conditione super eumdem calicem repetere debet integram formam ab eo loco : *Simili modo postquam* etc. Si autem sacerdos deficiens dixerit : *Hic est enim Calix Sanguinis mei,* non autem reliqua *novi et æterni,* tunc quia saltem certa non est consecratio juxta dicta num. 149, resp. IV, missam perficiens super eumdem calicem saltem sub conditione mentali integram repetit formam a *Simili modo,* uti semper faciendum est, si alius calix cum debita materia haberi nequeat; vel si alius calix haberi valeat,

(1) Vid. Bened. XIV, de sac. m. s. 2, §§ 109 et 110; Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, d. 2.

(2) Gavantus p. 3, tit. 12, n. 30.

Digitized by Google

hunc, prius novo vino cum modica aqua infuso, ejusque oblatione facta, absolute consecrare potest, incipiendo a *Simili modo;* ac tunc in fine missæ prius sumere debet hostiam primi sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum, deinde autem calicem relictum semiconsecratum. 5° Si dubitetur de consecratione facta, tunc quamvis dubium etiam tantum versetur circa consecrationem hostiæ, missa tamen ob dubium supplenda est; et species, de qua dubitatur, sub conditione consecranda est, incipiendo a *Qui pridie*, si dubitetur de consecratione hostiæ vel utriusque speciei, aut a *Simili modo*, si de sola consecratione calicis dubitetur; vel ut supra dictum est, alia potest poni materia, absolute consecrari et in sumptione prius sumi. Si ulterius dubitetur de precibus præcedentibus, incipi potest, ut ex positione libri apparet, vel ab initio canonis *Te igitur*, vel ubi sacerdos perficiens tutius judicat (1).

171. Quo tempore missa per alium sacerdotem perfici potest et debet?

R. Quam citius fieri potest, missa perficienda est, ut partes unam moraliter actionem efficere possint. Quantum autem possit esse intervallum, auctores minime conveniunt: aliqui sustinent posse perfici usque ad sequentem diem, si non possit eadem die; quidam putant posse intra eamdem diem, etiam longe post meridiem; communis tamen sententia docet, non posse perfici post tantam dilationem, quia tunc censeri non potest unum numero sacrificium, eademque moralis actio, et quia in rubricis tit. IV, n. 8, statuitur *aliquamdiu* tantum esse expectandum : unde alii illud spatium tantum extendunt usque ad meridiem, seu ad tempus aptum celebrandi (2), alii ad duas horas, et tandem alii ad horam, et non esse ultra quærendum sacerdotem quam per unam circiter horam (3).

(1) Vid. Gavantus p. 3, tit. 10, rub. 3, y; Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, dub. 4; Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 113.

(2) Ita Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 110, hocque probabile censet Quarti.

(3) Ita cum aliis s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 333. Vid. Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, d. 3; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 13, n. 13.

Digitized by Google

172. Quid faciendum, si ullus sacerdos haberi nequeat ad missam perficiendam?

R. Sacra Hostia et Calix per clericum, vel etiam laicum, qui præ cæteris est magis dignus et dispositus, in tabernaculum ponenda sunt, ut sacerdos, qui ibi postea celebrabit, illa sumat post Sanguinem a se consecratum, et calicem abluat. Laicus tamen, et etiam clericus non sacerdos, quamvis paratus et bene dispositus, sumere non potest s. Hostiam et multo minus Sanguinem, nisi id sit necessarium ad consulendum reverentiæ ss. Sacramenti, uti si ibi non habeatur tabernaculum, et ss. Sacramentum in illo loco conservari neque soleat neque possit (1).

Notandum sacerdotem, qui missam supplet, non amplius eodem die celebrare posse, licet ablutionem non sumendo maneat naturaliter jejunus, quia hoc nullibi conceditur aut permittitur (2). Si die dominica contingat, dicendum est, obligationem audiendi missam cessare respectu illorum, qui ideo illam audire non possunt (3).

173. Deficiente celebrante feria VI in parasceve « si ministrans ut diaconus est sacerdos et jejunus, ipse assumpta casula, prosequatur officium, et missam præsanctificatorum absolvat, alterque non jejunus sacerdos ei succedat in munere diaconi : quatenus vero ille sit dumtaxat in diaconatus ordine constitutus, et nemo alius adsit sacerdos jejunus, cesset officium, et sacra Hostia reponatur in tabernaculo, die sequenti post sumptionem calicis a celebrante sumenda ». (4).

(1) Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 109; Quarti p. 3, tit. 10, n. 3, s. 1, dub. 3, col. 6.

(2) S. R. C. 12 Apr. 1823, n. 2630. Cfr. vol. IV coll. decr. p. 234-240.

(3) Vid. Janssens p. 3, tit 10, § 2, n. 24 et 25.

(4) S. R. C. 8 Mart. 1825, n. 2636, 2.

Digitized by Google

DE OBLIGATIONE SACRAMENTUM SUMENDI, MISSAM PERFICIENDI ET NON INTERRUMPENDI

Rub. 4. *Si quis extra hujusmodi casus necessitatis, integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.*

---

174. An et sub quanta obligatione celebrans integra Sacramenta sumere tenetur?

R. Affirmative et quidem sub gravi obligatione, ut præfata rubrica satis indicat. Id tamen tantum intelligendum est de s. Hostia majori et s. Sanguine, eorumque reliquiis, excepto casu sequenti : scilicet si occurrat casus communicandi infirmum alias sine viatico moriturum, tunc si alia consecrata hostia desit, sacerdos licite dividere potest s. Hostiam, et unam partem reservare infirmo, aliamque sumere juxta rubricas hujus tit. n. 3 (1). An autem id liceat ad communicandum alium, qui se infra missam præsentat, si non adsit alia hostia consecrata, vel quamvis se ab initio missæ præsentet, si nulla alia species ad consecrandum habeatur, plures negant, quia id non patitur moderna Ecclesiæ disciplina, quæ integram sacrificii hostiam sacerdoti reservat, et pro fidelibus distinctas particulas instituit (2); plures tamen etiam affirmant, saltem ex gravi causa (3), ut ad communicandum principem aliamque personam in auctoritate constitutam, famulum, qui alias longo tempore privaretur Sacramento, etc.; et etiam ex causa rationabili juxta Gavantum (4), quinimo juxta Quarti (5) ea sola ratione, necommunicaturus expectare teneatur : 1° quia nulla est lex prohibens, et rubrica supradicta vel hunc casum non comprehendit, vel saltem hanc causam rationabilem admittit; 2° quia nulla fit irreverentia contra sacramentum; 3° quia

(1) Ita communiter auctores. Vid. n. 139, in fine.
(2) Cavalieri tom. 4, dec. 55, n. 9.
(3) Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 14, n. 17.
(4) P. 3, tit. 10, rub. 3, litt. a.
(5) Cum aliis citatis p. 2, tit. 10, s. 3, d. 3, diff. 4.

Digitized by Google

Christus ex eodem pane seipsum et Apostolos communicavit; 4° quia talis erat antiqua Ecclesiæ consuetudo.

175. Quid faciendum si ss. Sacramentum publice sit exponendum, et celebrans hostiam in remonstrantia locandam consecrare omiserit?

R. Licet aliqui existiment sacerdotem hostiam ex præconsecratis in pyxide posse frangere et sumere, et suam majorem, quam nunc consecravit, reservare, quia vere dicitur participare de suo sacrificio, dum participat de eodem Christo, qui æque est in omnibus hostiis, nihilominus hostiam a se consecratam omnino sumere tenetur, nec aliter satisfacit suæ obligationi et sacrificii integritati, quia aliæ hostiæ proprie non pertinent ad idem sacrificium; licet enim sub illis sit idem Christus, non tamen ut victima hujus sacrificii: et sic in rubricis de defectibus (1) præscribitur, ut si hostia consecrata dispareat, vel venenata sit, alia sit consecranda ad sumendum; quod non opus esset, si ad perficiendum sacrificium, unam de præconsecratis sumere sufficeret. Unde 1° si aliæ minores hostiæ in eodem sacrificio sint consecratæ, sacerdos unam ex illis licite sumere potest, majorem scilicet post consecrationem elevando, minorem deinde frangendo et sumendo, quia in casu vere participat de suo sacrificio. 2° Si aliæ hostiæ in eodem sacrificio non sit consecratæ, ciborium exponere, vel expositionem prætermittere potest. Si autem ciborium non habeatur, et expositio prætermitti nequeat, ut pro publica processione, adoratione perpetua et precibus XL horarum, ad quas solemnitates populus confluit, potest 3° vel minorem hostiam præconsecratam exponere, admonito populo; vel sumere partem hostiæ majoris, et reliquam ponere in ostensorium, meliori quo potest modo, ut a populo non videatur. Numquam autem exponere potest hostiam majorem non consecratam, huic apponendo minorem consecratam, tum ob periculum idololatriæ saltem materialis, tum ob scandalum si cognoscatur (2).

(1) Tit. III, n. 7, et hoc tit. X, n. 7.

(2) Vid. Bened. XIV. de sac. m. s. 2, § 151; Quarti p. 2, tit. 10, s. 1, d. 3; Cavalieri tom. 4, dec. 153, ad 10 et 11.

Digitized by Google

176. An licet abrumpere missæ sacrificium sine intentione illud supplendi?

R. Negative, et quidem sub gravi peccato, si fiat absque justa et sufficiente causa, non tantum propter scandalum et infamiam, quæ nata sunt sequi, sed etiam si plures ritus et cæremoniæ separatim sumptæ sub gravi obligent, certo grave erit peccatum, missam abrumpere, et plures ritus et cæremonias simul omittere; ob plures tamen causas missam ante consecrationem abrumpere licet, ut si quis recordetur se esse in peccato mortali, non esse jejunum, censura innodatum, vel alias canonice impeditum; ob violationem ecclesiæ, ingressum excommunicati vitandi, incursum hostium et alluvionis, ruinam loci; ad supplendum loco sacerdotis, qui missam solemnem in die festo cantare debet, et subito et inopinate impeditur, modo adstantes moneantur; item si quis aliquatenus infirmus, ante consecrationem judicet, se missam perficere non posse. Post consecrationem autem missam abrumpere numquam licet, nisi in casu impotentiæ (1).

177. An licet missam interrumpere cum intentione illam postea supplendi?

R. Negative, quia missa est una actio totalis, variis quidem constans partibus, sed quæ cum se invicem sunt connexæ, et ad unum referuntur, scilicet ad consecrationem et sumptionem; ita ut missa, si desit causa, absque peccato interrumpi nequeat: peccatum autem tanto gravius est, quanto interruptio est diuturnior et actio inutilior. Si interruptio sit modica, peccatum est veniale; si notabilis, mortale. Interruptio ad horam, et forte ad semihoram, etiam ante consecrationem videtur notabilis et mortalis juxta Billuart (2); quinimo juxta Quarti (3) censetur notabilis, si celebrans absque gravi causa discedat ab altari, ad aliud impertinens negotium peragendum, præsertim si sacras vestes deponat; item juxta eumdem, si celebrans manens ad altare, quidquam

(1) Quarti p. 2, tit. 3, s. 2, d. 1 et 2.
(2) De Euch. dissert. 8, art. 12, p. 3.
(3) P. 2, tit. 3, s. 3, d. 1.

Digitized by Google

agat alienum a missa per quadrantem, notabilis videtur interruptio; et contra levis per spatium brevius quadrante.

Plures tamen dantur causæ legitimæ ad missam interrumpendam, uti exoneratio necessaria, professio religiosa, collatio ordinum; item post evangelium concio, promulgatio edictorum; ad offertorium, non autem infra canonem, oblatio suscipienda. Necessitas autem baptizandi aut absolvendi moribundum, item administrandi extremam unctionem vel etiam viaticum iis, quibus ob phrenesim aliamve causam absolutio non nisi dubia dari potuit, talis censetur, ut, si præsto non sit alius sacerdos, celebrans sacrum interrumpere possit et teneatur etiam post consecrationem, ut proximo in eo periculo succurrat, quia extrema proximi necessitas prævalet continuationi sacrificii. Si autem moribundo sit ministrandum sacramentum non ob extremam necessitatem, seu ad conferendam gratiam primam, sed viaticum et extrema unctio ei, qui paulo ante debite confessus fuit; celebrans missam quidam interrumpere potest ante oblationem, vel etiam ante inceptum canonem, quia necessitas infirmi satis gravis et justa causa censetur; non tamen tenetur, cum non urgens infirmi sit necessitas; post consecrationem vero aut etiam post inceptum canonem, missam interrumpere, sacrasque vestes exuere ei non licet, ut extra ecclesiam pergat, quia cum necessitas infirmi non sit adeo urgens prævalet obligatio continuandi missam; nisi in ipsa ecclesia aliquis repentino morbo oppressus, his Sacramentis indigeat: quo casu celebrans, retentis sacris vestibus, tantillum divertere potest, etiam post consecrationem, et administratis sacramentis quoad essentialia, statim reverti, quia ingens moribundi utilitas præbet sufficientem causam tam brevi interruptioni (1). Missa tamen interrumpi non potest causa faciendi preces ratione publicæ necessitatis (2), neque interrumpi debet ante communionem, ut sacerdos ad altare audiat confessionem etiam brevem alicujus communicantis (3).

(1) Vid. Quarti p. 2, tit. 3, s. 3; Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 118; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 13, n. 6.
(2) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1588, 9.
(3) Gavantus p. 3, tit. 10, n. 18.

Digitized by Google

In casu interruptionis missæ notandum et servandum est : 1° si fiat post consecrationem, sacerdos diligentissime curare debet, ut ss. Sacramentum reverenter custodiatur, nisi forte consultum existimaverit, illud in tabernaculo occludere (1). 2° Sacerdos, dum rediit, missam resumit a loco ubi desiit, nisi longior fuerit interruptio, quam ut censeri possit una missa unaque moralis actio. Unde (2) sacerdos, qui missam ante consecrationem interrumpit, et redit intra unam horam, missam resumit, ubi desiit, quia eadem actio moraliter continuari censetur; si autem longior mora intercedat, vel relinquit missam, vel si tempus debitum celebrandi ante meridiem non effluxerit, incipit ab initio, ut perfectior sit unitas missæ. Si interruperit post consecrationem, et reversus sit intra duas horas, vel saltem, intra tempus debitum celebrandi ante meridiem, resumere debet a loco ubi desiit, quia quamvis longius spatium intercedat, necessitas tamen supplendi defectum substantialem, continuationem missæ exigit ; elapso autem hoc tempore missa ratione impotentiæ omittenda est, et servandum est Sacramentum, ut sequente die post sumptionem s. Sanguinis sumatur (3); vel si sacerdos in casu post consecrationem tam longam moram prævideat, sumptionem sacramenti accelerare potest omissis omnibus aliis : si enim id possit ad servandum vitam suam corporalem juxta rubricas hujus tit. 2, multo magis ad servandam proximi vitam æternam.

DE CASU QUO ALIQUID, SIVE VENENOSUM SIVE NON, IN CALICEM CECIDIT, ET ALIQUID VENENOSUM HOSTIAM TETIGIT.

Rub. 5. *Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante Consecrationem, projiciat vinum in locum*

(1) Bened. XIV, loco cit.

(2) Quarti loco cit. dub. 2 et 3; Collet loco cit. n. 7; Busemb. apud s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 354.

(3) Ita auctores citati.

Digitized by Google

decentem, et aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat ut supra, et prosequatur Missam : si post Consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino, finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

6. *Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum : et finita Missa, Sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur.*

7. *Si aliquod venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo, quo dictum est, et illa servetur in Tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptæ deinde mittantur in sacrarium.*

---

178. Quid faciendum, si aliquid in calicem ceciderit?

R. 1. Si musca, aranea vel quid aliud, sive sit venenosum sive non, sive vomitum procrearet sive non, ante consecrationem in calicem ceciderit, debet celebrans, antequam pergat, ut omnis irreverentiæ species et incommodum sumptionis evitetur, statim effundere vinum in aliud vas, ut in sacrarium vel alium locum decentem projiciatur; et deinde abluto calice, si ob decentiam fieri conveniat, aliud vinum in eumdem ponere, miscere parum aquæ, offerre saltem mentaliter, et prosequi missam a loco ubi desiit. Ita rubricæ supra n. 5, quæ tamen, si musca vel quid simile, quod neque venenosum est, neque nauseam aut periculum vomitus creat, inciderit, dicendæ non sunt sub gravi obligare, defectu gravis materiæ; ita ut sacerdos, erepta musca, licet minus convenienter, sine gravi tamen irreverentia illud vinum consecrare possit.

Digitized by Google

Not. hostiis quandoque tritici siliquam et vino sæpe fragmenta cooperculi lagenæ, vel quid simile admixta esse; utrum autem prædicta his casibus applicanda sint, rubrica non explicat : videtur tamen dicendum esse, si tritici siliqua advertatur ante missam, talem hostiam non esse admittendam; si autem advertatur ad offertorium, aut ante consecrationem, non convenire, ut cum digito aut alio instrumento eripiatur, ne major macula vel etiam scissura fiat, sed faciendum esse, quod dicetur num. 181 de hostia fracta; et quoad fragmenta cooperculi lagenæ, si advertantur ad oblationem, vinum non esse admittendum, saltem si ob plura fragmenta impurum censeatur, et licet advertantur tantum ante consecrationem, vel vinum esse effundendum, si citra scandalum aut longam moram fieri possit, vel saltem fragmenta digito aut parvo cochleari esse extrahenda. Post consecrationem autem extrahi nequeunt, sed sumenda sunt una cum s. Sanguine. Notandum etiam, fieri posse, ut extersione digitorum supra calicem, fragmenta s. Hostiæ in calicem decidant, quæ nullatenus extrahi possunt.

2. Si musca vel aliquid non venenosum in calicem ceciderit post consecrationem, vel si ante consecrationem inciderit, sed tantum post consecrationem advertatur, tunc si non fuerit sacerdoti nausea, nec ullum periculum infirmitatis aut vomitus timeat, sumat una cum s. Sanguine; si autem nausea fuerit, aut periculum timeat, tunc muscam vel illud quod incidit, extrahat, et ponens in aliud vas seu calicem, lavet cum vino, ac finita missa, comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciantur. Quod si extracta musca vel alio, quod in calicem incidit, adhuc nausea sacerdoti fiat cum periculo vomitus, aliud vinum consecrare debet ut statim dicetur de casu calicis venenosi : quod enim rubrica n. 6 præscribit, huic etiam casui in simili circumstantia applicari potest et debet. Tunc autem s. Sanguis conservandus est, donec ab alio sacerdote, cui nausea non est, in missa sumatur post Sanguinem a se consecratum, vel idem faciendum est, ac in casu calicis venenosi, ut mox dicetur (1).

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 5, dub. 1.

Digitized by Google

Not. cavendum esse ne musca, postquam s. Sanguini intincta fuerit, avolet; si avolet, illam capiendam esse, si facile et absque scandalo et indecentia fieri possit; si capi nequeat, casum divinæ providentiæ reliquendum esse (1).

3. Si post consecrationem aliquid venenosum, vel quod vomitum provocaret, in calicem ceciderit, aut post consecrationem tale quid fuisse immissum deprehendatur, celebrans illum sumere non potest, ne calix vitæ vertatur in mortem (2), et ne in casu vomitus ss. Sacramentum maximæ irreverentiæ exponatur; sed species consecrata in alium calicem reponenda est, calix diligenter abluendus, tuncque aliud vinum cum modica aqua apponendum, offerendum et denuo consecrandum est, quia sumptio utriusque speciei spectant ad integritatem sacrificii. Alius calix pro nova consecratione adhiberi nequit, nisi usus ejusdem calicis sacerdoti nausea fiat, et periculum vomitus procreet. Solum autem vinum consecrandum est, quamvis advertatur post sumptionem s. Hostiæ, quia prior calicis consecratio valida fuit, et solum vinum consecratur ad sumptionem (3).

Finita missa s. Sanguis, repositus in panno lineo vel stuppa linea (pro quo convenienter sumuntur corporalia aut purificatoria, licet detrita, sed munda), tamdiu in tabernaculo servatur, donec species vini totaliter desiccatæ fuerint, adeoque realis præsentia desierit; et tunc stuppa comburitur, et combustio in sacrarium projicitur.

Not. cum Gavanto (4) ea, quæ sunt a fulmine tacta, venenata censeri; et cum Janssens (5) plures negare araneam esse mortifere venenosam, ita ut, si sacerdos inde horrorem aut nauseam non sentiat, araneam cum s. Sanguine tuto sumere possit absque ulla suæ sanitatis jactura (6).

(1) Quarti loco cit. dub. 2.
(2) S. Thomas 3, p. q. 83, art. 6 ad 3.
(3) Quarti p. 3, tit. 10, n. 6, d. 2; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 14, n. 6.
(4) P. 3, tit. 10, rub. 7.
(5) P. 3, tit. 10, § 3, n. 5.
(6) Contra in gallica hujus operis editione hoc loco affirmatur, probatum esse plures araneas in æstate et in regionibus calidis esse venenosas earumque sumptionem graves causare morbos.

Digitized by Google

179. Quid faciendum si aliquid venenatum contigerit et infecerit s. Hostiam?

R. Sacerdos eam sumere non potest, uti de calice venenoso dictum est, sed alteram debet accipere, prius offerre, deinde consecrare, ac sumere, ut supra in rubricis n. 7 dicitur.

180. Quid faciendum, si quis sumptione peracta, deprehendat sacras species veneno fuisse infectas?

R. Aliquod remedium licite adhiberi potest, etiam ut species evomantur, licet putentur adhuc integræ. Vomitus autem mittendus est in aliquod vas mundum, et servandus, donec species corrumpantur, et tunc in sacrarium projiciantur (1). Scribit quidem s. Gregorius Turon. (2) in nostris mysteriis ne venenum quidem nocere : hoc tamen intelligendum est juxta Benedictum XIV (3) s. Gregorium ad eos respicere, qui, in hostia seu in calice hausto veneno, ne antidotum quidem voluerunt suscipere, Dei misericordia freti, qui eos a veneno servavit incolumes. Sed hæc, ut pergit, exempla sunt, quæ demirari possumus magis, quam imitari : neque enim tendandus est Deus, multique sanctitate præclari viri, cum se vel in hostia vel in calice venenum suscepisse deprehendissent, ea quæ opus sunt adhibuere remedia.

DE HOSTIA FRACTA ET LAPSA IN CALICEM.

Rub. 8. *Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat.*

9. *Si Hostia ante Consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis Hostia consecretur : si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur : quod si illius Hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablu-*

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 6, d. 3; Gavantus p. 3, tit. 10, rub. 14; Janssens p. 3, tit. 10, § 3, n. 42.

(2) Hist. lib. 3, c. 31.

(3) De sac. m. s. 2, § 131.

Digitized by Google

tionem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum aut longam moram fieri poterit.

10. *Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias et signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter Corpus, et Sanguinem, signans se cum Calice dicens:* Corpus et Sanguis Domini nostri, *etc.*

Quid faciendum sit, si sumendo s. Sanguinem particula s. Hostiæ remanserit in calice, dictum est tom. I, n. 268.

181. Quid faciendum si hostia sit fracta?

R. 1. Si ante missam inveniatur fracta aut scissa, quamvis non notabiliter, eam accipere non licet.

2. Si infra missam, sed ante hostiæ oblationem, fracta aut scissa, quamvis non notabiliter, inveniatur, altera integra est accipienda, si citra scandalum aut longam moram fieri possit.

3. Si autem sit post oblationem, sed ante consecrationem, talis hostia est consecranda, si fractura populo evidenter non appareat, et coram eo celari possit; si autem populo evidenter appareat, et ei scandalum esse possit, altera statim accipienda est, et offerenda saltem mentaliter, ut n. 138 dictum est. Altera statim est accipienda propter signa et preces, quæ spectant ad materiam consecrandam. Oblatione facta, sacerdos missam prosequitur ab eo loco ubi desiit, nisi modo recitasset *Qui pridie*, quæ verba semper resumenda sunt. Quod si illius hostiæ fractæ facta sit oblatio, vel a celebrante post ablutionem, vel ab alio tanquam panis benedictus reverenter est sumenda, vel saltem in sacrarium projicienda (1).

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 9, d. 2.

Digitized by Google

Not. has rubricas de removendo hostiam fractam aut non integram ante consecrationem, non excedere culpam venialem, defectu gravis materiæ, nisi fractura enormis sit, unde resultaret vel gravis irreverentia in Sacramentum, vel grave scandalum populi, vel hostia redderetur inhabilis ad executionem gravium rituum, v. g. fractionis hostiæ ante commixtionem cum s. Sanguine (1).

4. Si hostia consecrata frangatur, aut in duas partes dividatur, quod omnino cavendum est, propterea tamen nihil est reiterandum, sed cæremoniæ et signa facienda sunt cum alterutra parte, vel cum utraque parte ita conjuncta, ut hostia appareat integra.

Not. idem faciendum esse, si hostia maculata, non rotunda aut similiter defectiva inveniatur.

182. Quid faciendum, si hostia consecrata dilabatur in calicem?

R. Propterea nihil est reiterandum quoad consecrationem; sed sacerdos missam prosequitur, faciendo cæremonias et signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta, si commode potest. Si vero tota est madefacta, non est extrahenda, sed omnia, ut *Per ipsum, Pax Domini, Domine non sum dignus,* dicenda sunt omittendo signa, et sacerdos pariter Corpus et Sanguinem sumere debet, se signans cum calice, et dicens *Corpus et Sanguis Domini nostri J. C. custodiant* etc. omittendo meditationem alias post sumptionem s. Hostiæ præceptam.

Si particula sacra e manibus decidat ante immissionem in calicem, alia frangenda est, ut more solito in calicem mittatur.

DE VINO ET SPECIEBUS S. SANGUINIS CONGELATIS.

Rub. 11. *Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis : si id non proficeret, ponatur*

(1) Quarti loco cit. dub. 1.

Digitized by Google

in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.

---

183. An licet consecrare vinum congelatum?

R. Licet sententia communis et probabilior affirmet vinum congelatum valide consecrari, cum tamen de eo disputetur, nemini licet consecrare vinum congelatum saltem propter reverentiam erga ss. Sacramentum. Sed si vinum fuerit congelatum, et postea liquefiat, valde probabile videtur in eo licite posse fieri consecrationem (1). Unde si vinum, consecrata jam hostia, reperiatur congelatum sive totaliter sive superficialiter, prius liquefieri debet, ut licite consecretur, vel potius apponendum est vinum novum numquam congelatum, aqua mixtum, illudque facta prius oblatione saltem mentali consecrandum; quo casu vinum congelatum, cum oblatum fuerit, sumendum est post ablutiones, vel saltem in sacrarium projiciendum (2). Si vinum congelatum non liquefiat, et aliud obtineri nequeat; si sit ante consecrationem hostiæ, ab altari est recedendum juxta dicta n. 132; si autem sit post consecrationem hostiæ, tunc celebrans vel debet pergere omissa calicis consecratione, ut dictum est num. 144, vel debet consecrare vinum congelatum, quod posterius præferendum esse puto; magis enim urgere videtur præceptum utramque materiam consecrandi, quam non consecrandi vinum congelatum; quia sententia quod non sit consecrabile, juxta s. Alph. de Ligorio nulla solida pollet probabilitate. Sic juxta eumdem in casu quo sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est tanquam vere consecratum, nec ille licite potest alterum vinum consecrare, licet illud habere posset.

184. Quid faciendum, si species vini post consecrationem congeletur?

(1) Ita s. Alph. de Ligorio lib. 6, n. 207, q. 2; Quarti p. 3, tit. 4, dub. 8 et tit. 10, n. XI, d. 1.

(2) Quarti ibidem et Merati p. 3, tit. 4, n. 3.

Digitized by Google

R. Calix involvatur pannis mundis calefactis, et si id non proficiat, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo aqua in calicem non intret; ignis etiam apponi potest, donec liquefiat : si prædicta non sint ad manum, potest liquefieri calore manuum aut halitus, vel etiam si sit necesse, cum digitis in particulas redigi et sumi (1); hoc autem fieri non licet, nisi vix possibile sit liquefieri, quia s. Sanguis sumendus est per modum potus.

DE SACRO SANGUINE EFFUSO.

Rub. 12. *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem Altaris ceciderit sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium : linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, Calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.*

13. *At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco :* Simili modo postquam cœnatum est, *etc. facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra.*

---

185. Quid faciendum, si aliquid de s. Sanguine ceciderit? R. 1. Si super terram seu super tabulam non consecratam

(1) Gavantus in hanc rub. cum Suarez.

Digitized by Google

ceciderit, lingua lambi debet, saltem si sit stilla, quæ sorberi potest, idque quam primum fieri potest, et saltem ante sumptionem ablutionis, ab ipso celebrante; vel si ipse propter nauseam aut horrorem id facere nequeat, ab alio sacerdote jejuno, et hoc deficiente, a non jejuno, etiam laico, si aliter fieri non possit. Si celebrans stillam ante ablutionem lambere omiserit vel non adverterit, potest et debet illam lambere, etiam post ablutiones, tanquam sacrificii reliquiam, quæ conservari nequit. Deinde ipse locus, ubi s. Sanguis cecidit, cultello vel alio instrumento mundo a sacerdote radendus est, quantum satis est ut nihil s. Sanguinis remaneat; abrasio, exsiccatis speciebus, est comburenda, et cinis in sacrarium projiciendus. Cultellus, lapis aut instrumentum, quo abrasio facta est, est abluendum, et ablutio similiter in sacrarium projicienda.

2. Si super consecratum lapidem altaris ceciderit, ipse pariter celebrans stillam sorbere, et deinde ipsemet vel alius sacerdos, quia fere semper s. Sanguis est attingendus, locum bene abluere debet; quæ ablutio in sacrarium projicienda est. Lapis altaris tantum ablui, et non radi debet, quia est locus sacer, et non expositus periculo conculcationis aut similis injuriæ.

Similiter si super patenam vel pedem calicis ceciderit, ipse celebrans stillam statim sorbere debet, locum abluere, eamque ablutionem sumere, vel saltem in sacrarium projicere.

3. Si in corporale, aut super mappas altaris, aut super vestes sacerdotales, aut super pannum pedibus stratum seu tapetum ceciderit, sacer Sanguis prius lambi debet, saltem si sine nimia nausea fieri possit, et deinde corporale, singulæ mappæ ad quas stilla aliqua pervenerit, quælibet vestis aut tapete seu locus, ubi cecidit, ter ablui, calice supposito. Aqua ablutionis in sacrarium projicienda est, vel sacerdos illam sumere potest. Hodiedum autem nulla est obligatio abscindendi et comburendi partem tapeti vel lintei, super quam s. Sanguis cecidit, sed trina sufficit ablutio (1).

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 12, explicat. litt. et d. 3.

Digitized by Google

Not. si defectus hic et ille de quo num. seq. agetur, populo innotuerit, ablutionem et alias diligentias publice fieri posse, si autem non innotuerit, defectum populo esse occultandum, in quantum fieri potest.

An peccat, qui ablutionem, aliasque prædictas diligentias omittit?

R. Qui nullam diligentiam adhibet, vel illam omittit in notabili parte, grave peccatum committit, ut si terra aut tabula non radatur, et linteum nullo modo lavetur; quia inde sequitur notabilis contra ss. Sacramentum irreverentia, et talis omissio est transgressio rigorosi præcepti juris communis in materia gravi (1). Qui autem diligentiam in modica parte omittit, veniale tantum peccatum committit, ut si sacerdos duplici tantum lotione linteum sufficienter lavet, omissa tertia lotione (2).

186. Quid faciendum, si aliquid de ablutionibus in missa, aut de ablutionibus digitorum post distributionem s. Communionis ceciderit?

R. Licet Rubricæ quoad hoc nihil præscribant, et in his casibus tanta diligentia adhibenda non sit, quam si aliquid de s. Sanguine ceciderit, aliqua tamen si non ex præcepto positivo, saltem ex naturali decentia adhibenda est, et major quidem, si aliquid de prima ablutione ceciderit, propter guttas s. Sanguinis in calice relictas : locus igitur, super quem aliquid cecidit, si non ter, saltem semel aut iterum est abluendus; et si super tabulam, etiam aliqualiter radendus. Abrasio et ablutio in sacrarium projicienda sunt (3).

Not. sæpius accidere, ut minister sub infusione vini aut aquæ ad ablutiones, aliquid effundat super pedem calicis, hocque ex pede calicis cadere super patenam aut corporale : quod notare expedit, ne quis in casu turbetur.

Notandæ sunt pœnæ statutæ per canones pœnitentiales in sacerdotem, cujus negligentia de Sanguine Domini aliquid

(1) Dec. Pii 1, cap. *Si per negligentiam* de consecr. dist. 2. Can. XXVII.
(2) Ita Quarti loco cit. d. 1.
(3) Quarti loco cit. d. 6.

Digitized by Google

stillaverit : scilicet pœnitentiæ 40 dierum, si in terram deciderit, trium dierum si super altare, quatuor si super linteum superius, novem si in inferius defluxerit, viginti si usque ad quartum pervenerit (1). Hæ pœnæ quidem sunt extra usum, sed ideo non minus innuunt, quanta diligentia s. Sanguis sit tractandus, et locus sit curandus, si aliquid ceciderit.

Quid sit faciendum quoad consecrationem, si sacer Sanguis effundatur, dictum est n. 140.

DE S. HOSTIA EVOMITA AUT LAPSA IN TERRAM.

Rub. 14. *Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat : tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.*

15. *Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus, ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.*

16. *Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere si Sacerdos ignoret ritus et cæremonias ipsas in eo servandas, de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiose dictum est.*

---

187. Quid faciendum, si sacra Eucharistia evomatur?

R. Si species integræ appareant, reverenter iterum suman-

(1) Vid. brev. 11 Jul.

Digitized by Google

tur ab illo, qui evomuit; si ille non possit sine novo periculo vomitus, ab alio, qui est jejunus et dispositus; si autem nausea fiat, species consecratæ caute separentur, et in tabernaculum in vase separato reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur : quod si species non appareant, et prudenter judicetur, eas esse corruptas, vomitus comburatur cum stuppa aut alia materia, et cineres in sacrarium mittantur; si præsumendum non sit, species esse corruptas, expectandum est ad comburendum, donec præsumi possit, eas esse corruptas (1).

Not. 1. Neminem posse communicare cum periculo vomitus, si prævideat, vel saltem de eo fundate dubitet (2). Adeoque in casu est expectandum, donec cesset periculum; et si fundatum periculum perseveret, missa ab alio est perficienda.

2. In casu vomitus sacerdotem, cessante periculo, nec debere nec posse iterum consecrare, quia sacrificium per sumptionem perficitur, et dici non potest retentionem et digestionem specierum ad sacrificii perfectionem requiri (3).

3. Non licere vomitum provocare, quamdiu species putantur integræ, nisi in casu quo noscantur veneno infectæ; si autem moraliter certum sit eas esse corruptas, id esse licitum ex rationabili causa (4).

4. Juxta Cardinalem de Lugo (5) speciem minoris hostiæ in ordinario stomacho corrumpi in minuta, species autem vini et majoris hostiæ in quadrante; juxta Collet tamen (6) laico per quadrantem, et celebranti per semihoram a vomitu regulariter esse abstinendum.

188. Quid facto opus est, si hostia consecrata vel aliquod ejus fragmentum dilabatur?

R. Si dilabatur in terram, reverenter accipiatur, locus, ubi cecidit, mundetur, aliquantulum abradatur, et pulvis

(1) Quarti p. 3, tit. 10, n. 14, d. 1.
(2) Quarti loco cit. d. 2.
(3) Quarti ibidem d. 3.
(4) Quarti ibidem d. 4.
(5) Disp. 10, de Euch. n. 54.
(6) *Traité des ss. myst.*, ch. 14, n. 14.

Digitized by Google

seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu in aliquod linteum aut vestem, mappa, linteum vel vestis in loco, ubi cecidit, diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur. Si infra distributionem s. Communionis ceciderit super linteum vel super terram, reverenter accipiatur, locus super quem cecidit, notetur, atque huic aliud linteum imponatur, donec opportuno postmodum tempore lavetur, aut abradatur, ut supra. Si s. Hostia vel ejus fragmentum in feminæ pectus dilabatur, ipsa, et non sacerdos, debet accipere hostiam vel fragmentum, se suis manibus communicare, vel eam in pyxidem immittere, demum lavare digitos, atque lotionem porrigere sacristæ, projiciendam in sacrarium. Quod si major diligentia requiratur, quam ut in ecclesia fieri deceat, statim mulier se recipiat in sacristiam, vel in propriam domum, vel in domum aliquam viciñam, et inventum fragmentum, si sit jejuna, recipiat, sin autem reverenter servet, ut a sacerdote secreto ad tabernaculum deferatur. Si solus sacerdos parvi fragmenti casum adverterit, et probabiliter judicet fore notabilem mulieris perturbationem, vel adstantium offensionem, si mulier moneatur, nihil tunc dicat, sed pergat in ministrando; deinde communicatis omnibus, curet mulierem secreto vocari, blandeque moneat, ne turbetur, sed ut adhibeat diligentiam inveniendi; imo si hæc monitio vel propter tenuitatem fragmenti prævideatur inutilis futura, vel ob aliquas personæ vel loci circumstantias periculosa, satius est ut, servato silentio, res tota divinæ providentiæ committatur (1). Quod si sacra Hostia intra claustra monasterii monialium ceciderit, tunc monialis communicanda illam lingua sumat; si hoc fieri nequeat, dignior ex monialibus mediante patena vel charta munda, vel etiam manu eamdem reverenter accipiat, et sacerdoti per fenestellam porrigat (2); vel sacerdos claustrum ingrediatur, et sacram Hostiam acci-

(1) Ita Quarti p. 3, tit. 10, n. 15, d. 1; Collet *Traité des ss. myst.*, ch. 14, n. 15; Bened. XIV, de sac. m. s. 2, § 176.

(2) Castaldus lib. 2, s. 14, c. 7, n. 15; Bissus P. 45, § 12.

Digitized by Google

piat, quod forte præferendum est, maxime si in monasterio stricta non servetur clausura; si enim ingrediatur ad sacram communionem infirmis ministrandam, major etiam adesse videtur ratio in hoc casu ingrediendi.

189. A quo radi aut lavari debet locus, super quem species consecratæ ceciderunt?

R. 1. Quando s. Hostia cecidit, id faciendum est ab ipso sacerdote, vel saltem a ministro sacro, a quo corporalia et purificatoria lavari solent et debent, quia militat eadem ratio.

2. Si quid de s. Sanguine ceciderit, locus omnino a sacerdote, quoad fieri potest, radi et lavari debet, quia in hoc casu s. Sanguis fere semper est attingendus.

3. Quando s. Hostia vel ejus fragmentum cecidit super manus, barbam, vestes, vel quid simile, ita adhærens personæ, ut lavari non possit a sacerdote absque indecentia, offensione, aut turbatione illius, eidem committi debet personæ, super quam cecidit, ut ipsamet prædicta lavet. Lotio in sacrarium, si fieri possit, et alias saltem in ignem projicienda est (1).

190. Quid faciendum, si hostia ad altare inveniatur, et ignoretur an sit consecrata?

R. Reverenter accipiatur, et in locum decentem deferatur sine lumine tamen, stola, aliave solemnitate, donec ab aliquo sacerdote in missa post sumptionem s. Sanguinis ante purificationem sumatur. Idem faciendum est, si hostia alibi inveniatur, de qua dubitatur an sit consecrata. Item si pœnitens confessario commissum sacrilegium detegens, hostiam secreto restituat, hostia reverenter est assumenda, secreto ad tabernaculum deferenda, et sumenda post sumptionem s. Sanguinis; non tamen alii communicanti est tradenda, quia non certo constat eamdem esse consecratam. Si sacerdoti nausea fiat, conservanda est in tabernaculo, donec species consumatur (2).

(1) Quarti loco cit. d. 2.

(2) Quarti loco cit. d. 3; Gavantus p. 3, tit. 10, rub. 15; Castaldus lib. 2, s. 14, c. 7, n. 16-18.

Digitized by Google

Duo sequentes numeri, de laudibus vespertinis et cultu s. reliquiarum, huic parti pro supplemento subjunguntur, quia alicubi vix locum opportunum inveniunt.

DE LAUDIBUS VESPERTINIS.

191. 1. Laudes vespertinæ seu pomeridianæ ita dicuntur, quia circa vesperam seu post meridiem celebrantur. Recentioris sunt institutionis, ut patet ex pluribus decretis in quibus fieri præsipiuntur, signanter in congregationibus archipresbyterorum archidiœcesis Mechl. scilicet 4ª n. VIII, 17ª n. II, 20ª n. IV, 31ª n. XIII, item ex decr. Alph. de Berghes Archiep. Mechl. 2 Ap. 1682 (1). Hodiedum tamen usu adeo generali in his regionibus fieri solent, ut ad officium parochiale spectare censeantur, populusque suo debito defuisse existimet, si diebus festivis iisdem interesse neglexerit: quod certo eo magis de parocho aut rectore dicendum est, si illas omiserit, aut solito tempore pomeridiano celebrare prætermiserit.

Officii hujus pomeridiani rationes sunt, ne populus totos dies festos in rebus profanis transigat, ut ex tabernis detineatur, magis assuescat pietati, et occasio aliqua detur ad juventutem convocandam ad catechismum.

2. Non licet celebrare laudes cum expositione ss. Sacramenti nisi cum licentia ordinarii, ut dictum est n. 23.

Sicut oratio XL horarum, sic etiam laudes cum expositione ss. Sacramenti fieri nequeunt triduo sacro majoris hebdomadæ a mane feriæ quintæ usque ad mane sabbati sancti (2).

3. Sacerdos in laudibus cum exposito ss. Sacramento etsi superpelliceo et stola tantum indutus esse debeat, decet tamen, ut induatur pluviali, vel etiam amictu, alba, cingulo, stola et pluviali; et alter ei assistat sacerdos indutus super-

(1) Syn. Belg. tom. 2, p. 258, 273, 277, 295 et 388.
(2) S. R. C. 12 Mart. 1661, n. 1190.

Digitized by Google

pelliceo, et etiam stola, dum aperit tabernaculum, et pertractat ostensorium, ut dictum est n. 26. Sed quod notandum est, hic semper a sinistris assistit et incedit, nisi celebranti ministrare debeat. Si assistant diaconus et subdiaconus, induuntur dalmatica et tunicella, ut ibidem dictum est ad 2.

4. In quo colore laudes pomeridianæ cum expositione ss. Sacramenti celebrandæ sint, vid. tom. I, n. 150. In laudibus autem sine expositione ss. Sacramenti adhibendus est color officii diei, si cum officio immediate conjungantur; si autem fiant tanquam functio omnino separata, adhiberi etiam potest color mysteriis aut sanctis, quorum laudes celebrantur, conveniens, quia cum fiant extra officium, connexionem cum eo non habent, et potius missam votivam, quam officium diei imitari videntur.

5. Quæ et quo ordine cantanda sint, per rubricas non determinatur, modo sint approbata (1). Juxta consuetudinem hic communem cantantur hymni, antiphonæ, responsoria, litaniæ, preces imperatæ, etc., et post unumquodque subjungitur versus correspondens cum oratione. Juxta alios autem prædicta cantantur sine interpositione versiculorum et orationum, et iisdem omnibus absolutis cantantur versiculi omnes ex ordine et similiter orationes correspondentes sub una conclusione, uti post litanias sanctorum; deinde cantantur *Tantum ergo* et *Genitori* cum versu et oratione de ss. Sacramento, post quam benedictio sub silentio datur. Et juxta alios tandem supradicta sine versiculis et orationibus successive cantantur; his subjunguntur *Tantum ergo, Genitori,* versus *Panem de Cœlo,* et oratio ss. Sacramenti, cui plures aliæ collectæ sub una et brevi conclusione adjunguntur. Hymnos, antiphonas aliave ordine dignitatis cantare convenit. Regulariter genuflectitur, nisi sub hymno *Te Deum,* qui stando coram ss. Sacramento cantatur.

6. Omnes orationes cantantur manibus junctis, sed ad *Oremus* et nomen *Jesu* caput inclinatur (2). Item caput incli-

(1) Vid. tom. I, n. 112 et tom. II, n. 29.
(2) Gardellini in instr. Clem. § 24, n. 22.

Digitized by Google

natur ad nomen Mariæ et Sancti, cujus fit festum vel commemoratio, saltem si ss. Sacramentum non sit expositum.

7. In laudibus oratio ss. Sacramenti terminanda est brevi conclusione : *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum* (1). Orationes B. M. V. quæ dicuntur post ejusdem antiphonam, concluduntur brevi conclusione, prout habentur in breviario post completorium. Similiter si quæ aliæ dicendæ sint orationes de mysteriis aut sanctis, brevi conclusione terminandæ sunt, quia orationes extra missam regulariter dicuntur cum brevi conclusione, ut dictum est tom. I, n. 87. Si preces imperatæ pro occurrente necessitate recitandæ aut cantandæ sint, illarum orationes concludendæ sunt, prout in rituali ponuntur, ut ibidem notatum est.

8. Quoad dicendum versum *Dominus vobiscum* varia est consuetudo, et variæ quoque sunt auctorum opiniones : juxta Gardellini tamen regula generalis esse debet, quod versus *Dominus vobiscum* omittendus sit ad orationem, post quam sequitur illico ipsa ss. Sacramenti benedictio, secus vero si immediate non subsequatur (2).

9. In quibusdam locis genuflexorium paratum cum tapetibus et pulvinis ponitur, ut sacerdos tempore laudum in eo genuflectat. Tale autem genuflexorium tantum Episcopis conceditur, et proinde simplici sacerdoti non convenit; magisque decet, ut sacerdos cum reliquis ministris genuflectat super infimum gradum altaris. Genuflexorium tamen, si adhibeatur, non potest esse paratum cum pulvinis, neque poni ante medium altaris, ubi pro Episcopo ponitur, sed versus unum aut alterum cornu altaris.

De ritibus servandis in expositione et depositione ss. Sacramenti, item de benedictione danda cum ss. Sacramento vid. n. 26-32. Item directorium diœcesis Mechliniensis 1873 fol. 75-79.

(1) S. R. C. 29 Mart. 1851, n. 2986, 6.
(2) In instr. Clem. § 31, n. 4-10. Vid. n. 29.

Digitized by Google

DE CULTU SS. RELIQUIARUM.

192. Reliquiæ distinguuntur : 1° in approbatas et non approbatas, et 2° in insignes et non insignes.

Approbatæ sunt, quæ ut tales a competente auctoritate indubia fide recognitæ et approbatæ sunt. Episcopi est reliquias recognoscere et approbare : et modo hæc approbatio a quocumque Episcopo facta est, id sufficit, ut tanquam veræ reliquiæ habeantur, et privatim colantur; ut autem in ecclesia publice exponantur, insuper requiritur recognitio Episcopi loci, ubi exponuntur (1). Imo etiam reliquiæ a Romano Pontifice approbatæ, recognoscendæ sunt ab Episcopo loci ordinario, priusquam venerationi exponantur, non ut denuo approbentur, sed ut certo constet, easdem Romæ fuisse approbatas, nullaque sit dubitandi ratio de earumdem identitate, integritate, fidelique custodia, omnisque removeatur piæ fraudis dolique suspicio (2). Notandum autem cum Cavalieri ex modis probandi reliquiarum identitatem, non evinci nisi moralem certitudinem, cui falsitas atque deceptio subesse possunt; ast nihil officere quod his non obstantibus publicæ venerationi exponantur, quia falsitas et deceptio, cum non sint formales sed materiales, post tales probationes fidelibus nocere non possunt, cum cultus ex se dirigatur ad prototypa, in quibus omnis reliquiarum veneratio terminatur.

Non approbatæ reliquiæ nullatenus in ecclesia publice exponi possunt, nequidem ornatus causa inter candelabra : Concilium Trid. enim generaliter dicit, non recipiendas novas reliquias, nisi recognoscente et approbante Episcopo; et insuper incensatio, quæ reliquiis in missa facienda præscribitur, non approbatis convenire nequit.

193. Reliquiarum cultus præcipue consistit : 1° quod in ecclesiis publice et honorifice exponantur, et fidelibus venerandæ et osculandæ præbeantur; 2° quod super altaria

(1) Vid. conc. Trid. sess. 25, decr. de invocatione etc.
(2) Cavalieri tom. 1, decr. 49, n. 21-24 et tom. 5, c. 12, n. 49-51.

Digitized by Google

collocentur, iisque includantur; 3° quod in processionibus transferantur.

Sacra corpora et reliquiæ sanctorum insignes in ecclesiis tantum custodiendæ sunt, et decet etiam ut reliquiæ non insignes in ecclesiis conserventur; hæ tamen in privatis ædibus et apud laicos etiam conservari possunt (1).

194. Circa expositionem et venerationem reliquiarum præcipue notanda sunt sequentia : 1° quod in omnibus ecclesiis easdem exponere liceat (2); sed beatorum reliquias in illis ecclesiis, in quibus officium et missa de iisdem recitari possunt (3). 2° Quod (4) reliquiæ seu tabernacula cum sanctorum reliquiis congrue disponi possint alternatim inter candelabra, dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiantur. Numquam tamen super altare collocari possunt exposito ss. Sacramento, neque unquam in medio candelabrorum seu in loco crucis, neque super tabernaculum ss. Sacramenti licet non expositi, neque ante tabernaculi ostiolum (5); et multo minus exponi possunt in tabernaculo adinstar expositionis ss. Sacramenti, aut alio modo, quo simplices decipi et reliquias pro ss. Sacramento adorare possunt. 3° Quod ante reliquias expositas, etiamsi ornatus causa inter candelabra collocentur (6), omnino debeatur lampas continuo ardens, et super altare saltem ardeant duo lumina, et alias reliquiæ non exponantur (7). 4° Quod qui reliquias exponit, defert ad altare vel reportat ad loca sua, cotta cum stola paratus esse debeat, adhibitis duobus clericis cottis indutis cum cereis vel facibus (8). 5° Quod reliquiæ non nudæ præbendæ sint ad osculandum, sed vasculis inclusæ; et adhibendum sit linteum ad abstergendum, ne nauseam faciat.

(1) Cavalieri tom. 1, dec. 57.
(2) S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 1842, 2.
(3) S. R. C. 17 Ap. 1660, n. 1156, 4.
(4) Cærem. Ep. lib. 1, c. 12, n. 12.
(5) Vid. tom. 1, n. 191.
(6) S. R. C. 12 Aug. 1854, n. 3029, 13.
(7) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067. 9. Vid. Cavalieri t. 1, dec. 59.
(8) Bauldry p. 1, c. 2, art. 1, n. 22.

Digitized by Google

Usus in his locis habet, ut dum reliquiæ osculandæ præbentur, dicatur : *Per merita et intercessionem sancti N. concedat tibi* vel *vobis Dominus salutem et pacem;* et ad venerationem reliquiæ s. crucis : *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster :* prior tamen formula omnibus reliquiis, etiam instrumentis Dominicæ passionis, applicari potest, dicendo ad reliquias s. crucis, ut in litaniis sanctorum, *Per crucem et passionem suam concedat* etc.; ad coronam spineam *Per passionem suam;* ad reliquias præsepis Domini *Per nativitatem suam* etc. Reliquiæ deosculandæ præberi possunt a sacerdote sacris adhuc paramentis induto, expleta missa (1).

Quoad reverentiam reliquiis faciendam vid. tom. I, n. 200, et quoad reliquias altari includendas tom. I, n. 178.

195. In quibus processionibus reliquiæ (item statuæ) deferri possunt?

R. In processione cum ss. Sacramento non sunt deferendæ sanctorum reliquiæ, neque instrumenta passionis Domini (2). Sic Alph. de Berghes Archiep. Mechl. (3) prohibuit aliquas sanctorum venerandas reliquias aut imagines etiam B. M. V. una cum ipso ss. Sacramento circumferre aut circumferri permittere. Attamen Innocentius XI (4) permisit regularibus archidiœcesis Mechl. « gestare in publicis processionibus cum ss. Eucharistiæ Sacramento reliquias et imagines sanctorum, hoc tamen servato, ut dictæ reliquiæ et imagines portentur in principio processionis inter prima lumina, ita ut inter ipsas et ss. Sacramentum sit rationabilis et competens distantia. » Et sic Humbertus a Precipiano Archiep. Mechl. (5), virtute præfati decreti Innocentii XI, permisit « ut ubi pia hæc et laudabilis viget consuetudo, una cum ss. Sacramento, imagines B. Dei Matris, ejusque sanctorum et horum reliquiæ

(1) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2704, 5.

(2) S. R. C. 23 Mart. 1593, n. 28, et 17 Jun. 1684, n. 1731, 1; 31 Jan. 1896, n. 3878; 1 Jul. 1898, n. 3997.

(3) In decr. 29 Aug. 1674. Syn. Belg. tom. II, p. 370.

(4) 20 Maji 1682. Syn. Belg. tom. II, p. 381.

(5) In 2ª epistola past. 21 Jul. 1700. Syn. Belg. tom. II, p. 446.

Digitized by Google

(non tamen plures quam unius cujusque una) in supplicationibus circumferantur : sic enim ut habet concilium Coloniense anno 1549, significamus sanctos nunc cum ipso Domino regnare et triumphare in cœlis, quæ memoria debet piis esse jucunda et læta. »

Quoad processiones sine ss. Sacramento tertium concilium prov. Mechl. (1), generaliter dicit, quod sanctorum reliquiæ circumgestari possint; et juxta cæremoniale Ep. (2). « Si consuetum sit in hujusmodi processione portari aliquas sanctorum reliquias et sacras imagines, servabitur consuetudo. » Beatorum tamen reliquæ in processionibus minime circumferri possunt (3).

196. Quo ritu et quibus cæremoniis reliquiæ in processionibus deferuntur?

R. Rituale Rom. agens de translatione s. reliquiarum insignium sic præscribit : « Ecclesia et viæ, per quas transeundum est, quam fieri potest decentius ornentur. Sacerdotes et ministri vestibus induti albi vel rubei coloris, prout sancti, quorum reliquiæ transferuntur, exposcunt, et cum luminaribus accensis, omnes procedant, decantantes litanias cum invocatione sanctorum, quorum reliquiæ deferuntur, et hymnum *Te Deum* etc. et psalmum *Laudate Dominum de cœlis*, cum duobus sequentibus, et alios psalmos, et hymnos de proprio vel de communi eorum sanctorum, quorum reliquiæ transferuntur. » Reliquias in processionibus deferre pertinet ad primam dignitatem, modo ipsa dignitas missam processionis celebret; alias enim pertinet ad celebrantem missam ante vel post processionem (4). Si reliquiæ a pluribus personis deferri debeant, tunc quantum fieri potest, numquam deferendæ sunt nisi per clericos sacris initiatos (5), et numquam a currui vel equis insidentibus (6), neque etiam a puellis, sicut

(1) Tit. 7, cap. 8.
(2) Lib. 2, cap. 32, n. 2, de rogationibus.
(3) Dec. Alexandri VII, 27 Sept. 1659, n. 1130, 11.
(4) S. R. C. 26 Jan. 1658, n. 1048.
(5) 3 Concilium prov. Mechl. tit. 14, c. 5.
(6) 2a Synodus diœc. Mechl. tit. 11, c. 5.

Digitized by Google

imagines seu statuas sanctorum, etiam B. M. V., puellis in processione deferre numquam licet (1). Qui reliquias defert aut deferunt, detecto capite incedere debent (2); non autem genuflectunt, etiamsi transeant ante tabernaculum ss. Sacramenti. In fine processionis cantantur antiphona, versus et oratio illius Sancti, cujus reliquiæ transferuntur : deinde celebrans stans ad altare potest, sed non debet, populum benedicere cum reliquiis etiam sanctorum (3). Sub hac benedictione omnes genuflectunt, etiam Præsules, si adsint (4). Reliqua hic dicenda vid. tom. III, in fine, ubi de processionibus.

197. Reliquiæ insignes dupliciter distingui possunt, scilicet : 1° reliquiæ insignes sanctorum, et 2° lignum s. crucis, spinæ coronæ Domini aliaque instrumenta dominicæ passionis. Utrisque specialia concessa sunt privilegia; sed quod bene notandum est, utrisque ita propria sunt ut alteris non communicentur : decreta enim quæ loquuntur de instrumentis dominicæ passionis, expresse excludunt alias sanctorum reliquias insignes; et quæ agunt de insignibus sanctorum reliquiis, nihil dicunt de instrumentis dominicæ passionis (5).

Reliquiæ insignes sanctorum sunt corpus integrum, aut magna pars ejusdem. Quænam autem sit magna ejusdem pars declaravit S. R. Congregatio, esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab ordinariis approbata (6). Censetur autem adhuc integra, tametsi constet ex pluribus fragmentis per artificialem unionem conjunctis; modo adsint frusta seu fragmenta, quæ requiruntur ad integritatem ejusdem membri; et ita apte simul conglutinentur, ut appareat integrum caput, brachium, crus (7). Reliquiæ

(1) Vid. *Mél. théol.*, sér. 6, fol. 190.
(2) S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 1841, 1.
(3) S. R. C. 24 Jul. 1683, n. 1711, 1; Cavalieri tom. 4, dec. 276.
(4) Martinucci lib. 2, c. 40, n. 15.
(5) Videri potest Cavalieri tom. 1, dec. 51, qui contrarium sentit.
(6) 13 Jan. 1631, n. 460, 3, et 555, initio breviarii.
(7) Merati p. 1, tit. XI, n. X; Quarti p. 1, tit. 1, dub. 4; Lohner p. 2, tit. 17, n. 1.

Digitized by Google

insignes sunt pars anterior brachii, item pars ipsius superior. Cor, lingua, manus, si ex miraculo intactæ conserventur, etiam haberi debent ubi reliquiæ insignes (1). Unde non est reliquia insignis, manus, pes, aut aliud frustum, nisi in dictis partibus passus sit martyr, neque ossa fœmoris (2), neque sola tibia (3), ut enim crus, censeatur reliquia insignis, debet constare duobus ossibus, quorum si alterum desit, membri perit integritas (4).

198. De illo sancto, cujus est reliquia insignis, in ejus die festo recitari possunt officium et missa cum *Credo* sub ritu duplici in illa ecclesia, ubi asservatur : id tamen intelligendum est « de sanctis dumtaxat in martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis, seu reliquiæ insignis illiusmet sancti, qui reperitur in martyrologio Romano descriptus » (5). Ita ut requiratur, ut reliquia sit insignis, sit sancti canonizati, descripti in martyrologio Romano, et constet de identitate reliquiæ.

Dicitur 1° *de sancto*, scilicet canonizato et descripto in martyrologio Rom. (6). Ita ut sine speciali indulto ratione insignis reliquiæ officium fieri nequeat de sanctis non canonizatis, aut non descriptis in martyrologio Rom., neque de beatis, neque de sanctis corporibus Romæ extractis ex cœmeteriis.

Dicitur 2° *cujus est reliquia insignis;* ita ut de identitate reliquiæ constare debeat, quod scilicet sit de corpore ipsiusmet sancti, de quo eo die mentio in martyrologio Romano habetur, et non alterius ejusdem nominis; et officium fieri non possit de sanctis vulgo baptizatis, vel quorum nomina fuerunt mutuata ab aliis, eo quod nomina propria ignorarentur (7).

(1) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4041.
(2) Decr. auth. S. C. Indulg. 11 Jun. 1822, n. 251.
(3) S. R. C. 3 Junii 1662, n. 1234, 2.
(4) Cavalieri tom. 5, c. 12, n. 44 et seq.
(5) S. R. C. 11 Aug. 1691, n. 1853, in initio missalis et brev.
(6) S. R. C. 20 Nov. 1683, n. 1722. Vid. Cavalieri tom. 1, decr. 46.
(7) S. R. C. 19 Dec. 1643, n. 853; 7 Jun. 1681, n. 1670; 20 Nov. 1683, n. 1722; 1 Oct. 1707, n. 2180.

Digitized by Google

Dicitur 3° *recitari potest officium* etiam sine alia licentia S. R. C. aut ordinarii loci, quia hæc nullibi requiritur, modo reliquia omnes requisitas habeat conditiones. Licet autem Cavalieri (1) censeat hoc officium esse de præcepto, videtur tamen tantum posse, sed non debere fieri, nisi usu acceptatum fuerit, quia decreta sunt facultativa, et nec decreta citata a Cavalieri, nec alia præceptum exprimere videntur, et si quæ præceptum importent, agunt non de officio sed de modo quo recitandum est.

Unicum tantum festum intuitu reliquiarum insignium celebrari potest, ita ut, si jam festum illius sancti celebretur, aliud ratione ejus reliquiæ institui nequeat. Quamvis autem festum omnium reliquiarum, quæ habentur, ex indulto celebretur, festa tamen particularia die propria celebrare licet de sanctis, quorum corpora vel reliquiæ insignes conservantur (2).

Dicitur 4° *in ejus die festo*, scilicet in die martyrii vel obitus (3), nisi alius dies per decretum Apostolicum, aut S. R. C. vel in martyrologio Romano assignetur. Vid. n. 268.

Dicitur 5° *sub ritu duplici* scilicet minori, si nempe illius sancti festum in officio vel non celebretur, vel tantum sub ritu simplici aut semiduplici; si autem jam celebretur sub duplici vel altiori ritu, sub eodem ritu celebrari debet et ratione ejus reliquiæ ad altiorem ritum elevari nequit (4).

Dicitur 6° *in illa ecclesia ubi asservatur* : ita ut ratione reliquiæ in illa tantum ecclesia, et ab adscriptis illius ecclesiæ officium recitari possit, et non ab aliis sine speciali indulto; et si missa ab adscriptis illius ecclesiæ, in qua reliquia asservatur, in alia ecclesia celebretur, symbolum in missa omittendum sit (5).

(1) Tom. 1, dec. 45, n. 14.
(2) Cavalieri tom. 1, dec. 60, n. 15, 16 et 17.
(3) S. R. C. 3 Junii 1662, n. 1234, 1.
(4) Cavalieri tom. 1, dec. 45, n. 12.
(5) S. R. C. 13 Jan. 1631, n. 535, ut habetur initio brev.; 10 Jan. 1693, n. 1890, 5.

Digitized by Google

Not. non requiri, ut reliquia sit exposita, sed sufficere ut in ecclesia habeatur (1).

De cæteris sanctis in martyrologio Rom. non descriptis, aut quibus a Sede Apostolica non fuerit specialiter concessum officium recitare et missam celebrare, vetitum est, non obstante, quod eorum corpora aut insignes reliquiæ in ecclesiis asserventur; quibus tamen ab ordinariis locorum approbatis, debita a fidelibus veneratio exhibenda est, sed absque officio et missa, sub pœnis de non satisfaciendo præcepto recitandi officium aliisque in constitutione s. Pii V (2). Similiter de sanctis, quorum notabiles quidem, sed non insignes reliquiæ conservantur, officium fieri nequit, neque etiam sub ritu semiduplici aut simplici, nisi a Sede Apostolica aut S. R. C. concedatur.

199. Specialia privilegia concessa ligno ss. crucis aliisque instrumentis Dominicæ passionis, sunt sequentia : 1° Sub baldachino deferri possunt (3). 2° Celebrantes coram exposita reliquia s. crucis eodem modo se gerunt, ac si celebrent coram tabernaculo clauso, continente ss. Sacramentum, scilicet (4) genuflectunt unico genu in accessu et recessu, et quoties transeunt ante medium altaris, seu a latere ad latus ut infra incensationem : quæ genuflexio pariter facienda esse videtur ante et post incensationem crucis conformiter ad rubricas ritu celeb. m. tit. IV, n. 6. 3° Transeuntes ante reliquiam ss. crucis, si loco principali super altare sit exposita, genuflectere debent unico genu, si autem sit recondita in custodia, solum caput inclinare (5). 4° Post expositionem vel processionem reliquiæ s. crucis, populus cum eadem est benedicendus : sacerdos scilicet paramentis rubei coloris indutus (6), flectit unico genu ante reliquiam; deinde thus

(1) Merati p. 1, tit. XI, n. X; Cavalieri tom. 1, dec. 47, n. X, et tom. 5, c. 12, n. 39.

(2) Initio brev. et miss.

(3) S. R. C. 27 Maji 1826, n. 2647.

(4) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2722, 1.

(5) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, 7.

(6) S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3256.

Digitized by Google

imponit sine benedictione, iterum flectit unico genu, et erectus stando reliquiam ter incensat; induitur velo humerali, flectit ante reliquiam, eaque cum velo humerali accepta, signat populum eodem modo, ac si eumdem cum ss. Sacramento benediceret; interea tamen nihil dicit, nec chorus aliquid cantat (1). Not. Quamvis decreta ad 2, 3 et 4, allata tantum loquantur de reliquia s. crucis, quia de hac sola erat proposita petitio; ob paritatem tamen rationis idem dicendum esse videtur de omnibus instrumentis Dominicæ passionis (2). Peculiare festum ratione reliquiæ s. crucis, spinæ coronæ Domini, aliorumque instrumentorum Dominicæ passionis sine speciali indulto institui nequit.

Not. exposita reliquia s. crucis, in choro licere sedere capite tecto (3). 2° Non decere ut lignum s. crucis cum sanctorum reliquiis in eadem theca occlusum permaneat (4).

(1) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2324, 1; 4 Jun. 1817, n. 2578, 11; 18 Feb. 1843, n. 2854.

(2) S. R. C. 27 Maji 1826, n. 2647, et 22 Sep. 1827, n. 2660.

(3) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2722, 2.

(4) S. R. C. 18 Feb. 1843, n. 2854; Acta apud s. Sedem. tom. 2, fol. 577.

Digitized by Google

PARS IV.

RUBRICÆ GENERALES BREVIARII.

QUO BREVIARIO UTENDUM.

200. Utendum est breviario Romano s. Pii V jussu edito, et Clementis VIII ac Urbani VIII auctoritate recognito. Probatur ex bullis horum Pontificum breviario Rom. præpositis : in bulla enim s. Pii V præcipitur observari hoc breviarium in toto orbe ; obligantur quicumque tenentur horas canonicas recitare, alias non satisfacturi muneri suo ; et jubetur omnibus Prælatis, ut hoc introducant tam in choro quam extra chorum. Clemens autem et Urbanus VIII idem breviarium recognoverunt, restituerunt, et emendarunt, illudque sic restitutum in typographia Vaticana imprimi jusserunt, et alibi juxta exemplar Vaticanum, habita ordinariorum licentia in scriptis, quæ fidem faciat de collatione facta breviarii cum originali Romano : cujus etiam licentiæ copia initio vel in calce cujusque breviarii semper imprimatur, interdicto usu breviariorum aliter impressorum.

201. Excipiuntur 1° juxta bullam s. Pii V breviaria Romana aut alia ex institutione aut consuetudine legitima introducta, antiquiora ducentis annis ante bullam s. Pii V, datam septimo Idus Julii 1568. Illorum nempe breviariorum usum, qui a ducentis annis vigebat, s. Pius indulsit et tole-

Digitized by Google

ravit; permisit tamen, ut illa breviaria antiqua omitti possint, et Romanum assumi queat, dummodo Episcopus et universum capitulum in eo consentiant (1). Quoad regulares exemptos, consensum præstare debent Prælatus regularis et capitulum regulare (2). Quod in bulla dicitur, universum capitulum consentire debere, intelligitur de capitulo congregato, cujus major pars consentit (3). Si breviarium proprium sit illegitimum, consensus non requiritur. Romano autem breviario semel assumpto, ad usum antiqui breviarii redire non licet (4).

202. Excipiuntur 2° breviaria Romana, post dictam bullam s. Pii V et ante bullam Clementis VIII vel ante bullam Urbani VIII impressa, quæ, licet exemplari per Clementem aut Urbanum VIII correcto conformia non sint, in gratiam pauperum juxta dictas bullas permittuntur vendi, retineri et adhiberi, donec deficiant.

Notandum hic est in bulla Urbani VIII hæc eadem extendi ad ea, quæ a breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt missalia, diurnalia, officia parva B. M. V. officia majoris hebdomadæ, et alia id generis. Adeoque breviaria, processionalia etc., impressa ante 25 Jan. 1631, quo anno prodiit bulla Urbani VIII, licite adhuc adhiberi possunt, hymnos antiquos legendo et cantando, donec libri deficiant : sed non, si post 25 Jan. 1631, edita sint, et Romano exemplari jussu Urbani VIII correcto conformia non sint. Quicumque ergo libri antedicti aliique liturgici, dum nunc imprimuntur, juxta exemplar Romanum jussu Urbani VIII correctum, et cum licentia ordinarii, ut supra dictum est, imprimi, eique convenire debent.

203. Excipiuntur 3° breviaria, quorum usus postea a sancta Sede specialiter est concessus, uti breviarium mo-

(1) Vid. dec. S. R. C. 3 Mart. 1674, n. 1502; 21 Jul. 1696, n. 1946, 1 et 2; 31 Mart. 1821, n. 2615. Vid. *Questions proposées à l'académie liturg.*. a Monte Citorio 21 Nov. et 5 Dec. 1855.

(2) Cavalieri tom. 2, dec. 366, n. 2.

(3) Cavalieri ibidem n. 4, Gavantus sect. 2, c. 2, n. 20.

(4) S. R. C. 10 Maji 1608, n. 249; 21 Mart. 1676, n. 1561; 10 Jan. 1852, n. 2993.

Digitized by Google

nasticum, quod Paulus V anno 1612 approbavit (1); item breviarium et missale ordinis Cisterciensis a Claudio Vaussin Abbate generali reformata (2).

Dicitur *a Sancta Sede*, nam per bullam s. Pii V cessavit omnis facultas, quam ordinarii sive sæculares sive regulares, aut alii quicumque habebant circa divinum officium : ita ut in breviario Romano nihil possint mutare, addere, aut detrahere; neque (3) addere kalendariis etiam propriis sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ breviarii Romani rubricis vel S. R. Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur; neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in kalendario Romano seu rubricis breviarii, in altiorem ritum; neque extendere concessa officia de loco ad locum (4). Et quamvis bulla s. Pii V ex plurimorum opinione tantum respiciat eos, qui breviarium Romanum sequuntur, non autem illos, qui proprio breviario utuntur, Gregorius tamen XVI (5) declarat, quod s. Pius V « eos tantum ab obligatione eorum (breviarii et missalis) recipiendorum exceptos voluit, qui a bis centum saltem annis uti consuevissent breviario aut missali ab illis diverso; ita videlicet ut ipsi non quidem commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros hujusmodi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent ». Insuper decretum contra abusus (6) quod ponitur initio breviarii, juxta declarationem S. R. C. (7) « comprehendit etiam breviaria tolerata a s. Pio V, excedentia bis centum annos, hoc modo videlicet, ut non possit eis addi aliquod festum SS., nec minus ratione reliquiarum, nisi modo et forma contenta in decreto (8 Ap. 1628) et con-

(1) De Breviario monastico vid. Analecta juris Pont. 6 ser. fol. 2308 et 7 ser. fol. 428; *Revue des sciences ecclés.*, tom. 10, fol. 289; Acta s. Sedis vol. 4, fol. 465.

(2) Acta s. Sedis, vol. 6, fol. 280.

(3) Dec. Urbani VIII, breviario præfixum, 13 Jan. 1631, n. 555.

(4) Vid. Gavantus sect. 2, c. 2; Cavalieri tom. 2, dec. 341.

(5) In Brevi ad archiep. Remensem directo 6 Aug. 1842.

(6) 8 Apr. 1628, n. 460.

(7) 28 Oct. 1628, n. 477.

Digitized by Google

sulta Sede Apostolica ». Ita ut qui proprio breviario utuntur, non nisi auctoritate Sedis Apostolicæ interveniente, propriis suis kalendariis nova officia addere, aut eorumdem ritus mutare possint (1).

204. Not. 1° quamvis ordinarii locorum propria auctoritate circa officium divinum nihil possint, ipsos tamen nova officia, quæ breviarii Rom. rubricis, vel S. R. C. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur, sed non præcipiuntur, suis subditis etiam sub præcepto imponere posse; hoc enim ipsis ut permissum supponitur in decreto Urbani VIII, initio Breviarii : cum enim declaretur, non posse locorum ordinarios addere kalendariis officia, nisi quæ breviarii Rom. rubricis vel S. R. C. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur, sequitur illos posse imponere et præcipere illa officia, quæ per rubricas, vel S. R. Congregationem conceduntur et indulgentur. Ita Emus Dom. Cardinalis Engelbertus, Archiep. Mechl. p. m. 13 Nov. 1838 præcepit, ut officia diœcesana in tota diœcesi recitarentur.

Not. 2° quamvis officium propria auctoritate ad altiorem ritum elevari nequeat, posse tamen, si ratio exigat, celebrari cum majori externa solemnitate et apparatu, modo ritus istius festi quoad concurrentiam, symbolum, commemorationes etc. in omnibus servetur (2).

Not. 3° ut ex bulla s. Pii V patet, obligationem breviario Romano utendi, non tantum esse generalem, obligantem communitatem in communi; sed etiam particularem, obligantem quoslibet, qui horas canonicas recitare tenentur. Ex quo certe deducitur, quemcumque, qui alio breviario quam Romano utitur, eoque illicite, privatim Romano breviario uti posse et debere : in publico tamen officio communitati, si hæc breviarium Romanum assumere nolit, sese confor-

(1) S. R. C. 10 Jan. 1852, n. 2993; Merati sect. 2, c. 2, n. 4; Fornici *Institut. liturg.* part. 2, c. 4; *Questions discutées à l'académie liturg.* a Monte Citorio 21 Nov. 1855, n. 32-35; *Revue des sciences ecclés.* 1861, fol. 196-199.

(2) S. R. C. 14 Maji 1644, n. 865. Vid. Cav. tom. 2, dec. 347.

Digitized by Google

mare potest, ne major confusio fiat. Quoad illum autem, qui legitimo gaudet privilegio, alio breviario quam Romano utendi, dicendum est ipsum in officio publico breviarium Romanum, etiam partialiter, assumere non posse, etiamsi omnes consentiant, et idem faciant, juxta decretum S. R. C. (1) in quo dicitur « aut totum antiquum, aut totum novum »; neque etiam hic videtur privatim posse recitare breviarium Romanum, nisi omnes, qui debent, consentiant, et breviarium Romanum assumant : nam licet quidam, nisi præceptum alterius breviarii extet, ex consuetudine contrarium probabile putent (2), sanctus tamen Pius V in sua bulla, sine distinctione inter publicam et privatam recitationem, non permittit mutari breviarium proprium in Romanum, nisi Episcopus et universum capitulum consentiant; præterea privata hæc mutatio sine confusione fieri nequit; insuper Clemens V, permittendo sæcularibus et regularibus servitio Cardinalium ac quorumcumque Pontificum addictis, ut recitare possint idem officium ac Cardinales aut Pontifices, utitur verbo *indulgemus*, quod evidenter supponit, eos sine hac facultate ad suæ ecclesiæ aut ordinis breviarium obligatos esse (3).

205. Notandum circa impressionem breviariorum, missalium, etc. decretum generale S. R. C. (4). « Quum ab anno 1788, ad hanc usque diem breviaria, horæ diurnæ, missalia, officia parva Bmæ V. M., officia hebdomadæ majoris, ritualia, aliaque id generis, quæ denuo prælo mandantur, non amplius præ se ferant Reverendissimorum Ordinariorum attestationes, queis declaretur hæc exemplaria concordare cum iis, quæ Romæ sunt impressa, ad tramites bullarum s. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII Summorum Pontificum, quæ in fronte breviarii Romani reperiuntur, S. R. Congregationi supplicatum fuit declarari, *utrum etiamnum servari deberent*

(1) 3 Mart. 1674, n. 1502, 2.
(2) Vid. s. Alph. de Ligorio lib. 4, n. 160.
(3) Gavantus sect. 2, c. 2, n. 14; Cavalieri tom. 2, dec. 366, n. 4.
(4) 26 Ap. 1834, n. 2716, confirmatum 18 Feb. 1843, n. 2855.

Digitized by Google

recensitæ Constitutiones Pontificiæ, et an trangressores pœnas inibi inflictas incurrerent? præsertim ex eo, quod in præsentiarum nullus supersit dubitandi locus quin emendata exemplaria præ oculis in cusione habita sint, eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiæ tum eorum, qui lucrum ex liturgicorum librorum venditione percipiunt, tum ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce attestationibus muniti, proptereaque demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum librorum usum sibi permitti valeret. Et sacra eadem Congregatio in ordinario cœto ad Vaticanum sub die 7 Ap. anno 1832 coadunata, auditaque relatione a me infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, accurateque consideratis, rescribendum esse censuit, ac declarandum : *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.* Hujusmodi declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt, et probe quum intelligant, contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem librorum, quin inflictas pœnas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16 Mart. 1833 coacta, Emi Patres sacris ritibus tuendis præpositi satius duxerunt super re judicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas ædes juxta morem eadem S. R. ordinaria Congregatio, in eaque jam tertio audita relatione a me infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit : *detur decretum generale juxta mentem.* Mens est, ut Ordinarii locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti liturgici libri sine attestatione a Pontificiis Constitutionibus præscripta, et quoad illos, qui hujusmodi attestatione destituuntur, et ab anno præsertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod exemplar ex supradictis examini probatæ personæ ecclesiasticæ subjiciant, quæ illud conferat cum iis, qui in Urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum breviario anno 1828 typis Contedini, ac missali anno 1826 prælo De Romanis cusis, in quibus nonnulla menda

Digitized by Google

irrepserunt), acceptaque fideli narratione revisoris, quando illud adamussim concordare cum prædictis inveniatur, suo clero declarent ipsi Ordinarii breviaria, missalia etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad præcludendam demum omnem viam dubitationis, tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare, illiusque revisioni subjicere, et attestatione ejusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit, ac servari mandavit die 26 Ap. 1834. » Item : « Hodiernus Secretarius Rmi Namurcen. Episcopi S. R. Congregationi sequens proposuit dubium pro opportuna solutione, nimirum : in variis regionibus, ac præsertim in Gallia, missalia, et breviaria, ac etiam libri liturgici imprimuntur absque licentia seu Ordinarii approbatione, quam præter Concilium Tridentinum, omnino requirunt Constitutiones Clem. Papæ VIII atque Urbani Papæ itidem VIII. Supponitur quod in Gallia, aliisque hujusmodi regionibus decretum Concilii Tridentini librorum approbationem requirens, et præfatæ Constitutiones Apostolicæ usu non sint receptæ, vel per usum contrarium vim obligationis amiserint. Hinc quæritur, an hujusmodi libros absque requisita Ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere, iisque uti in Belgio, aliisque regionibus, ubi decretum Concilii Tridentini, et supramemoratæ Constitutiones Apostolicæ communiter servantur. Et Sacra eadem Congregatio in ordinariis comitiis ad Vaticanas Ædes hodierna die coadunata, ad relationem mei infrascripti Secretarii, respondendum censuit : *Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis :* die 16 Mart. 1833 » (1).

Breviaria quæ separatis foliis constant, adhiberi possunt, dummodo partes avulsæ a breviario, unitæ asserventur (2).

Notandum, etsi censuræ excommunicationis, suspensionis et interdicti latæ sententiæ in constitutionibus Pontificiis

(1) N. 2701.
(2) S. R. C. 20 Mart. 1869, n. 3207.

Digitized by Google

contra transgressores impositæ, nunc cessent ex constitutione *Apostolicæ Sedis* Pii IX, quarto Idus Octobris 1869, in qua non inseruntur, non tamen cessare prohibitionem. Unde S. R. Congregatio mandavit, in editione librorum liturgicorum adamussim servandas esse leges in Constitutionibus et Bullis Summorum Pontificum præscriptas (1).

206. S. R. C. similiter decreto generali mandavit « ut officiorum concessiones, lectiones, orationes, antiphonæ et responsoria respective, aliaque hujusmodi imposterum a typographo Camerali dumtaxat imprimantur. Inhibendo omnibus impressoribus seu typographis tam in Urbe, quam extra ubivis locorum dicta officia imprimi sub quovis prætextu, causa et quæsito colore, nisi facultate in scriptis accepta ab inquisitoribus hæriticæ pravitatis, si inibi fuerint, sin minus a locorum ordinariis, qui quidem facultatem hujusmodi non prius concedant, quam originale sumptum Sacræ ejusdem Congregationis, vel exemplar typographi Cameralis authenticum manu Secretarii ipsius Sacræ Congregationis firmatum, et sigillo obsignatum ipsis exhibeatur. Quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque ei additum, sive detractum in eo imprimi debeat. Et si quæ ausu temerario contra præsentis decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, ultra pœnas ab eadem S. C. infligendas, omni prorsus fide carere voluit et declaravit, » die 11 Aug. 1691; Innocentius XII approbavit ac debitæ executioni demandari præcepit 19 Oct. 1691 (2).

Ad rem hic loci refertur decretum quod de libris liturgicis dedit S. P. Leo XIII in Const. Apost. 24 Jan. 1897 (Cap. VII, n. 18) : « In authenticis editionibus missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat : si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur. »

(1) S. R. C. 11 Mart. 1871, n. 3241, II.
(2) N. 1852.

Digitized by Google

QUODNAM OFFICIUM CUIQUE EST RECITANDUM.

207. R. I. Officium recitandum est juxta kalendarium Romanum, uti habetur in breviario Romano, scilicet vel de festo, vel de Dominica, vel de feria.

Not. 1° officium per oblivionem vel inadvertentiam sive in choro sive privatim omissum, non debere nec posse fieri alio die, ne bis erretur, sed eo anno esse omittendum (1).

Not. 2° Kalendarium Romanum universale est, et ad totum catholicum orbem extenditur. Quapropter kalendaria particularia diœcesium, ecclesiarum ac ordinum regularium in eo tantum differunt ab illo, quia retentis officiis, quæ omnibus præceptive communia sunt, alia his adduntur quæ peculiariter pertinent ad diœceses, ecclesias, seu religiones... Neque iis, qui proprium kalendarium non habent, licet assumere kalendarium unius vel alterius diœcesis, quia unum dumtaxat est kalendarium Romanum, quod universale est. Si tamen habeatur proprium kalendarium, legitime approbatum, illud sequendum est : ideoque

208. R. II. Recitandum est a clericis diœcesis juxta kalendarium diœcesanum, si habeatur tale et legitime approbatum ; et a regularibus secundum kalendarium ordinis in quo sunt professi.

Not. 1° religiosos utriusque sexus proprium kalendarium non habentes, uti debere diœcesano kalendario, additis officiis peculariter concessis regularibus in illa diœcesi commorantibus (2). Quomodo hoc sit intelligendum, patebit ex numeris seq. signanter n. 230.

Not. 2° regularem ad episcopatum promotum, relicto sui ordinis breviario, debere officium recitare et divina officia celebrare juxta ritum suæ diœcesis ; item ejus capellanos sive regulares sive sæculares, qui cum Episcopo officium recitare solent, quoad officii recitationem Episcopo se conformare

(1) S. R. C. 17 Junii 1673, n. 1474 ; Cavalieri tom. 2, dec. 346, n. 23 et seq.

(2) Ita S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 2964, 1 et 2.

Digitized by Google

teneri (1). Id tamen non obtinet pro regularibus, qui tanquam parochi vel vicarii ecclesiis præficiuntur : hi enim non possunt nec debent recitare officium et misssam celebrare juxta kalendarium diœcesis, in qua ecclesiis deserviunt; sed tenentur ad officium ordinis, ad quem per professionem religiosam pertinent; in diebus tamen festis missam pro populo celebrare debent ut in kalendario diœcesis; et similiter omnia publica officia, uti cantare vesperas, missas solemnes celebrare, etc., juxta kalendarium diœcesanum peragere tenentur (2).

Si Episcopus duabus præsit diœcesibus, quæ diversum officii divini habent ordinem, uti potest jure suo quoad recitanda officia (3). Sed recitare debet officia SS. Patronorum principalium vel aliorum sanctorum sub ritu quo recoluntur in diœcesi in qua actu moratur (4).

Not. 3° quoad kalendarium proprium archidiœcesis Mechl. a S. R. C. approbatum 20 Jul. 1838, et ab Emo Dom. Engelberto archiep. Mechl. p. m. 13 Nov. 1838 ad totam diœcesim extensum. Licet clerici aliarum diœcesium in diœcesi Mechl. habitantes aut commorantes Archiepiscopo stricte subjecti non sint, cum a proprio Episcopo revocari possint, et ipsis ad propriam diœcesim redire liceat, ideoque ad proprium diœcesanum, quod Archiepiscopi subjectis tantum præcipitur, ex hac ratione stricte obligati dicendi non sint, equidem si in archidiœcesi Mechl. domicilium habeant, juxta dictum kalendarium officia diœcesana recitare tenentur, et si tantum aliquo tempore ibidem morentur, eidem etiam proprio diœcesano sese conformare possunt, ut dicetur n. 228.

Not. 4° aliquando aliquam ecclesiam ab uno ordine ad alium transire, aut etiam de regulari fieri sæcularem; et eo casu officia ordinis propria, olim celebrari solita a regularibus, qui prius dictam ecclesiam administrabant, ab aliis alterius ordinis aut a sæcularibus quibus tandem ea cessit, minime deinceps esse recitanda (5).

(1) S. R. C. 11 Junii 1605, n. 181.
(2) S. R. C. 7 Ap. 1876, n. 3397, 1.
(3) S. R. C. 17 Jan. 1880, n. 3508.
(4) S. R. C. 28 Maii 1898, n. 3993.
(5) Guyetus lib. 1, c. 14, in initio.

Digitized by Google

Not. 5° si aliquod officium in kalendario proprio est assignatum, illudque ab Episcopo et clericis persolvitur; ad illius recitationem omnes etiam teneri, quibus permissum non est de illius licentia dubia excitare : nam ad loci ordinarium et officiorum directorem attinet de hac investigare et inquirere, si opus sit. Notandum tamen : 1° hoc intelligendum esse de kalendario seu directorio ab ordinario debite approbato, et 2° tantum agi de casibus controversis, aut solummodo ab auctoribus admissis, non autem de illis qui rubricis missalis aut breviarii aperte repugnant, ut patet ex decreto 27 Aug. 1836 (1).

Jus eligendi personam pro confectione kalendarii spectat ad Episcopum, vel ad capitulum vel ad primam ejus dignitatem juxta consuetudinem; generaliter vero committitur præfecto cæremoniarum, qui kalendarium efformare debet juxta rubricas missalis ac breviarii Romani ac decreta Sacræ Rituum Congregationis (2).

(1) N. 2747, ad V, VI et VII.

(2) 20 Mart. 1869, n. 3201, V.

Modus faciliter et exacte componendi annuum kalendarium hoc loco inserendus videtur. Ante omnia conficienda sunt duo kalendaria perpetua, in quorum uno breviter describuntur omnia festa seu officia, diebus mensis assignata, a prima Januarii usque ad finem Decembris, cum commemorationibus simplicium, octavarum, vigiliarum, et cum omnibus aliis notandis; in altero de tempore describuntur omnes dominicæ et feriæ totius anni, initia sacræ Scripturæ, officia dominicis et feriis affixa, ac alia si quæ sint notanda in dominicis et feriis. Hæc duo kalendaria tempus et curam diligentem requirunt; necessaria autem sunt instrumenta, quibus artifex indiget, et quorum defectu opus perfectum producere non poterit. Ad annuum jam componendum kalendarium, conjungantur tria folia chartarum, quæ igitur duodecim paginas continent, unam scilicet pro quolibet mense. In unaquaque pagina ducantur tot lineæ, quot dies in mense numerantur, videlicet in prima pagina 31, quia 31 dies habentur in Januario, in secunda 28 vel 29 in anno bissextili, in tertia 31 juxta numerum dierum in Martio, et sic deinceps. Deinde initio linearum in singulis paginis scribantur omnes dies cujuslibet mensis. Tum propriis diebus notentur septuagesima, dies cinerum, pascha, ascensio, pentecostes, Corpus Christi, et consequenter omnes dominicæ ac feriæ ab initio usque ad finem anni. Tantem noten-

Digitized by Google

Not. 6° indulta recitandi officia particularia, ab Apostolica Sede toti dominio facta, non obstante mutatione dominii ipsius, in suo robore perseverare (1).

209. R. III. Officium recitandum est juxta kalendarium propriæ ecclesiæ, cui quis est adscriptus. Ad hoc kalendarium spectant quæ ex speciali Sedis Apostolicæ aut S. R. C. licentia ecclesiæ sunt concessa; item quæ juxta rubricarum regulas et generalia S. R. C. decreta ecclesiæ vere sunt propria.

Officia alicui ecclesiæ vel loco propria sunt titulus aut patronus regni, provinciæ, civitatis, oppidi vel pagi; titulus seu patronus ecclesiæ; dedicatio propriæ ecclesiæ; officium ratione corporis vel insignis reliquiæ; titularis et dedicatio ecclesiæ cathedralis; officia ex speciali concessione, item ex legitima consuetudine; de quibus omnibus in sequentibus singulatim agetur.

Notandum autem quoad officia alicui loco aut ecclesiæ propria seu specialiter concessa, hæc sine speciali concessione numquam extendi ad alia loca, ordines aut ecclesias (2), neque ad clerum civitatis (3), neque ad alios quoscumque, qui sub concessione non comprehenduntur.

tur omnia festa seu officia certis dominicis aut feriis affixa. His factis, breve componitur kalendarium, in quo tantum describuntur officia singulis diebus occurrentia cum commemorationibus, bene autem observando, officium in propria die impeditum, statim annotandum esse in distincto aliquo folio, cum designatione diei, in qua impeditur, et ritus sub quo celebrandum est. Die vacua occurente, requiratur in hoc folio distincto, quodnam officium hac die reponendum sit; eo autem reposito, in folio distincto mox notandum est, qua die idem officium assignatum fuerit. Hoc brevi facto kalendario, quod est tantum opus unius aut alterius diei, cum securitate et certitudine componitur kalendarium annuum cum omnibus notandis, prout in duplici kalendario perpetuo descripta, et præ oculis posita cernuntur. Hoc solum notandum restat, in correctione foliorum impressorum, non omnia simul examinanda esse, sed singula singulatim, v. g. numerum mensis, dies hebdomadæ, commemorationes, colorem, etc.

(1) S. R. C. 7 Aug. 1875, n. 3362.

(2) Decr. Urbani VIII quod habetur initio breviarii, et 28 Oct. 1628, n. 477, 6.

(3) S. R. C. 4 Dec. 1688, n. 1805.

Digitized by Google

Not. aliud quandoque officium seu partem ejus v. g. vesperas, sive ratione festi quod ex devotione celebratur sive ex fundatione, ultra officium diei cantari posse, etiam cum unica oratione, sic tamen ut per illud obligationi horarum canonicarum non satisfiat (1).

DE OFFICIIS SEU FESTIS EX CONSUETUDINE (2).

210. Prænotandum officia seu festa ex consuetudine dari, ut patet ex rubricis breviarii tit. I, n. 1, tit. II, n. 1, tit. V, n. 1, et tit. VII, n. 1. « Quo vero ad officia, quæ recitantur ex consuetudine, servandas esse bullas s. Pii V (septimo Idus Julii 1568), Clementis VIII (10 Maji 1602) et Urbani VIII (25 Jan. 1631), in breviario impressas » ut constat ex decreto posito in breviario, ubi « S. R. Congregatio declaravit et decrevit, non potuisse post bullam s. Pii V de breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam seculares quam regulares, addere kalendariis, etiam propriis, sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ breviarii Romani rubricis, vel S. R. C. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur : neque propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in kalendario Romano seu rubricis breviarii, in altiorem ritum : neque extendere concessa officia de loco ad locum. » Quod decretum Urbanus VIII approbavit, et ubique servari præcepit (3) : quo decreto omnis omnino consuetudo contraria, sive præsens sive futura extincta est, quia consuetudo semel lege reprobata amplius induci, aut rationabilis dici non potest (4). Ita ut « consuetudo huic decreto contraria, non possit abrogare decretum » (5), seu, quod idem est, consuetudo decreto contraria sit contra legem, et nihil valeat;

(1) S. R. C. 12 Sept. 1841, n. 2842; 7 Aug. 1875, n. 3363, X.

(2) Hic non agitur an officia propria vel de communi recitanda sint, de hoc vid. infra n. 252.

(3) 13 Jan. 1631, n. 555.

(4) Guyetus lib. 1, c. 13, q. VI.

(5) S. R. C. 20 Nov. 1677, n. 1603, 3.

Digitized by Google

et sola consuetudo decreto non contraria sustineri queat. Hinc sequitur :

211. Consuetudo recitandi officium, quod non habetur in kalendario Romano, nec per rubricas præscribitur vel recitandi altiori ritu, quam ibidem notatur, introducta post bullam s. Pii V, servari non potest, licet etiam per centum annos et ultra perduraverit (1).

212. Circa servos Dei, cum fama sanctitatis defunctos, sed neque formaliter neque æquivalenter beatificatos, servanda est constitutio Urbani VIII 5 Jul. 1634 (2), et circa beatos nondum canonizatos servandum est decretum Alexandri VII, 27 Sept. 1659 (3); quibus requiritur, ut per immemorabilem temporis cursum, vel per tempus centum annorum metam excedens de iisdem sit recitatum officium; et si a centum annis citra cultus aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, in pristinum reduci jubetur. Requiritur igitur, ut consuetudo recitandi officium de servo Dei sit introducta ante annum 1534, et illa de beato ante annum 1559.

213. Licet consuetudo, ut dictum est, debeat esse introducta quoad sanctos canonizatos ante annum 1568, quoad beatos ante 1559, et quoad servos Dei ante 1534, si tamen habeatur consuetudo immemorabilis, de cujus initio nulla reperitur memoria, sed prout sciri potest, quæ semper et constanter viguit; officium sive de canonizatis sive non canonizatis continuari potest, quamvis certo non constet, quod hos annos tempore præcedat (4). Ratio est, quia, cum sancti hujusmodi sint in pacifica immemorabili officii possessione, exspoliari non debent, nisi probetur possessio illegitima, præsertim quia præsumendum non est, majores nostros in introductione et continuatione officii defectum aut delictum

(1) S. R. C. 25 Sept. 1649, n. 924, 5; 7 Aug. 1875, n. 3365, 1; Guyetus lib. 1, c. 13, q. 4 et 6; Cavalieri tom. 2, dec. 341 et cap. 44.

(2) Apud. Luc. Ferr. *veneratio sanctorum,* n. 45-47.

(3) N. 1130.

(4) S. R. C. 11 Junii 1605, n. 179, 4; 28 Oct. 1628, n. 477, 1; 20 Dec. 1692, n. 1888; 7 Maji 1746, n. 2390, 1.

Digitized by Google

commisisse (1). Ut ob immemorabilem officium recitari valeat, decretum cit. 7 Maji 1746 requirit ut festum in martyrologio Romano sit descriptum; cum autem decretum posterius supra cit. 29 Mart. 1783, officium de sanctis non descriptis in martyrologio expresse permittat, modo celebratio invecta sit ante Bullam s. Pii V, idem permitti dicendum est de sanctis, quorum officium ob immemorabilem recitatur, licet in martyrologio Romano descripti non sint (2).

214. Officia ex consuetudine introducta ante Bullam s. Pii V aut ex immemorabili, ut modo dictum est, servari possunt; dubium tamen non est, quod tempore receptionis breviarii Romani supprimi potuerint, prout plura suppressa fuisse constat (3). Dubitatur autem, an hucusque servata retineri debeant, et supprimi nequeant : censet Cavalieri (4) ea esse retinenda, quia sunt in possessione, et officia consuetudinis per rubricas breviarii Romani probantur; et sic S. R. Congregatio (5) respondit, « quoad officium servandam esse consuetudinem »; negat autem Guyetus (6).

215. Hæc quæ de consuetudine dicta sunt, comprehendere etiam breviaria tolerata a s. Pio V, excedentia bis centum annos, patet ex brevi Gregorii XVI et decr. S. R. C. 28 Oct. 1628, allatis n. 203.

216. Per decretum novæ circumscriptionis diœcesium Galliæ 9 Apr. 1802, omnes et singulæ parochiales ecclesiæ cum suis titulis suppressæ perpetuo declarantur (7); an ergo officia v. g. secundaria titularium seu patronorum, quæ in quibusdam ecclesiis, ad quas diœcesium circumscriptio in territorio reipublicæ Gallicanæ extenditur, ex consuetudine et forte ex indulto recitabantur, etiam suppressa dicenda sunt?

(1) Cavalieri tom. 2, dec. 381, n. 7.

(2) Vid. Cavalieri tom. 2, append. ad cap. 44, dec. 3; *questions discutées à l'académie liturg.* a Monte Citorio 19 Dec. 1855, n. 33-45.

(3) Guyetus lib. 1, c. 10, q. 5.

(4) Tom. 2, dec. 384, n. 4; *questions discutées à l'académie liturg.* a Monte Citorio 19 Dec. 1855, n. 52 et 53.

(5) 3 Dec. 1672, n. 1454.

(6) Lib. 1, c. 13, q. 5.

(7) Epistolæ pastorales diœc. Mechl. tom. 1, fol. 17, 43 et 69.

Digitized by Google

R. Notandum est, non dubitari posse, per titulos in præfato decreto intelligi titulares seu patronos, quia in eodem decreto paulo inferius *titulo* adjungitur *invocatio*, cujus significatio solis convenit patronis; et quia etiam constat, alios titulares quibusdam ecclesiis virtute præfati decreti de facto assignatos esse, hancque assignationem validam fuisse (1). Si igitur cum ecclesiarum parochialium suppressione pariter earumdem titulares seu patroni per auctoritatem pontificalem suppressi sint, ita ut de his officium tanquam de patronis amplius recitari nequeat, dicendum etiam est officia secundaria eorumdem patronorum cessare et suppressa esse. Verum quidem est in suppressione ecclesiarum parochialium non addi, sicut in suppressione diœcesium, supprimi, annullari et perpetuo extingui *titulum, denominationem, totumque statum præsentem, una cum respectivis juribus, privilegiis, et prærogativis cujuscumque generis;* at dicendum est, per puram et simplicem ecclesiarum parochialium suppressionem satis exprimi, suppresso principali, etiam supprimi accessoria. Obstare etiam non potest, eosdem titulares eisdem iterum ecclesiis assignatos esse : inde enim tantum sequitur, titulares celebrandos esse cum ritu juxta rubricas competente, non autem cum officiis secundariis, quæ ex speciali concessione aut ex immemorabili consuetudine tantum permittuntur; hæ autem concessiones aut consuetudines ante 1802 existentes, per ecclesiarum suppressionem extinctæ sunt, et semel extinctæ sine nova concessione non restituuntur. Consuetudo ab anno 1802, hucusque continuata, legitima etiam esse nequit, quia, ut servari valeat, requiritur ut ante bullam s. Pii V 1568 sit introducta, vel ut saltem sit immemorabilis, ut supra dictum est, qualis hæc non est, quæ tantum ab anno 1802 incipitur; cum enim tunc legitime interrupta et extincta fuerit, anni præcedentes computandi non sunt.

(1) S. R. C. 11 Mart. 1845, n. 2855.

Digitized by Google

DE PATRONO LOCI EJUSQUE OFFICIO.

217. Quis hic intelligitur per patronum loci?

R. Patronus vel etiam titulus legitime constitutus (1) regni sive provinciæ, civitatis, oppidi vel pagi juxta constitutionem Urbani VIII (2); item status, ducatus, patriæ, quocumque nomine appelletur (3). Si habeatur patronus regni sive provinciæ, et alter civitatis, oppidi vel pagi, utriusque festum eodem ritu celebrandum est.

Non autem intelligitur patronus diœcesis, de quo vide n. 225, neque patronus seu titulus parochiæ vel ecclesiæ parochialis, quamvis hujus festum ex devotione in populo celebretur, et quamvis parochia integrum oppidum aut pagum constituat, et alius illius loci patronus non sit constitutus; quia licet patronus oppido et pago conveniat, non tamen necessario eumdem habent, ut patet ex citata constitutione Urbani VIII, quæ dicit § 2 : « Ubi hos patronos haberi et venerari contigerit » sicut etiam de facto plura oppida et pagi patrono carent. Ita ut patronus parochiæ seu ecclesiæ parochialis, nisi simul sit patronus civitatis oppidi aut pagi legitime electus et constitutus juxta decr. S. R. C. 23 Mart. 1630 (4) aut ex immemorabili consuetudine ante dictum decretum tanquam talis celebratus fuerit (5), ab adscriptis illius ecclesiæ tantum celebrari possit et debeat, ut dicetur num. 220 (6).

218. Quinam tenentur ad officium principalis patroni loci, et quo ritu?

R. 1° Omnes clerici sæculares ad horas canonicas obligati, ejusdem loci incolæ, sive adscripti servitio alicujus ecclesiæ, sive non, tenentur sub ritu dup. 1 cl. cum octava (7).

(1) Vide tom. III, n. 120.
(2) 1642, n. 812.
(3) S. R. C. 22 Mart. 1817, n. 2576.
(4) N. 526.
(5) S. R. C. 11 Aug. 1877, n. 3431, p. 1, V.
(6) S. R. C. 14 Feb. 1705, n. 2148, 3; 15 Sept. 1742, n. 2369.
(7) S. R. C. 16 Mart. 1663, n. 1254, et 15 sept. 1742, n. 2369.

Digitized by Google

2° Regulares, sive sint monachi et mendicantes, sive clerici regulares, atque moniales ad horas canonicas obligatæ, sive utentes breviario Romano sive proprio, sive ordinario subjectæ, sive non, tenentur sub ritu dup. 1 cl. in die festo, sed sine octava (1).

Not. 1° regulares et moniales octavam patroni loci celebrare aut recitare non posse, nisi id specialiter indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicæ vel constitutionis religionis a Sede Apostolica approbatæ (2). Not. 2° per octavam, quam regulares et moniales celebrare non possunt, intelligi non tantum diem ultimam, seu stricte dictam diem octavam, sed etiam omnes dies infra octavam : ita ut tantum celebrare possint diem festum, et nihil ultra (3).

DE TITULO SEU PATRONO ECCLESIÆ NON CATHEDRALIS, EJUSQUE DEDICATIONE.

219. In quibusvis Ecclesiis publicisque oratoriis, vel consecratis vel saltem solemniter benedictis, relativum Titularis festum, necnon dedicatio, quotannis recolenda sunt sub ritu duplici primæ classis cum octava. Pro ecclesiis et oratoriis publicis, ad effectum celebrandi Titularium Festa, illæ sacræ ædes sunt intelligendæ, quæ pro missis celebrandis sacrisque aliis, etiam solemnioribus, functionibus peragendis ab Ordinariis locorum destinatæ, vel consecrantur vel solemniter benedicuntur, ut publico fidelium usui libere plus minusve deserviant. In Oratoriis autem, quæ existunt in ædibus episcopalibus, Seminariis, Hospitalibus Domibusque Regularium, relativum Titularis Festum non celebrabitur, nisi in casu quo aliqua ex iis consecrata vel benedicta solem-

(1) Ita bulla Greg. XIII, 30 Dec. 1573; 20 Mart. 1685, n. 1708, 4; Cavalieri tom. 1, dec. 37.

(2) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 1708, 5, et 11 Feb. 1702, n. 2092, 1.

(3) Gardellini in dec. 2633, 3.

Digitized by Google

niter fuerint (1). Ecclesiæ et oratoria publica intelliguntur juxta normam decreti S. R. C. 23 Jun. 1899 (2). Etenim ut vera sit ecclesia, requiritur : 1° ut publico fidelis populi usui deserviat; si enim non tam libero fidelis populi usui, quam alicujus familiæ vel collegii commoditati destinata videatur, capella tantum publica dicenda est, licet in via publica etiam ingressum habeat (3); 2° ut sit independens et alii ecclesiæ non subjecta, ita ut verbi divini prædicatio, Sacramentorum administratio aliaque munia ecclesiastica jure proprio et non subsidiario ibidem peragantur (4). Veræ igitur ecclesiæ sunt cathedrales, collegiatæ, parochiales, conventuales et etiam aliæ, modo libero populi usui deserviant, et alteri non subjiciantur. Tales autem non sunt capellæ seu oratoria publica, quæ in nosocomiis similibusque locis existunt, quia non tam libero populi usui quam aliquorum commoditati destinata

(1) S. R. C. 5 Jun. 1899, n. 4025.

(2) N. 4007.

(3) S. R. C. 23 Jun. 1899, n. 4007; Van Gameren, de oratoriis p. 1, cap. 2.

(4) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, 3 et 4, ut sequitur : « Ecclesia collegiata habet quatuor alias ecclesias sibi subjectas, et totidem sacerdotes, unum ab alio independentem, pro servitio harum quatuor ecclesiarum. Sed isti sacerdotes in suis respective ecclesiis dumtaxat pro commoditate populi concurrentis missam celebrant, pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta administrant, concionem habent, catechismum explicant, et alia ecclesiastica munia explent. Verum nequeunt administrare Sacramentum baptismi, communionem paschalem, viaticum infirmis, sepulturam defunctis dare, neque habent tabernaculum ss. Sacramenti. Unde fideles his quatuor sacerdotibus subjecti tenentur adire ecclesiam collegiatam, ut in pascha satisfaciant præcepto annuæ communionis, ut infantes baptizentur, et infirmi sacro reficiantur viatico, ut fiat officium sepulturæ, et tumulentur defuncti. Quæritur ergo an ii quatuor sacerdotes sint veri parochi, et an istæ ecclesiæ possint celebrare officium cum missa de suo respective sancto titulari, tamquam ecclesiæ parochiales, et quidem sub ritu primæ classis et cum octava : vel potius dicendæ sint capellæ publicæ, in quibus juxta decretum S. R. C. diei 12 Nov. 1831, festum titularis non debet celebrari sub ritu dup. 1, cl. cum octava? Rescripsit et declaravit S. R. C. *Negative ad utrumque, et servetur decretum dici 12 Nov. 1831.* » S. R. C. 11 Aug. 1877, n. 3431, p. 1, VII. Vid. Van Gameren loco cit.

Digitized by Google

videntur (1); neque capellæ seminariorum, nisi sint consecratæ, veræ sint ecclesiæ, et pateant fidelibus (2).

2° Requiritur ad officium dedicationis, ut ecclesia sit consecrata (3); ad officium autem titularis requiritur et sufficit ut sit consecrata vel benedicta (4).

3° Requiritur ut ecclesiæ aliquis clerus sit adscriptus (5). Unde in decretis dicitur, quod clerus ecclesiæ parochialis, intra cujus parochiæ fines alia ecclesia consecrata existit, cui nullus clerus est addictus, non debeat nec possit recitare officium missamque anniversarii dedicationis et titularis illius ecclesiæ cum octava.

(1) Non obstat sequens decretum : « Redactor-Kalendarii liturgici diœceseos Mechlinien. a S. R. C... petiit : juxta decretum S. R. C. 12 Nov. 1831, celebrari non debet ritu dup. 1 cl. cum *Credo* et octava festum titularis capellarum publicarum, quæ existunt in hospitalibus domibusque regularium. Verum existunt in diœcesi Mechliniensi plura hujusmodi oratoria benedicta, quandoque etiam consecrata, quibus unus saltem sacerdos tamquam director seu pastor adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii non tantum ibidem celebrat, sed et munia quædam pastoralia exercet, v. g. instruendo populum, aliqua Sacramenta administrando, etc. Quæritur ergo an sub decreto supracitato comprehendantur etiam prædicta oratoria? Cui quidem dubio S. R. C. die 7 Dec. 1844 respondit : Negative juxta decretum diei 12 Dec. 1831. Jam vero quum in indice collectionis decretorum authenticorum S. R. C. decretum istud Mechliniense indicetur hoc modo : Titulares oratoriorum seu cappellarum publicarum non sunt colendi ritu 1 cl. cum octava, sacerdos... declarari petiit, quid in praxi tenendum a sacerdotibus adscriptis capellis, in quibus ex speciali commissione Ordinarii munia quædam pastoralia exercent? S. R. C... respondendum censuit : Standum decisioni prout continetur in laudato decreto diei 7 Dec. 1844 ad dubium II, et non sensui qui eidem decreto tributus fuit per errorem a compilatore indicis 26 Mart. 1850, n. 5280. » Hoc decretum, ut jam dictum est, supradictis non obstat conclusionibus, quia, nisi capellæ libero populi fidelis usui deserviant, ecclesiarum jure gaudere nequeunt. De cœtero decretum istud antiquitus n. 5280 a nova collectione expunctum fuit.

(2) S. R. C. 27 Feb. 1847, n. 2939, 3 et 5; 28 Sept. 1872, n. 3279; 27 Maji 1876, n. 3400, IV; 29 Nov. 1878, n. 3471.

(3) Vid. tom. III, n. 115.

(4) S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3257; Cavalieri tom. 1, dec. 25; in posteriori autem decreto 21 Ap. 1873, n. 3296, benedictio non excluditur.

(5) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 33.

Digitized by Google

Cum peteretur, quomodo in Americanis missionibus festum patroni ecclesiæ foret celebrandum, S. R. Congregatio respondit, illud celebrandum esse quoad missam, si in ecclesiis commode celebrari valeat, et etiam quoad officium, si qui clerici ad horas canonicas obligati, vel saltem ex ipsis unus iisdem ecclesiis sint adscripti (1).

220. Quinam tenentur, et quo ritu, ad officium patroni seu tituli ecclesiæ non cathedralis, ejusque dedicationis?

R. 1. Omnes, quibus ecclesia vere est propria, tenentur sub ritu duplici 1 cl. cum octava. Tales sunt, qui ecclesiæ stricte adscripti sunt, ut dicetur n. 227, aut in eadem beneficium licet tenue possident (2); item professores et seminaristæ in majoribus constituti ordinibus, si publica seminario annexa sit ecclesia, ut supra dictum est.

2. Alii autem clerici, qui ecclesiæ stricte adscripti non sunt, nec in ea beneficium aliquod possident, non tenentur, neque possunt recitare officium titularis et dedicationis ecclesiæ non cathedralis (3).

Quoad clerum archidiœcesis Mechliniensis, S. R. C. (4) servari mandavit, ut ad uniformitatem in toto clero obtinendam, anniversarium dedicationis ecclesiæ metropolitanæ et omnium ecclesiarum, quod in cumulo celebratur in dominica post octavam omnium sanctorum ex indulto pro reductione festorum 9 Ap. 1802, celebretur sub ritu dup. 1 cl. cum octava, ut in cathedrali et civitate Mechl. ab omnibus obligatis ad horas canonicas, etiam ab illis, qui nulli ecclesiæ sunt adscripti, vel qui adscripti sunt ecclesiæ non consecratæ, absque ulla speciali commemoratione ecclesiæ metropolitanæ. Notandum autem est, si missa celebretur in ecclesia non consecrata, omnia verba, quæ in secreta missæ inter parenthesim ponuntur, esse omittenda.

(1) S. R. C. 28 Sept. 1872, n. 3278.

(2) S. R. C. 15 Sept. 1742, n. 2369.

(3) Dec. cit. et 13 Jan. 1631, n. 555, ut habetur initio brev.; 5 Oct. 1697, n. 1983; 13 Sept. 1704, n. 2144, 5; 7 Dec. 1844, n. 2872, 1; 23 Maji 1846, n. 2915, 3; 29 Mart. 1851, n. 2986, 3.

(4) 1 Sept. 1838, n. 2784, 2.

Digitized by Google

3. Regulares et moniales, etiam ordinario subjectæ, non debent, nec possunt, etiam in die festo, recitare officium titularis et dedicationis ecclesiæ non cathedralis, sub cujus parochia versantur, quamvis etiam sit festum devotionis in populo, aut per longum tempus officium recitare consueverint (1).

221. An capellani ecclesiarum, item capellani seu directores religiosorum et monialium possunt et debent recitare officium titularis et dedicationis?

R. 1. Capellani, qui simpliciter obligantur ad missæ celebrationem, de iisdem officium recitare nequeunt, nisi aliunde ecclesiæ stricte adscripti sint, ut dicetur n. 228 (2).

2. Capellani, quibus cura spiritualis alicujus ecclesiæ a legitima et competente auctoritate integre commendatur, causa administrandi sacramenta, instruendi populum, officia ecclesiæ celebrandi, aut alia peragendi, quæ ad curam spiritualem pertinent, ad officia titularis et dedicationis obligantur, quia eo casu sunt veri ecclesiæ rectores (3).

3. Capellani quarumcumque monialium de prædictis officium recitare nequeunt. Id intelligendum est : 1° de illis qui apud easdem missam solummodo celebrant; 2° de directoribus seu rectoribus hospitalium domuumque religiosorum aut monialium ad chorum non obligatarum, licet etiam ex speciali commissione legitimæ auctoritatis non tantum missam ibidem celebrant, sed et munia quædam parochialia exercent, uti populum instruere, Sacramenta ministrare, etc. quia publica non est, ut supra dictum est, quam administrant ecclesiam; 3° de monialium ad chorum obligatarum rectoribus, qui præter missæ celebrationem, earum confessiones audiunt, iisdem Eucharistiam præbent, cæteraque peragunt, quæ parochus ipse faceret; hi in missæ celebratione officio monialium sese quidem conformare debent, ut

(1) 14 Feb. 1705, n. 2148. 3; 12 Sept. 1840, n. 2822, 2.

(2) S. R. C. 11 Maji 1593, n. 30; 5 Oct. 1697, n. 1983; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 46.

(3) Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 23.

Digitized by Google

dictum est tom. I, n. 98, officium tamen de prædictis verosimiliter recitare nec debent nec possunt, quia ecclesia potius privative propria censetur monialibus, quæ propterea officium de titulari et dedicatione recitant (1).

Cui doctrinæ consonat decretum 23 Jan. 1903 Congregationis Fratrum Scholarum Christianarum. Ipsius procurator generalis expetivit an capellani fixi, qui a R. mo Ordinario designati, sunt addicti ipsorum domibus ad obeunda munera ministerii ecclesiastici, vel etiam sacerdotes qui locum tenent capellani in domibus Fratrum, et sacras functiones ibidem explent, et sacramenta administrant, — an teneantur ad recitationem officii proprii eidem Congregationi concessi in festo et per Octavam S. Joannis Baptistæ de la Salle. Et S. R. C. rescribendum censuit nec primos, nec alteros capellanos teneri in casu. Notandum est in quæsito nullum verbum fieri de ecclesia publica apud domum Fratrum erecta et ab ipsis Fratribus administrata. Quod si hujusmodi habeant, tum sacerdos rector illius ecclesiæ officium sub ritu duplici 1 classis cum octava celebrabit, non tantum S. Titularis illius ecclesiæ et dedicationis si est dedicata, sed et S. Joannis B. de la Salle Fundatoris persolvet cum officio et missa.

222. Ad quid tenetur sacerdos, adscriptus duabus ecclesiis, quoad officium dedicationis et titularis utriusque ecclesiæ?

R. Tenetur de utriusque dedicatione et titulari recitare officium sub ritu dup. 1 cl. cum octava (2), nisi alterutra ecclesia sit diruta : quo casu nihil de ecclesia diruta agere potest, nisi titulus transferatur ad altare in ecclesia existente, de quo tunc in ejus die festo officium sub ritu semiduplici fieri debet (3). Casus accidit in parocho, qui alternatim nunc in una, nunc in altera ecclesia officia celebrare tenetur; in illo, qui duas parochias regit, licet in una constanter resideat; item in illo, qui præter propriam ecclesiam, alteram habet

(1) Vid. Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 47, et tom. 2, dec. 361, n. 5-8.

(2) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2849; A Carpo *Kalendarium* c. 2, n. 18.

(3) S. R. C. 28 Oct. 1628, n. 477, 3; 5 Jul. 1698, n. 2002, 5; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. I-XI.

Digitized by Google

in deservituram. Notandum tamen : 1° sacerdotem utriquè ecclesiæ debere esse adscriptum; officium enim titularis et dedicationis ecclesiæ, cui nullus adscriptus est, recitari nequit ut supra dictum est, et 2° publicum officium et missas cantatas conformari debere ecclesiæ, in qua fiunt, absque respectu ad alteram (1).

Similiter qui duo habet beneficia, de utriusquè ecclesiæ titulari et dedicatione officium recitare debet (2).

DE PLURIBUS TITULIS AUT PATRONIS LOCI ET ECCLESIÆ.

223. Si sint tituli aut patroni æque principales, legitimè constituti, de quibus tom. III, n. 122 agetur, de illis ab iisdem eodem ritu officium recitandum est (3) ut numeris præcedentibus dictum est; si autem non sint æque principales, de principali tantum sub ritu dup. 1 cl. cum octava (4).

De secundario seu minus principali titulari aut patrono loci vel ecclesiæ officium sub ritu duplici majori faciendum est juxta tabellam duplicium majorum initio breviarii positam; semper tamen sine octava (5). De hoc titulari aut patrono minus principali officium recitare tenentur iidem clerici sæculares, qui tenentur de principali : regulares autem et moniales de secundario patrono loci non tenentur, nisi aliunde obligentur; et quamvis plures (6) laudabile censeant, si regularis officium patroni minus principalis loci recitent, certum tantum videtur, quod regulares de secundario loci patrono officium recitare nequeant, sive sit festum populi sive non, nisi concessio Apostolica extendatur ad regulares (7).

(1) S. R. C. 14 Dec. 1697, n. 1983. Vid. tom. 1, n. 97.
(2) Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. XII-XV.
(3) S. R. C. 15 Feb. 1873, n. 3289.
(4) S. R. C. 26 Mart. 1639, n. 669.
(5) S. R. C. 26 Mart. 1639, n. 669.
(6) Gavantus sect. 3, c. 12, n. 7; Merati ibidem; Lohner p. 1, tit. 6; n. 4; Cavalieri tom. 1, dec. 30, n. 64, et dec. 37, n. 16 et seq.
(7) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 1708, 1.

Digitized by Google

DE PATRONO SEU TITULARI DIŒCESIS, ET DEDICATIONE ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

224. Prænotandum patronum seu titularem diœcesis, civitatis episcopalis et ecclesiæ cathedralis posse esse eumdem, vel etiam duos aut tres diversos. Si plures sint, dubitari potest an officium de omnibus per diœcesim eodem ritu recitandum sit : considerando varia S. R. C. decreta, id affirmandum videtur ; nam decreta infra citata id præscribunt de patrono diœcesis (1), de patrono civitatis episcopalis (2), et de patrono seu titulari ecclesiæ cathedralis (3) : quæ decreta sibi invicem non adversantur, et quorum unum alterum non excludit. Præterea in decreto S. R. C. (4) declaratur, officium recitandum esse de proprio patrono principali; de titulari ecclesiæ cathedralis, et de protectore civitatis, ita ut patroni diœcesis, ecclesiæ cathedralis, et civitatis episcopalis distinguantur, et de omnibus officium eodem ritu recitandum præscribi videatur. Quoad praxim tamen dicendum : 1° vel agi de patronis seu titularibus legitime electis et constitutis, et de omnibus si fiat officium, juxta solitum continuari posse, quia in decreto citato solidum habetur fundamentum ; si autem non de omnibus, sed de uno tantum, v. g. de patrono diœcesis officium fieri soleat, non videri introducendum novum officium nisi cum facultate S. R. C., quia licet præfatum decretum præscribere videatur ut de omnibus officium eodem ritu fiat, illud tamen decretum particulare est, et nullo generali decreto nec rubrica præcipitur ut de omnibus singulatim idem officium recitetur ; 2° vel agi de novis patronis seu titularibus eligendis, et in hoc casu cum electio patronorum civitatis et diœcesis a S. R. C. approbanda et

(1) 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia ad 1 ; 5 Mart. 1825, n. 2638, 1, et breve Pii VII ad Episcopos utriusque Siciliæ 15 Oct. 1818, ibidem n. 2590.

(2) 28 Sept. 1658, n. 1095 ; 4 Sept. 1745, n. 2388, 1.

(3) 2 Sept. 1741, n. 2365, 3 ; 9 Maji 1857, n. 3050, 2 ; 27 Mart. 1859, n. 3081 ; 30 Jan. 1878, n. 3439.

(4) 20 Mart. 1683, n. 1708, 1.

Digitized by Google

confirmanda sit, attendendam esse concessionem et extensionem officii a S. R. C. factam (1).

225. Quinam tenentur et quo ritu ad officium patroni seu titularis ecclesiæ cathedralis, civitatis episcopalis et diœcesis?

R. 1° In civitate episcopali, et illis locis diœcesis, in quibus non habetur proprius loci patronus, tenentur clerici sæculares, sive adscripti alicui ecclesiæ sive non, sub ritu dup. 1 cl. cum octava; in locis autem, ubi peculiaris patronus regni, provinciæ, oppidi aut pagi colitur, nihil de illis fieri potest, nisi officium aliunde eisdem debeatur (2). Si tamen in locis, ubi peculiaris patronus habetur, de patrono diœcesis officium recitari soleat; attenta consuetudine officium sub duplici majori tantum sine octava, tanquam de patrono minus principali, fieri potest (3); et etiam sub ritu dup. 1 cl. cum octava ex consuetudine (4). Si ex consuetudine contraria in locis, in quibus peculiaris patronus non habetur, nihil de illis fieri soleat, officium sine facultate S. R. C. introducendum esse non videtur, quia illud officium non præcipitur in rubricis neque ullo generali decreto.

Si limites diœcesis mutentur, partes quæ alii diœcesi annexæ fuerunt, et alium diœcesis patronum habuerunt, hunc non amplius celebrare debent, sed solum generalem totius diœcesis patronum (5).

Not. quoad officium s. Rumoldi, patroni ecclesiæ cathedralis, civitatis et diœcesis Mechliniensis, illud a clericis sæcularibus ubique per totam diœcesim recitandum esse sub ritu dup. 1 cl. cum octava, ex concessione Apostolica 20 Jul. 1838, quia Sanctitas Sua proprium diœcesanum eo

(1) Vid. Analecta juris pontificii 1, sér. fol. 859-870, ubi hæc longe pertractantur, et contra *Revue théol.* 1856, fol. 571-579.

(2) S. R. C. 28 Sept. 1658, n. 1095; Breve Pii VII, 15 Oct. 1818, n. 2590; 5 Mart. 1825, n. 2638, 1; 12 Aug. 1854, n. 3028. Vid. Gardellini in dec. 2633, 1; Cavalieri tom. 1, dec. 35; 9 Maji 1879, n. 3493.

(3) Dec. cit. 28 Sept. 1658.

(4) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 38.

(5) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 3353.

Digitized by Google

modo, quo in exemplari jacebat, approbavit, atque a clero diœcesis Mechl. modo et ordine designatis legi ac recitari posse concessit, contrariis non obstantibus quibuscumque. Cum autem hæc concessio ad clerum sæcularem tantum extendatur, regulares diœcesis Mechl. mox dicendis sese conformare debent.

R. 2° Regulares et moniales totius diœcesis sive ordinario subjectæ, sive exemptæ, sive breviario Romano sive proprio utentes, tenentur sub ritu dup. 1 cl. in ipso die festo, sed sine octava, nisi octava ipsis specialiter sit indulta ex vi concessionis Apostolicæ vel propriæ constitutionis ab Apostolica Sede approbatæ (1). Dicitur *sub ritu dup. 1 cl.* juxta decreta citata, sed forte excipiendum est si regulares ex concessione Apostolica patronum proprii ordinis sub ritu dup. 1 cl. celebrent, in quo casu ad officium patroni diœcesis tantum sub ritu dup. 2 cl. tenentur.

226. Quinam tenentur et quo ritu ad officium dedicationis ecclesiæ cathedralis?

R. 1. In Ecclesia universali dedicatio ecclesiæ cathedralis in ipsa ecclesia cathedrali celebranda est sub ritu dup. 1 cl. cum octava, ut dictum est n. 220. Dubitatur autem quo ritu extra ecclesiam cathedralem a sæcularibus in civitate episcopali et diœcesi celebrari debeat : dicendum videretur sub dup. minori tantum sine octava, nisi immemorabilis adsit consuetudo recitandi officium dedicationis cathedralis in civitate et diœcesi sub dup. majori vel etiam sub dup. 1 cl. aut etiam cum octava in civitate episcopali. Attamen S. R. C. (2) decrevit : « teneri universum clerum ad formam rubricarum, et quidem sub ritu dup. 1 cl., in civitate cum octava, in diœcesi vero sine octava » (3).

R. 2. Regulares et moniales in ipsa civitate episcopali degentes, tenentur sub ritu dup. 1 cl. sed sine octava; degentes

(1) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 1708, 1 ; 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia 1 ; 7 Ap. 1832, n. 2691. 9 Apr. 1900, I et II. Vid. Gardellini in dec. 2633, 3.
(2) 19 Sept. 1750, n. 2409.
(3) Ita etiam Gavantus sect. 8, c. 5, n. 5, et Merati t. 1, p. 1, tit. XI, n. 8.

Digitized by Google

autem extra civitatem episcopalem, non tenentur ulla obligatione (1), nisi ex convenientia (2), uti si adsit consuetudo.

R. 3. In toto territorio reipublicæ Gallicanæ, prout erat annis 1802 et 1804, juxta indultum pro reductione festorum 9 Aprilis 1802 et decretum Cardinalis Legati 21 Junii 1804, anniversarium dedicationis ecclesiarum cathedralium et omnium consecratarum, in cunctis Gallicanis ecclesiis celebrantum est in dominica, quæ diem octavam festivitatis omnium Sanctorum proxime sequitur, sub ritu duplici primæ classis cum octava absque ulla speciali commemoratione ecclesiæ cathedralis : ita ut præterea nullum aliud anniversarium dedicationis, sive cathedralis sive alicujus ecclesiæ particularis, celebrari debeat aut possit, ut dicetur tom. 3, n. 114. Quod anniversarium eodem ritu celebrandum est, non tantum in ecclesiis consecratis, sed etiam non consecratis, et proinde sicut ab adscriptis alicui ecclesiæ, sic etiam a non adscriptis.

Regulares et moniales in eodem territorio ad anniversarium dedicationis in dominica post diem octavam Omnium Sanctorum etiam tenentur : 1° quatenus obligantur ad anniversarium dedicationis ecclesiæ cathedralis, ut supra dictum est, quæ in eadem dominica celebratur; 2° quatenus decernitur in indulto pro reductione festorum et in decreto Cardinalis Legati, in ea dominica celebrandum esse anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum consecratarum in cunctis Gallicanis ecclesiis.

In Archidiœcesi Mechliniensi, ut dictum est n. 220, anniversarium dedicationis ecclesiæ Metropolitanæ et omnium ecclesiarum, in dominica post octavam Omnium Sanctorum celebrandum est sub ritu duplici primæ classis cum octava ab omnibus clericis sæcularibus, sive adscriptis alicui ecclesiæ sive non, absque ulla commemoratione ecclesiæ Metropolitanæ.

(1) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia ad 1 ; 29 Jan. 1752, n. 2417, 1 ; 31 Aug. 1867, n. 3157, II.

(2) S. R. C. 7 Ap. 1832, n. 2691.

Digitized by Google

DISTINCTIO CLERICORUM QUOAD OFFICIA PARTICULARIA.

227. Qui ad horas canonicas obligantur, distingui possunt : 1° in sæculares et regulares. De his agetur num. 230.

2° Sæculares clerici in beneficiatos, simpliciter adscriptos alicui ecclesiæ, et non adscriptos.

3° Beneficiati in obligatos choro, et non obligatos choro.

4° Adscripti in stricte et non stricte adscriptos.

5° Non adscripti in clericos diœcesis, ad quam ex sua ordinatione vel habitatione pertinent, et in clericos, qui extra suam diœcesim vel locum habitationis versantur.

Stricte adscripti sunt, qui alicui ecclesiæ adscripti sunt ad Sacramenta ministranda, docendum populum, officia ecclesiæ celebranda etc. a legitima et competente auctoritate, cujus est adscribere; qualis auctoritas juxta disciplinam ecclesiasticam in his regionibus vigentem, regulariter tantum est ordinarius loci : adeo ut vi adscriptionis ipse adscriptus in illa ecclesia officia injuncta peragere debeat, et ipsi liberum non sit propria voluntate ecclesiam deserere. Tales ergo censendi sunt parochus, viceparochus, deservitor, coadjutor (1), sacrista seu custos aliique a legitima auctoritate ecclesiæ adscripti, ut in ea Sacramenta quædam ministrent, aut alias functiones constanter peragant (2).

Non stricte adscripti sunt, qui a competente auctoritate adscripti non sunt, sed sub parochia habitant, in ecclesia celebrant, confessiones excipiunt, aut aliud quodcumque sacrum ministerium exercent. Hi proprie adscripti dici nequeunt, cum nullus seipsum adscribat, et adscriptus nemo esse possit, nisi a competente auctoritate : et sic nunquam comprehenduntur, dum mentio fit de adscriptis, et omnia quæ de adscriptis dicuntur, intelliguntur de stricte adscriptis (3). Sic quum petitum esset « an omnes ecclesiæ parochiales, in

(1) S. R. C. 11 Aug. 1877, n. 3431, p. 1, dub. 1.

(2) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2872, 1; 11 Aug. 1877, n. 3431, p. 1, dub. I-IV; 18 Aug. 1877, n. 3433, III; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 20.

(3) Vid. Cavalieri tom. 1, dec. 14.

Digitized by Google

quibus adest solus parochus, vel vicarius pro servitio parochianorum, sed subjectus parocho in alia ecclesia commoranti, teneantur vel possint celebrare officium et missam de festo titulari ecclesiæ... sub ritu 1 cl. et octava, » rescripsit et declaravit S. R. C. *ad officium sancti titularis teneri parochum tantum* (1). Itaque S. R. C. directe non respondendo ad petitionem propositam, dat regulam generalem conformiter ad decreta citata, et declarat teneri parochum, viceparochum aliosque similiter ecclesiæ servitio strictim addictos; non autem alios, quocumque nomine appellentur, qui a competente auctoritate ecclesiæ stricte adscripti non sunt, licet pro commoditate parochianorum eidem inserviant.

228. Quæ officia particularia prædicti clerici recitare possunt et debent?

Prænotandum clericos sæculares teneri recitare officium patroni seu tituli loci et diœcesis, atque dedicationis ecclesiæ cathedralis, ut dictum est numeris præcedentibus; et hic tantum agi de patrono seu titulo, et dedicatione ecclesiæ non cathedralis, de officio ratione insignis reliquiæ, et aliis officiis ex speciali concessione et legitima consuetudine.

R. I. Beneficiati et canonici, choro obligati, tenentur recitare omnia officia ecclesiæ, et eodem ritu quo in choro dicuntur, etiam ubicumque existunt (2).

R. II. Beneficiati ad chorum non obligati, debent recitare officia patroni seu titularis ecclesiæ sui beneficii, dedicationis et insignis reliquiæ (3); non autem tenentur, sed recitare possunt officia, quæ in choro dicuntur ex consuetudine et speciali concessione (4). Simplices autem capellani, qui tantum adstringuntur ad quotidianam missæ celebrationem, officia particularia titularis, dedicationis, reliquiæ, aut alia recitare non possunt (5), nisi ecclesiæ stricte adscripti sint, aut aliquo modo ei de gremio inserviant (6).

(1) 23 Maji 1846, n. 2915, 3.
(2) S. R. C. 110; 12 Nov. 1831, n. 2682, 46.
(3) S. R. C. 15 Mart 1774, n. 2501.
(4) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 110.
(5) S. R. C. 5 Oct. 1697, n. 1983.
(6) S. R. C. 11 Maji 1595, n. 30.

Digitized by Google

R. III. Clerici stricte adscripti tenentur ad officium principalis et minus principalis patroni seu titularis ecclesiæ, ejusdem dedicationis, atque insignis reliquiæ, si de ea recitetur officium, item ad officia quæ ex speciali indulto Apostolico vel legitima consuetudine in ecclesia recitari solent, juxta decreta infra citata (1), in quorum ultimo parochus et viceparochus similesque dicuntur servitio ecclesiæ stricte adscripti, et supponuntur obligati ad dicta officia recitanda, etiamsi nulla adsit obligatio chori. Ad officia autem clericis choro addictis tantum concessa, non tenentur, nisi ad illos concessio extendatur (2). Ea tamen officia, quæ ecclesiæ sine expressa limitatione ad chorum simpliciter conceduntur, recitare possunt (3).

R. IV. Clerici non stricte adscripti, seu non adscripti, nec debent nec possunt recitare officia titularis et dedicationis ecclesiæ, aut alia particularia officia ecclesiæ, in qua celebrant, alias sacras functiones exercent, aut intra cujus parochiæ limites habitant, juxta decreta infra citata (4), in quorum ultimo declaratur, quod prædicti particularia ecclesiæ officia recitare non valeant, quia, ut ea recitare possint, *revera esse debent adscripti stricte servitio ecclesiæ, uti parochus et viceparochus.*

R. V. Clerici diœcesis, nulli ecclesiæ adscripti, non possunt recitare ulla particularia alicujus ecclesiæ officia, sed tenentur ad kalendarium diœcesanum, et proinde ad officia particularia, quæ in eodem pro universo clero diœcesis præscribuntur (5).

R. VI. Clericus ad horas canonicas obligatus, qui causa itineris, studii, vel aliis de causis extra patriam, diœcesim vel locum domicilii sui versatur, si sit :

(1) S. R. C. 20 Nov. 1677, n. 1603, 1 et 2; 15 Sept. 1742, n. 2369; 7 Dec. 1844, n. 2872, 1.

(2) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 110.

(3) S. R. C. 11 Maji 1593, n. 30. et 20 Nov. 1677, n. 1603, 4.

(4) S. R. C. 30 Aug. 1602, n. 110; 5 Oct. 1697, n. 1983; 15 Sept. 1742, n. 2369; 7 Dec. 1844, n. 2872, 1. Consonat S. R. C. decr. 5 Jun. 1899, n. 4025, IV.

(5) S. R. C. 14 Maji 1672, n. 1445; Cavalieri tom. 2, dec. 361, n. 12.

Digitized by Google

1° Episcopus, tenetur etiam absens recitare officium juxta ritum ecclesiæ, cui est ligatus (1). Ex speciali autem privilegio, quando reperitur in aliquo suæ diœcesis loco, officium patroni seu titularis, de quo ibidem recitatur, licite recitare, et sic præcepto recitandi officium satisfacere valet (2); similiter ecclesiam consecrans, etiamsi non sit ordinarius loci, officium dedicationis in ipso die consecrationis dicere potest: in neutro tamen casu debet (3).

2° Canonici et beneficiarii semper tenentur ad officium propriæ ecclesiæ a qua absunt (4).

3° Alii sacerdotes et clerici sæculares, ad horas canonicas obligati, qui alibi domicilium figunt, aut pergunt animo figendi domicilium, aut etiam juxta quosdam ibi manendi majori anni parte, tenentur sequi kalendarium diœcesis, ad quam divertunt, cum ejusdem subditi fiant (5). Si extra patriam aut diœcesim versentur animo ad propriam diœcesim redeundi, officio loci ubi morantur (6) generaliter conformari possunt, sed non debent; et certe suum officium melius retinebunt: 1° si ecclesiæ suæ maneant adscripti, uti parochus et viceparochus, qui æque ac Episcopus et canonicus ecclesiæ ligantur; 2° si de loco ad locum peregrinentur, quia in hoc casu sese conformare officio alterius loci, plus æquo inconstans divini officii ratio foret, pluribusque incommodis obnoxia ex multiplici officiorum occursu, concursu, repetitione et omissione; et 3° si per breve tempus in alio loco morentur, uti tempore exercitiorum spiritualium, in quibus exercitantes proprium retinent officium sine speciali indulto, quale datur in exercitiis sub directione Patrum Societatis Jesu, modo officium simul persolvatur (7); si autem alibi per longum

(1) S. R. C. 10 Jul. 1677, n. 1599, 2.
(2) S. R. C. 14 Mart. 1643, n. 827.
(3) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, 3; Cavalieri tom. 1, dec. 27.
(4) S. R. C. 10 Jul. 1677, n. 1599, 2 et 12 Nov. 1831, n. 2683, 46.
(5) S. R. C. 14 Maji 1672, n. 1445; Cavalieri tom. 2, dec. 361, n. XV; Gavantus sect. 2, c. 2, n. 16; Quarti p. 1, tit. 14, dub. 2, in fine.
(6) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2683, 46.
(7) Indultum 7 Jul. 1864. *Nouvelle Revue théolog.*, t. 3, fol. 315.

Digitized by Google

tempus morentur, officio istius loci sese medius conformabunt (1). Sæculares tamen sacerdotes in monasteriis degentes, sine indulto neque religiosorum officium assumere, neque horas canonicas juxta illorum ritum recitare valent (2).

4° Si sit regularis, « in itinere sequendus divini officii ordo cœnobii, ex quo discessit : dum pervenit, et manet in altero cœnobio, etsi ad tempus, hujus ordinem officii sequatur » (3). Et ita rescripsit S. R. C. (4) regularibus semper sequendum esse ordinem officii juxta cœnobium, in quo moram faciunt etsi ad tempus, quia ubique choro interesse tenentur. » Quod, ut liquet, intelligendum est non de omnibus regularibus indiscriminatim, sed de illis solis qui officium divinum in choro recitant (5). Item « tempore quadragesimæ divini verbi præcones commorantes extra cœnobium, non tenentur se conformare ordini divini officii cœnobii vicinioris, vel ejus ex quo discesserunt, et ad quod redire post pascha debent, sed se conformare debent ad provinciæ kalendarium sine ulla diversitate pro omnibus quolibet anno extensum » (6).

5° Clericus assistendo publico officio, vel aliquibus horis, ut vesperis in ecclesia, in qua diversum a suo recitatur officium, certo satisfacit, si assistat ex officio (7) : quidam ipsum semper satisfacere dicunt, licet casu fortuito et sua sponte assistat; Collet autem (8) hoc restringit ad illum, qui ad officium vocatus aut invitatus fuit.

229. Not. 1° si quis infra annum transeat ab uno ad alium conventum, vel ab una ad aliam ecclesiam, sive ad tempus, sive perpetuo ibi moraturus; illum etiam in privata officii recitatione se conformantem kalendariis conventus vel ecclesiæ in qua actualiter moratur, satisfacere oneri recitationis

(1) S. R. C. 30 Sept. 1596, n. 61; Cavalieri loco cit.
(2) S. R. C. 28 Aug. 1846, n. 2917.
(3) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2801, 1.
(4) 25 Sept. 1852, n. 3001.
(5) S. R. C. 18 Sept. 1877, n. 3436, II.
(6) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2801, 2.
(7) S. R. C. 5 Oct. 1697, n. 1985; Cavalieri tom. 1, dec. 26, n. 34.
(8) *Traité de l'off. div.*, p. 1, ch. 3, n. X.

Digitized by Google

horarum canonicarum; et 2° si quis ob mutationem domicilii vel ob alias causas legitimas officium suum mutare debeat, officium tamen juxta matutinum et horas modo recitatas continuandum esse usque ad vesperas (1). Si quis igitur infra annum ab uno ad alium locum seu ab una ad aliam ecclesiam transeat, suum recitat officium juxta kalendarium seu directorium loci vel ecclesiæ ad quam pervenit, neglecto kalendario loci vel ecclesiæ a qua discessit, etsi unum officium hoc anno omittere, et aliud bis legere debeat : hoc clare patet, si in loco vel ecclesia ad quam hic accedit, officium publice fiat; in hoc casu manifestum est, ipsum obligari ad officio publico sese conformandum : et consequenter cum officium privatum eodem modo recitandum sit, idem de eodem dicendum est. Præterea in rubricis et decretis nihil occurrit, quod probet, officium in hoc casu non posse omitti, et aliud non bis recitari.

DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS QUOAD OFFICIA PARTICULARIA.

230. Regulares et moniales, sive ordinario loci subjiciantur, aut breviario Romano utantur, sive non :

1° Tenentur ad particularia officia ordinis, item ad officium titularis et dedicationis propriæ ecclesiæ (2), et ad alia, quæ sive ratione insignis reliquiæ, sive ex speciali indulto aut legitima consuetudine ibidem recitari solent.

2° Tenentur ad officium principalis patroni loci, ubi morantur, ac titularis ecclesiæ cathedralis, patroni civitatis episcopalis, et diœcesis, non tamen ad eorumdem festorum octavas, quas neque ad libitum servare possunt, nisi id specialiter ipsis indultum sit, ut dictum est numeris præcedentibus. Item tenentur ad officia festorum diœcesis de præcepto quoad forum (3).

(1) S. R. C. 14 Dec. 1697, n. 1985, 3.
(2) Acta s. Sedis, vol. X, fol. 322 et seq.
(3) S. R. C. 28 Ap. 1866, n. 3147, 4.

Digitized by Google

Not. si novus ordo instituatur, aut monasterium ædificetur sub titulo alicujus mysterii aut sancti, officium illius tituli celebrari non posse, nisi in kalendario habeatur, et tantum eo ritu, quo ibidem notatur, si aliud ex speciali indulto non concedatur (1).

3° Possunt recitare officia ad petitionem regum et principum, si ad eos extendatur indultum (2); et etiam debent, si concessio sit præceptiva, vel quamvis permissiva, usu tamen sit recepta (3). Si hæc officia concedantur cuncto dominio seu regno, absque alia cleri expressione, intelliguntur etiam concessa vel præcepta clero regulari, sicut sæculari (4).

4° Non debent, nec possunt præter præfata recitare alia officia diœcesana, quæ in cathedrali, civitate vel diœcesi recitantur, nisi hæc officia ex immemorabili recitare consueverint (5), aut nisi hæc officia ipsis specialiter indulta sint ex concessione Apostolica vel constitutione religionis a Sede Apostolica approbata (6).

5° Not. communicationem unius religionis cum alia se non extendere ad officia propria (7).

His præmissis, quæ spectant ad bullas et decreta generalia, quæ initio breviarii referuntur; sequar in sequentibus ordinem rubricarum breviarii, inter quas primæ spectant ad integrum officium, aliæ ad horas officii, scilicet matutinum, laudes, etc., aliæ tandem ad horarum partes, ut invitatorium, etc.

(1) Sed vid. Analecta juris Pontificii, 1 ser. fol. 382, IX.
(2) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 1708, 2.
(3) S. R. C. 28 Ap. 1866, n. 3147.
(4) Cavalieri tom. 1, dec. 78, n. IV-VII.
(5) S. R. C. 22 Dec. 1696, n. 1958. Vid. n. 213.
(6) S. R. C. 20 Mart. 1683, n. 1708, 1; 28 Ap. 1866, n. 3147, 3.
(7) Dec. gen. quod habetur initio brev. 20 Mart. 1706, n. 2166, 2; 19 Jan. 1692, n. 1867; 12 Sept. 1699, n. 2034; Cavalieri tom. 1, cap. VII.

Digitized by Google

Titulus 1.

231. DE OFFICIO DUPLICI.

Rub. *Officium quotidie fit aut Duplex, aut Semiduplex, aut Simplex.*

1. *Officium fit duplex in diebus a Feria quinta in Cœna Domini usque ad Feriam tertiam Paschæ inclusive, in Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, et duobus diebus sequentibus; in festo Trinitatis, Corporis Christi, et Dedicationis propriæ Ecclesiæ; in Festis, quibus in Kalendario apponitur hæc vox* Duplex; *in die octava festi habentis octavam; in festo Patroni unius vel plurium alicujus loci, vel Titularis Ecclesiæ; et in festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari cum Officiis propriis a Sede Apostolica approbatis, aut ex ejusdem Sedis auctoritate receptis, vel recipiendis (servata forma hujus Breviarii), alioquin de Communi, etiamsi prædicta Festa in hoc Kalendario non sint descripta. Præterea Officium fit Duplex pro Defunctis in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, et in die obitus, seu depositionis Defuncti, ut in eodem Officio dicitur, circa finem Breviarii.*

2. *Festum duplex celebratur aut de eodem fit commemoratio, eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri, aut penitus omitti, ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.*

3. *Habet primas et secundas Vesperas integras, nisi cum alio simili concurrat, ut dicetur in Rubrica de concurrentia Officii, et totum Officium fit de Duplici, incipiendo a primis Vesperis, usque ad Completorium sequentis diei inclusive: nisi aliter in propriis locis assignetur. Officium autem Defunctorum habet tantum primas Vesperas, Matutinum et Laudes, ut circa finem Breviarii ponitur.*

Digitized by Google

4. In utrisque Vesperis, Matutino et Laudibus tantum, non autem in aliis Horis, duplicantur Antiphonæ, id est, integræ dicuntur in principio et in fine Psalmorum.

5. Ad Matutinum regulariter dicuntur tres Nocturni, cum novem Psalmis, et totidem Lectionibus, hoc est, in unoquoque Nocturno tres Psalmi, et tres Lectiones, præterquam in Paschate Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus Psalmis, et totidem Lectionibus, ut ibidem ponitur.

6. *Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de S. Maria, S. Joseph, Apostolis, Titulo et Pace ad Vesperas et Laudes, non dicuntur in Officio Duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.*

7. *Quomodo sit ordinandum Officium duplex in Vesperis, Matutino et cæteris Horis; similiter et de Antiphonis, Responsoriis, Versibus, Capitulis et aliis in eo dicendis, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.*

Not. 1° per festa, quæ hoc tit. n. 1, et tit. seq. n. 1, dicuntur solemniter, seu solemnius celebrari consueta, simpliciter intelligi festa sub ritu duplici aut semiduplici, qui ritus dicitur solemnis respectu simplicis et solius commemorationis (1).

Not. 2° quando in indulto concessionis officii, non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis majoris vel minoris, decreta intelligenda esse de duplici minori per annum (2).

232. Quid requiritur ut sub ritu duplici aut semiduplici officium aliquod, quod in kalendario Romano vel non habetur, vel non eo ritu, licite celebrari possit?

R. 1° Licentia S. R. C. seu Sedis Apostolicæ juxta decretum Urbani VIII initio breviarii; quæ si non habeatur, consuetudo introducta ante bullam s. Pii V anni 1568, vel immemorabilis, ut dictum est n. 211 et seq. (3).

(1) Guyetus lib. 1, c. 13, q. 3; Merati sect. 2, c. 2, n. 7 et 8.

(2) S. R. C. 2 Oct. et 20 Nov. 1683, n. 1719, 3, et 1721, 2, circa quædam officia B. M. V.

(3) S. R. C. 20 Dec. 1692, n. 1888.

Digitized by Google

2° Ut servetur forma breviarii Romani ab illis, qui hoc utuntur, juxta rubricas hujus tit. n. 1.

3° Ut si officia propria habeantur, hæc approbata sint a Sede Apostolica pro hoc loco; alioquin omnia de communi sanctorum recitentur, ut supra in rubricis n. 1 præscribitur : nam « non sunt admittenda, neque recitanda alia officia, quam opprobata a Sede Apostolica; alia omnia sunt rejicienda » (1). Item approbata pro certo loco, non possunt extendi ad alia loca, nisi consulta S. R. Congregatione, nam quæ justis de causis alicui loco concedit, alii negat (2).

233. An officia propria sint approbata, ex eorumdem impressione constare potest et debet : cum enim officiorum concessiones, lectiones, orationes etc. juxta decretum generale 11 Aug. 1691 (3), ut dictum est n. 206, a typographo camerali dumtaxat imprimantur, et ubivis locorum non nisi facultate in scriptis accepta a locorum ordinariis juxta originale sumptum S. R. C. vel juxta exemplar typographi cameralis authenticum, ita ut alias omni prorsus fide carere voluerit et declaraverit S. R. C., sequitur : 1° facultatem Ordinarii simul cum attestatione concordantiæ cum originali, impressioni officiorum apponendam esse, quia alias de approbatione et authenticitate constare nequit; 2° quæ sine facultate ordinarii apposita, sunt impressa, omni fide carere, et neque admitti, neque recitari posse.

Titulus II.

234. DE OFFICIO SEMIDUPLICI.

Rub. 1. *Officium fit Semiduplex diebus Dominicis (excepta Dominica in Albis, in qua fit Duplex) : et diebus infra*

(1) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 15.

(2) Gavantus sect. 3, c. 12, n. 14; Guyetus lib. 3, c. 1, q. 12; *Questions discutées à l'académie liturg.* a monte citorio, 19 Dec. 1855, fol. 107, n. 46-51.

(3) N. 1852.

Digitized by Google

Octavas : item in Festis, quibus in Kalendario ponitur hæc vox Semiduplex, *et in Festis propriis quorumdam locorum, seu Congregationum, quæ solemnius apud illas quam simplicia, consueverunt celebrari.*

2. *De Festo semiduplici fit eo die quo cadit, aut de illo ponitur commemoratio, vel penitus omittitur, ut dicetur in Rubrica de translatione Festorum.*

3. *Habet totum officium integrum, sicut Duplex, sed non duplicantur Antiphonæ.*

4. *Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni, præterquam infra Octavas Paschæ et Pentecostes, in quibus dicitur unum Nocturnum cum tribus Psalmis et totidem Lectionibus. Et regulariter quando dicuntur tres Nocturni, dicuntur novem Psalmi et totidem Lectiones ; exceptis iis Dominicis, in quibus fit Officium ut in Psalterio, quæ habent XVIII Psalmos, ut ibi.*

5. *Quomodo sit ordinandum Officium semiduplex tam in Festis, quam in Dominicis et infra Octavas, item et Antiphonis, Versibus, Responsoriis et hujusmodi aliis, et quando in Semiduplici dicantur Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de Sanctis ad Vesperas et Laudes, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.*

Officium semiduplex obtinet : 1° in omnibus dominicis, exceptis dominicis paschatis, pentecostes, ss. Trinitatis et in albis; 2° in diebus infra octavam, exceptis feriis secundis et tertiis octavarum paschatis et pentecostes; 3° in vigilia epiphaniæ, atque feria sexta et sabbato ante dominicam pentecostes; 4° in illis festis, quibus in kalendario Romano vel proprio apponitur vox *semiduplex*. Vid. tom. 1, n. 18.

Digitized by Google

Titulus III.

235. DE OFFICIO SIMPLICI.

Rub. *Officium fit simplex in diebus ferialibus, quando occurrit fieri de Feria : item in Festis, quibus in Kalendario non apponitur hæc vox* Duplex, *vel* Semiduplex, *vel de Octava : item quando fit de beata Maria in Sabbato, ut in ejus Rubrica dicetur.*

2. *De Festo simplici fit eo die quo cadit; nisi eodem die occurrat fieri Officium novem Lectionum, vel de sancta Maria in Sabbato, vel de aliquibus Feriis, quibus Festum simplex cedit, ut dicetur in Rubricis de Feriis et Commemorationibus.*

3. *Habet tantum primas Vesperas, in quibus dicuntur Psalmi feriales, et a Capitulo fit de Festo, nisi cum eo concurrat Officium novem Lectionum, quia tunc de eo fit sola commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officii : et ejus Officium terminatur ad Nonam, et nihil amplius fit de eo, nec commemoratio.*

4. *Ad Matutinum post Invitatorium et Hymnum de Festo, dicitur unum tantum Nocturnum cum duodecim Psalmis, ut in Psalterio, secundum Feriam quæ occurrit; et tres Lectiones leguntur, ut infra in Rubrica de Lectionibus habetur.*

5. *Quomodo sit ordinandum Officium simplex ad Vesperas, Matutinum et alias Horas : item et de Antiphonis Versibus, Responsoriis et aliis, ac quando Preces, et Suffragia de Sanctis dicenda sint, habentur inferius propriæ Rubricæ.*

Festum simplex tantum incipit a capitulo primarum vesperarum, ita ut nullo alio festo duplice aut semiduplice concurrente, psalmi et antiphonæ dicantur de feria occurrente, et a capitulo fiat de festo simplice, ut in festo semiduplice,

Digitized by Google

sine commemoratione feriæ. Ad matutinum invitatorium et hymnus dicuntur de festo ut in communi Sanctorum; deinde dicitur unum tantum nocturnum cum duodecim psalmis et antiphonis ut in psalterio de feria occurrente; finitis psalmis cum antiphonis subjungitur versus de festo, desumptus ex eo nocturno, qui in communi sanctorum feriæ currenti correspondet, ut in qualibet feria notatur : tum dicitur absolutio secundum feriam currentem. Prima benedictio semper est : *Ille nos benedicat* etc., secunda : *Cujus* vel *Quorum festum colimus*, et tertia : *Ad societatem*. Tres dicuntur lectiones (pro quibus vid. tit. XXVI, n. 4) cum duobus responsoriis de communi sanctorum, post primam et secundam lectionem, scilicet primum et secundum responsorium cujuslibet nocturni secundum feriam currentem, addendo in fine secundi responsorii *Gloria Patri* cum repetitione partis responsorii, si responsoria desumantur ex primo aut secundo nocturno. Versus, absolutio et responsoria dicuntur secundum feriam currentem, id est, feria 2 et 5, ex primo nocturno de communi, feria 3 et 6, ex secundo nocturno, et feria 4, ex tertio nocturno, uti in breviario notatur. Post tertiam lectionem dicitur *Te Deum;* et deinceps officium persolvitur ut in festo semiduplici usque ad nonam inclusive, qua terminata, finitur officium festi simplicis, et si festum duplex aut semiduplex non sequatur, vesperæ dicuntur feriales, sine ulla commemoratione præcedentis festi simplicis.

Titulus IV.

236. DE DOMINICIS.

Rub. *De Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque Festo duplici, vel semiduplici adveniente : quia tunc Festum transfertur, aut de eo fit com-*

Digitized by Google

memoratio, aut penitus omittitur (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicetur) nisi illud Festum sit duplex 1 classis: quia tunc fit tantum de hujusmodi festo, cum commemoratione Dominicæ; quibusdam Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubrica de commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, quando in eis non occurrit Festum duplex: quia tunc fit de Duplici cum commemoratione Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus, et ad Matutinum legitur nona Lectio de Homilia Dominicæ, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Si Semiduplex eodem die occurrat, de eo fit commemoratio, ut pariter dicetur in Rubrica de commemorationibus.

2. *De Dominica infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi occurrenti, Officium fit sicut infra Octavam, et in Proprio de Tempore, cum commemoratione Octavæ, et sine Precibus et Suffragiis Sanctorum. In Dominicis vero, quæ occurrunt infra alias Octavas, totum Officium fit de Dominica, ut in Psalterio et in Proprio de Tempore, cum commemoratione Octavæ, omissis etiam dictis Precibus et Suffragiis ut supra. De Dominica occurrente in die Octava fit commemoratio, sicut dictum est, quando in ea fit de Festo duplici, præterquam in die octava Epiphaniæ, in qua nihil fit de Dominica, quia ejus Officium ponitur in Sabbato præcedenti.*

3. *Positum est autem Officium sex Dominicarum post Epiphaniam, et viginti quatuor post Pentecosten, ut compleatur numerus triginta Dominicarum, quæ esse possunt ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Pentecoste usque ad Adventum, ne ulla ex his Dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio. Nam quæ aliquando supersunt post Epiphaniam ante Septuagesimam, ponuntur post XXIII a Pentecoste, hoc ordine:*

4. *Si Dominicæ post Pentecosten fuerint XXV, Dominica XXIV post Pentecosten erit quæ est VI post Epiphaniam. Si fuerint XXVI, Dominica XXIV erit quæ est V; et XXV quæ est VI. Si fuerint XXVII, Dominica XXIV erit quæ est IV; et XXV, quæ est V; et XXVI erit VI.*

Digitized by Google

Si fuerint XXVIII, Dominica XXIV erit III, et XXV erit IV, et XXVI erit V, et XXVII erit VI; et ultimo loco semper ponitur, quæ in ordine est XXIV post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint nisi XXIII Dominicæ. Tunc enim XXIV ponitur loco XXIII, et Officium XXIII ponitur in præcedenti Sabbato, quod non sit impeditum Festo novem Lectionum; alioquin in alia præcedenti die similiter non impedita, in qua fiat Officium de Feria, cum commemoratione festi simplicis, si occurrat; et in ea legantur tres Lectiones de Homilia Dominicæ, omissis Lectionibus Scripturæ illius Feriæ : et in Laudibus dicatur Antiphona ad Benedictus; *et Oratio de Dominica XXIII. Quod si tota Hebdomada impedita sit festis IX Lectionum, etiam translatis, vel aliqua Octava, tunc in Sabbato legatur IX Lectio de Homilia Dominicæ XXIII, et de ea fiat commemoratio in Laudibus tantum, cum Antiphona et Oratione propria.*

5. *Cum vero interdum contingat, ut Dominica tertia, vel quarta, vel quinta, vel sexta post Epiphaniam supersit, nec possit poni etiam post XXIII a Pentecoste, tunc de ea fit Officium in Sabbato ante Dominicam Septuagesimæ, ut dictum est supra, numero præcedenti.*

6. *De Dominica secunda post Epiphaniam, quando Septuagesima venerit immediate post Octavam Epiphaniæ, quomodo agendum sit Officium, habetur in propria Rubrica ante Dominicam primam post Epiphaniam.*

7. *Cum autem in Proprio de Tempore dicitur aliqua Dominica esse prima mensis, in qua primo ponitur initium libri de Scriptura cum sua historia, id est cum Responsoriis, animadvertendum est, eam dici primam Dominicam mensis, quæ venit in Kalendis illius mensis, vel est proximior Kalendis, hoc modo. Si Kalendæ venerint in II, et III et IV Feria, Dominica prima mensis erit quæ præcedit Kalendas, licet veniat in præcedenti mense; si autem Kalendæ venerint in V et VI Feria et in Sabbato, prima Dominica erit quæ sequitur post ipsas Kalendas. Dominica autem prima Adventus non sumitur ea, quæ est proximior Kalendis Decembris, sed Festo sancti Andreæ, vel quæ venerit in ipso festo.*

Digitized by Google

8. *Officium Dominicæ fit semiduplex, et incipit a primis Vesperis in Sabbato : et habet totum Officium integrum usque ad Completorium Dominicæ inclusive, nisi cum aliquo concurrat, ut dicetur in Rubrica de Concurrentia Officii.*

9. *Ad Matutinum dicuntur tres Nocturni cum Psalmis, ut in Psalterio, et leguntur novem Lectiones, ut in Proprio de Tempore.*

10. *Quomodo autem sit ordinandum ejus Officium, insuper et de Lectionibus, Responsoriis et aliis, et quomodo initia librorum Scripturæ cum sua historia sint ponenda, habentur de singulis inferius propriæ Rubricæ.*

Annotatur : 1. De dominicis majoribus semper fit officium juxta rubricas n. 1, quia in illis præcipua creationis et redemptionis nostræ mysteria recoluntur, ideoque majoris reverentiæ et cultus esse debent.

2. De Dominicis infra octavas nativitatis, epiphaniæ etc. ut supra in rubricis n. 2 dicitur, fit officium non ut in psalterio, sed sicut infra octavam, psalmos matutini et reliqua recitando de octava, ut officium maximæ celebritati Domini concordet; quæ ratio in dominicis infra alias octavas non ita invenitur, cum potius æquum sit, ut officium octavæ alicujus sancti cedat officio dominicali, quod Domini est.

3. Dominica, quæ est ordine 24 post pentecosten, semper ponenda est ultimo loco juxta rubricas n. 4, ob ejus evangelium, quod est de fine mundi; et idcirco legendum in fine anni ecclesiastici, qui ab adventu incipit, et ante adventum desinit.

4. Prima dominica in liturgia sub duplici respectu consideratur : 1° quoad lectiones in primo nocturno de s. Scriptura recitandas, et sic prima dominica mensis dicitur, ut explicatur supra in rubricis n. 7; et 2° quoad festum aliquod celebrandum in determinata dominica mensis; et sic dominicæ numerandæ sunt juxta computum civilem, non ecclesiasticum, ita ut in hoc casu prima Dominica mensis sit, quæ in kalendis seu prima die mensis occurrit, vel quæ

Digitized by Google

illam sequitur; secundo, quæ ante se unam in eodem mense habuit, et sic deinceps (1). Confirmatur ex rubrica posita in festo Septem Dolorum, dominica tertia Septembris, ubi supponitur hoc festum posse occurrere in festo s. Matthæi Apostoli, quod fieri nequit, nisi dominicæ computu civili numerentur.

5. Officium dominicæ fit semiduplex juxta rubricas n. 8, quia, quamvis summa mysteria creationis, redemptionis, adventus Spiritus Sancti, in omnibus dominicis commemorentur, id tamen ritu minus solemni fieri convenit, ritu duplici reservato propriis festivitatibus paschæ, pentecostes, etc. quæ ritu duplici coluntur, ut dignum est.

Omnes dominicæ etiam majores, seu 1 et 2 classis, sub ritu tantum semiduplici celebrantur, exceptis solis dominicis paschæ, pentecostes, ss. Trinitatis et in albis, quæ ritu duplici fiunt : aliæ enim dominicæ, quæ dicuntur majores, seu 1 et 2 cl., ita vocantur quoad occurrentiam seu exclusionem aliorum festorum, non quoad ritum celebrandi neque quoad concurrentiam cum aliis festis.

6. Officium dominicæ incipit a primis vesperis in sabbato, ut dicitur supra in rubricis n. 8, ita tamen, ut si officium duplex vel semiduplex non præcedat, dicantur psalmi feriales de sabbato.

DE DOMINICIS POST EPIPHANIAM ET POST PENTECOSTEN.

237. Dominicæ post epiphaniam ad minimum una, et ad summum sex esse possunt; et post pentecosten ad minimum 23, et ad summum 28. Omnes dominicæ quæ inter epiphaniam et septuagesimam, ac inter pentecosten et adventum intercedere queunt, possunt esse 30; ideoque officia 30 dominicarum posita sunt : fieri autem potest, ut 30 dominicæ in toto hoc tempore non numerentur, et eo casu faciendum est, quod præscribitur in rubricis hoc tit. n. 4 et 5, circa quod notanda sunt sequentia.

(1) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2848.

Digitized by Google

1. Quod si post pentecosten usque ad adventum tantum 23 dominicæ intercedant, tunc dominica vigesima quarta ponenda est loco dominicæ vigesimæ tertiæ, et officium dominicæ vigesimæ tertiæ in sabbato aut alia præcedente die, ut infra dicetur; et si aliqua ex dominicis post epiphaniam (præter dominicam secundam post epiphaniam, de qua vide tom. III, n. 11), nec in proprio loco, nec post 23am dominicam a pentecoste poni possit, tunc in sabbato ante septuagesimam vel in alia præcedente feria illius hebdomadæ poni debet officium illius dominicæ, quæ prima post epiphaniam impeditur, reliquis, si quæ supersint, translatis post dominicam 23am a pentecoste, ut dicitur in rubricis n. 4.

2. Officium dominicæ impeditæ post epiphaniam ponendum est in sabbato ante septuagesimam, et impeditæ post pentecosten in sabbato ante dominicam 24am, quæ hoc anno est 23a et ultima post pentecosten, si in sabbato fiat de eo, aut occurrat festum simplex, de quo in casu fit tantum commemoratio in laudibus et missa absque ejus lectione; et si officium duplex aut semiduplex non præcesserit, vesperæ antecedentes sunt feriales cum commemoratione festi simplicis juxta rubricas tit. XI, n. 10. Si autem sabbatum sit impeditum officio etiam translato 9 lectionum sive duplici aut semiduplici, sive de die infra octavam aliquam, tunc officium dominicæ impeditæ ponitur in alia ejusdem hebdomadæ præcedente feria, similiter non impedita, quæ tamen, si plures non impeditæ in eadem hebdomada occurrant, omnium proxima ipsi sabbato esse debet (1).

Not. in casu, quo de dominica anticipata post pentecosten fit in die sabbatum præcedente, in feriis præcedentibus et sequentibus nulla fit mutatio lectionum s. Scripturæ occurrentis, sed omnes leguntur prout in breviario disponuntur, translato vel anticipato initio, quod occurrit in feria, in qua fit de dominica. Sed si fiat de dominica anticipata post epiphaniam in feria sabbatum præcedente, tunc post diem, in qua officium dominicæ anticipatæ factum est, legitur in

(1) Cavalieri tom. 2, dec. 120, n. 8.

Digitized by Google

sequentibus diebus de epistolis s. Pauli assignatis dominicæ anticipatæ et sequentibus feriis, omissis lectionibus, quæ sunt assignatæ præcedenti hebdomadæ (1) : ita ut prima die post factum officium dominicæ anticipatæ ponatur initium dominicæ anticipatæ, et in sequentibus feriis, 4ª, 5ª, 6ª, et sabbato, quæ supersunt, legantur lectiones assignatæ hebdomadæ dominicæ anticipatæ, non quidem quæ assignatæ sunt feriæ 2ª et 3ª, sed quæ occurrunt in respectivis diebus, in quibus leguntur. Si aliqua infra hebdomadam occurrant initia, tunc hæc legi debent, licet eorumdem plura simul poni oporteat, etiam in die, in quo ponitur ipsum initium dominicæ anticipatæ (2). Quod si cuncta initia poni non possint, eo casu ea quæ poni nequeunt, hoc anno omittuntur (3).

Si in feria, in qua fit de dominica anticipata, initium alicujus epistolæ s. Pauli occurrat, censet Cavalieri (4) illud initium in feriam præcedentem, si fieri possit, esse anticipandum : verum cum rubrica tit. XXVI, n. 8, generaliter statuat, *omissis aliis quæ sunt assignatæ præcedenti hebdomadæ*, et cum officium hebdomadæ anticipatæ incipiat in feria, in qua officium dominicæ anticipatur, licet ejus lectiones primi nocturni tantum ponantur in feria sequente, quia officium feriale tantum tres lectiones homiliæ admittit; sequitur lectiones feriæ, in qua officium dominicæ anticipatur, simpliciter esse omittendas, sive sint initium sive continuatio alicujus epistolæ, prout omittenda sunt initia quæ occurrunt in feriis sequentibus, et quæ poni nequeunt ob advenientem dominicam septuagesimæ per cessationem temporis.

3. In illo die, in quem officium dominicæ transfertur, si officio 9 lectionum occurrente aut translato non sit impeditus, debet fieri officium feriale ut in psalterio, cum precibus et suffragiis etiam de cruce, cum tribus lectionibus et tribus responsoriis sine *Te Deum*, et absque commemoratione illiu

(1) Rub. tit. XXVI, n. 8.
(2) S. R. C. 4 Sept. 1745, n. 2387.
(3) Cavalieri tom. 2, dec. 120, n. 43-46.
(4) Loco cit. n. 32 et seq.

Digitized by Google

dominicæ translatæ in primis et secundis vesperis, missa ut in aliis feriis similiter dicitur de dominica translata sine *Gloria* et *Credo*, cum præfatione communi et *Benedicamus Domino* in fine, et si placuerit cum pluribus quam tribus orationibus. In feriali officio hæc tamen sunt mutanda, scilicet : 1° legitur evangelium dominicæ cum ejus homilia, dicendo tamen tria responsoria feriæ currentis, nisi forte responsoria primi nocturni dominicarum illius mensis aut temporis hoc anno nondum sint recitata ; tunc enim responsoria ex primo nocturno dominicæ anticipatæ sunt desumenda (1). 2° In laudibus de feria, dicitur antiphona ad *Benedictus* et oratio de dominica translata, versus vero post hymnum de feria. Oratio dominicæ translatæ dicitur etiam in aliis horis.

4. Si tota hebdomada impedita sit officiis 9 lectionum, etiam translatis, aut aliqua octava ; tunc in sabbato legitur 9ª lectio homiliæ dominicæ, et de ea fit commemoratio non in vesperis, sed in laudibus cum antiphona et oratione de dominica et versu de sabbato, atque in missa, in cujus fine legitur evangelium dominicæ : idque fieri debet, licet festum duplex 1 cl. in sabbato occurrat (2). Si in sabbato, in quo fit commemoratio dominicæ anticipatæ, occurrat officium non habens lectiones primi nocturni proprias vel de communi assignatas, tunc in casu dominicæ anticipatæ post pentecosten in primo nocturno leguntur lectiones in breviario sabbato assignatæ ; in casu autem dominicæ anticipatæ post epiphaniam in primo nocturno legendæ sunt lectiones de dominica anticipata, dummodo initium alterius epistolæ s. Pauli in sabbato non occurrat, quo casu initium dominicæ anticipatæ omittitur, et illud sabbati legitur (3). Si in sabbato officium fiat de die infra octavam aliquam cum 9ª lectione et commemoratione dominicæ anticipatæ, missa celebranda est prout in rubricis generalibus missalis tit. III n. 2 disponitur, scilicet de dominica anticipata cum commemoratione octavæ,

(1) Rub. tit. XXVII, n. 7.
(2) S. R. C. 4 Sept. 1745, n. 2387.
(3) S. R. C. 28 Mart. 1775, n. 2503, 1.

Digitized by Google

tertia oratione, quæ secundo loco infra octavam assignatur, et cum præfatione communi, vel de octava, si propriam habeat (1). Not. in sabbato occurrente officio duplici, semiduplici vel die octava, non esse cantandas duas missas conventuales, sicut nec in dominicis occurrente officio duplici duæ cantari debent (2).

Not. 1° indulta semel vel pluries in singulis hebdomadis vel mensibus recitandi officia votiva, v. g. de ss. Sacramento, de conceptione B. M. V. vel de sanctis, in diebus non impeditis festo duplici aut semiduplici, non habere locum in illa feria, in qua officium dominicæ juxta rubricas est reponendum, etiamsi in indulto nulla hujus feriæ specialis facta sit mentio (3).

Not. 2° quoad festa ad libitum, ut s. Canuti 19 Jan. et s. Juliani 28 Jan. statuit S. R. C. 20 Sept. 1681 (4) : « Potest officium s. Canuti M. ad libitum recitari die 19 Jan. et eo casu sabbato ante dominicam septuagesimæ legenda est in officio nona lectio de homilia dominicæ etc. » et 4 Apr. 1705 (5) : « Esse omittenda officia sanctorum ad libitum si ab aliquo officio dominicæ anticipandæ impediantur. » Idem statutum legitur in decr. Namurcensi 29 Maji 1885 (6). Quæ decreta primo intuitu contraria videntur, ita ut prius per posteriora revocari diceretur : revera in indice decretorum ad vocem s. Canuti decretum n. 1680 emendatum dicitur aliis decretis, quibus officia ad libitum excludit officium de Dominica quando anticipandum est. Accedit etiam decretum 5 Febr. 1895 (7) : « Utrum officium Dominicæ anticipandæ impedit quoque recitationem officii votivi ad libitum ex iis quæ ssmus. Dnus noster Leo Papa XIII nuper indulsit? » « Affirmative. »

(1) Guyetus lib. 4, c. 2, q. 4, et Cavalieri tom. 2, dec. 120, n. 19 et seq.
(2) Cavalieri ibidem n. 22.
(3) S. R. C. 20 Mart. 1706, n. 2166, 1.
(4) N. 1680.
(5) N. 2152, 5.
(6) N. 3636, 1.
(7) N. 3844, 1.

Digitized by Google

Titulus V.

238. DE FERIIS.

Rub. *Officium feriale, hoc est, simplex de Tempore occurrenti, prout in Psalterio et Proprio de Tempore habetur, fit semper in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et in Feria secunda Rogationum, quando infra hebdomadam non occurrit Festum duplex, vel semiduplex, vel de Octava : quia tunc de hujusmodi Feriis fit commemoratio, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. Si vero in eis occurrat Festum simplex, de eo fit tantum commemoratio. Item per annum fit Officium de Feria illis diebus, quibus infra Hebdomadam in Kalendario non ponitur aliquod Festum duplex, semiduplex, vel simplex, et non occurrit aliqua Octava, vel Officium sanctæ Mariæ in Sabbato, vel aliquod Festum solemne, aut consuetum in aliqua Ecclesia celebrari, quamvis in Kalendario hujus Breviarii non sit descriptum.*

2. *Officium Feriæ in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Vigiliis et prima die Rogationum, incipit a Matutino : in aliis vero Feriis per annum, inde fit de Feria, ubi desinit Officium præcedentis diei, ita ut si præcedenti die fuerit Duplex, vel Semiduplex, Officium Feriæ incipiat sequenti die a Matutino : si præcedenti die fuerit Festum simplex, de Feria fiat a Vesperis illius præcedentis diei inclusive. Similiter et quando in Feria IV et VI Quatuor Temporum Septembris, et in Feria IV Cinerum, ac in Vigiliis occurrit aliquod Festum simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc præcedenti die (nisi fuerit Festum novem Lectionum) in Vesperis fit de Feria, ut in Psalterio, sine Precibus, cum Oratione Dominicæ præcedentis, et cum commemoratione Festi trium Lectionum in sequenti Feria occurrentis, ut dicetur infra in Rubrica de Concurrentia. Termi-*

Digitized by Google

natur autem officium de Feria, subsequente duplici vel semiduplici, ad Nonam : subsequente vero simplici, de quo fieri debeat Officium, ad Capitulum Vesperarum, quia inde fit de Festo simplici absque ulla deinceps commemoratione Feriæ.

3. *Ad Matutinum dicitur unum tantum Nocturnum cum XII Psalmis, secundum ordinem Feriarum in Psalterio, et tribus Lectionibus, ut in Proprio de Tempore.*

4. *Excipiuntur ab hoc ordinario Officii ferialis tres Feriæ majores Hebdomadæ sanctæ, et Feriæ Octavarum Paschæ et Pentecostes, in quibus fit Officium, ut in propriis locis ponitur.*

5. *Quomodo ordinandum sit Officium de Feria ad Matutinum et alias Horas, item de Lectionibus et Responsoriis, et quando dicendæ sint Preces feriales, ac de aliis, quæ ad officium Feriæ pertinent, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.*

In dominica et feriis distribuitur recitatio totius psalterii; ita ut in qualibet hebdomada totum recitetur psalterium : quæ distributio relationem aliquam habet ad creationis opera sex dierum, vel etiam ad mysteria, quibus feriæ dedicatæ sunt. Quapropter tam feriæ quam dominicæ officium Domini dicitur, non tantum quatenus immediate cedit in honorem Dei, et sic ab officio sanctorum distinguitur; sed etiam quatenus specialem aliquam relationem habet ad Deum creatorem, redemptorem etc. Officium tamen tam dominicæ quam feriæ festis sanctorum cedit, quia, quamvis officium dominicæ et feriæ domini dicatur, et sub hoc respectu officiis sanctorum præferendum sit, ratio tamen quare officium dominicæ et feriæ Domini dicitur, specialiter tantum invenitur in quibusdam dominicis et feriis, ut paschæ, pentecostes etc. quæque etiam nulli festo sanctorum cedunt; in aliis autem dominicis et feriis tantum generaliter invenitur; cum tamen festum sancti hoc die, quo colitur, specialem cultus rationem præ se ferat. Præterea quodlibet officium sanctorum etiam Domini dici debet; siquidem laudamus Deum in sanctis suis.

Digitized by Google

Titulus VI.

239. DE VIGILIIS.

Rub. *De Vigilia fit Officium in omnibus Vigiliis per annum quæ jejunantur, ubi in Kalendario annotatur hæc vox* Vigilia : *nisi in die Vigiliæ occurrat Festum novem Lectionum, vel Octava; tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, et fit commemoratio de ea ad Laudes tantum, cum Antiphona ad* Benedictus, *et versu Feriæ occurrentis de Psalterio, et Oratione Vigiliæ; præterquam in illis Festis majoribus, quæ inferius excipiuntur.*

2. *Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato, quod non sit impeditum Officio novem Lectionum : quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio, ut dictum est. Excipitur ab hac regula Vigilia nativitatis et Epiphaniæ Domini; quæ si venerint in Dominica, fit de illis, ut in propriis Rubricis dicitur. Si autem in Vigilia occurrat Festum solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quæ inferius in Rubrica de Commemorationibus numerantur (veluti si in Vigilia sancti Joannis Baptistæ venerit Festum Corporis Christi), nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de Vigilia, excepta Vigilia Epiphaniæ. Idem servetur quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus : nulla enim in his Feriis de Vigilia fit commemoratio.*

3. *Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum, sicut dictum est in superiori Rubrica de Feriis; terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo.*

4. *Officium Vigiliæ totum fit de Feria occurrenti, ut in Psalterio : et tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, cum tribus Responsoriis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de Res-*

Digitized by Google

ponsoriis descripto. Dicuntur Preces feriales, et commemorationes communes, aliaque omnia sicut in Feriis Adventus, Quadragesimæ et Quatuor Temporum, de quibus et de aliis circa ordinandum ejus Officium habentur inferius propriæ Rubricæ.

5. *Excipitur ab hoc ordinario Vigiliarum, quæ jejunantur, Vigilia Pentecostes, quæ cum tribus Nocturnis sub Officio semiduplici celebratur, ut ibi; et Vigilia Nativitatis Domini, quæ, Nocturno Feriæ excepto, in Laudibus et Horis habet reliquum Officium duplex. In Vigiliis vero Epiphaniæ et Ascensionis, quæ non jejunantur, fit Officium, ut in propriis locis notatur.*

I. Dicitur in rub. n. 1. *De Vigilia fit officium in omnibus Vigiliis per annum quæ jejunantur,* id est, quæ de jure jejunari deberent, nisi jejunia ex indulto Apostolico suppressa essent, uti in toto territorio reipublicæ Gallicanæ omnia vigiliarum jejunia suppressa sunt, exceptis jejuniis in vigiliis nativitatis Domini, pentecostes, solemnitatis ss. apostolorum Petri et Pauli, assumptionis B. M. V. et omnium sanctorum, juxta indultum pro reductione festorum 9 Ap. 1802 et decretum Cardinalis Legati 21 Junii 1804 : nam licet vigiliarum jejunia præter hæc quinque suppressa sint, officia tamen omnium vigiliarum, quæ in breviario præscribuntur, etiam in toto territorio reipublicæ Gallicanæ fieri debent, ac si adhuc esset jejunium, etiam in vigilia ss. Apostolorum Petri et Pauli, seu 28 Junii, licet jejunium in sabbato ante dominicam solemnitatis servandum sit. Sanctitas enim Sua in præfato indulto pro reductione festorum « eam legem adjectam esse voluit, ut in festis diebus vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt. » Ita etiam breve Clementis XIV 22 Junii 1771, quo plura festa et vigiliarum jejunia in dictione Austriaca supprimuntur (1).

(1) Syn. Belg. tom. II, fol. 507.

Digitized by Google

Not. inter vigiliarum jejunia servata in territorio reipublicæ Gallicanæ numerari vigiliam solemnitatis ss. Apostolorum Petri et Pauli, non tantum propter praxim in toto Belgio vigentem, quæ stat pro possessione legis seu obligatione jejunii, sed etiam propter decretum Cardinalis Legati 21 Jun. 1804, ad Vicarium Gen. Rmi Archiep. Mechl. directum in quo declaratur n. 4 : « Jejunium vigiliæ ss. Apostolorum Petri et Pauli observabitur in sabbato ante dominicam solemnitatis dictorum ss. Apostolorum ». Cum enim ex indulto pro reductione festorum 9 Ap. 1802 varia dubia essent exorta, ita ut quoad celebrationem festorum translatorum in dominicam, quidam simul officium et octavam in dominicam transferrent, S. R. Congregatio decrevit sequendam esse *mentem Cardinalis Legati et ejus instructionem* ad Vicarium Gen. Archiep. Mechl. directam; « atque ita servari Sanctitas Sua mandavit omnibus in locis et diœcesibus, queis indultum anni 1804 (1802) super reductione festorum per Emum Dom. Cardinalem Caprara Legatum a Latere extenditur » (1). Sicut igitur declaratio Cardinalis Legati sequenda est quoad celebrationem festorum, sic etiam eadem declaratio servanda est quoad jejunium vigiliæ solemnitatis ss. Petri et Pauli, quod in eodem decreto expresse præscribitur, quia eadem est ratio, et eadem debet esse auctoritas quoad omnia, quæ in præfato decreto Cardinalis Legati præscribuntur : ita ut, licet quidam contrarium censeant, et in quibusdam Galliæ diœcesibus hoc jejunium non servetur, declaratio tamen Cardinalis Legati quorumcumque auctorum placitis et quorumdam locorum consuetudini sit præferenda. Ita generalis S. R. et Univ. inquisit. Congregatio die 25 Maji 1853, ad Episcoporum Belgii petitionem rescripsit « jejunium in pervigilio festivitatis ss. apostolorum Petri et Pauli esse servandum. » Et Sacra Congregatio S. Officii ad petitionem plurimorum Gallicæ ditionis Episcoporum pluries respondit 22 Nov. 1879 : « Jejunium in pervigilio festivitatis ss. apostolorum Petri et Pauli servandum esse in sabbato ante dominicam festivitatis dic-

(1) 29 Nov. 1831, antiq. n. 4522-4671.

Digitized by Google

torum Apostolorum. Quod si dies 29 Junii occurrerit in sabbato, jejunium pervigilii, de quo agitur, servetur IV kalendas Julii » (1).

II. Si festum habens vigiliam, v. g. s. Mathiæ apostoli, ob occursum feriæ quartæ cinerum transferatur, licet etiam in perpetuum, non ideo transfertur vigilia, sed ejus officium fit in die, ubi in kalendario annotatur vigilia, uti rubrica supra n. 1 præscribit, quæque nullibi translationem vigiliæ in casu præscribit aut permittit (2).

III. Item dicitur n. 1, *nisi in die Vigiliæ occurrat Octava*, id est dies octava vel infra octavam : nam in omni casu, licet missa in die infra octavam, in qua festum novem lectionum non occurrit, dicatur de vigilia cum commemoratione octavæ, ut dictum est tom. 1, n. 22; officium tamen fit de octava cum commemoratione vigiliæ, ut supra in rubricis dicitur. Idem fit in feria majori, quæ propriam missam habet, occurrente in die infra octavam.

IV. *Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea fit Officium in Sabbato* propter gaudium ressurrectionis Domini, quæ singulis dominicis recolitur.

V. Si vigilia occurrat in festo 1 cl., de ea nihil fit in officio nec in missa, ne solemnitas festi minuatur; jejunium tamen annexum servandum est in festo 1 cl. (3), nisi aliud a legitima auctoritate ordinetur. Ita Urbanus VIII (4) statuit jejunium in feriam quartam esse anticipandum, quoties vigilia s. Joannis Baptistæ incidit in festum Corporis Christi; in casu tamen feria 4ª nihil de vigilia in officio et missa peragendum esse statuit Clemens XI (5). Ita etiam concessit Gregorius XVI (6) pro omnibus Belgii diœcesibus, et Sacra Congregatio S. Officii, ut supra dictum est, ut, festo ss. apostolorum

(1) *Revue théol.* 1858, fol. 483; 1880, fol. 131.
(2) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3050, 1; 24 Mart. 1860, n. 3095; Gavantus sect. 5, c. 7, n. 3, et sect. 7, c. 4, n. 23.
(3) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 26.
(4) 15 Oct. 1638, n. 657.
(5) 2 Oct. 1706, n. 2173.
(6) 22 Sept. 1838, n. 2785.

Digitized by Google

Petri et Pauli incidente in sabbatum, jejunium solemnitatis in feriam sextam anticiparetur. Plures censent, Episcopum jejunium vigiliæ occurrentis in festo 1 cl., v. g. patroni, in diem præcedentem transferre posse, quia adest justa et rationabilis causa (1); sed S. R. C. (2) respondit populum non teneri anticipare jejunium vigiliæ occurrentis in festo titularis, et in casibus particularibus recurrendum esse ad S. R. C. Unde si vigilia in festo 1 cl. occurrat, officium vigiliæ simpliciter omittitur : jejunium autem servandum est, nisi vigilia occurrat in dominica, quando in sabbatum cum officio simul et jejunio anticipatur; nisi in sabbato iterum occurrat festum 1 cl., quo casu jejunium in sabbato quidem servatur, sed officium vigiliæ omittitur. In rubricis n. 2 excipitur vigilia epiphaniæ, de qua, si festum etiam 1 cl. occurrat, commemoratio in 1 vesperis, laudibus et missa est facienda, et legenda 9 lectio ac evangelium in fine missæ (3).

VI. Si vigilia occurrat in adventu, quadragesima et quatuor temporibus, officium fit de feria, cujus officium Domini est, cuique officium vigiliæ sanctorum cedere decet. Nec etiam in illis feriis aliquid fit de vigilia in officio, quia nec altera homilia in officio feriali trium lectionum congruenter legi, nec commemoratio vigiliæ fieri potest, cum eædem antiphonæ et versus repeti deberent, quod rubricæ non permittunt. Quoad missam, si vigilia in adventu, quadragesima, et quatuor temporibus occurrat, vide tom. I, n. 22.

Titulus VII.

240. DE OCTAVIS.

Rub. *De Octava fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo festo, vel Dominica impeditur) per octo dies*

(1) Quarti in rub. mis. p. 1, tit. 3, s. 2, d. 2, Cavalieri tom. 2, dec. 127.
(2) In dec. cit. 7 Sept. 1816, n. 2572, 26.
(3) Rub. tit. IX, n. 4; Guyetus lib. 4, c. 5, q. 5.

Digitized by Google

continuos. Fit de Octava in Paschate Resurrectionis, in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Festo Corporis Christi, in Festis quibus in Kalendario apponitur Octava. Item in festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ, et in Festo principalis Patroni et Titularis loci vel Ecclesiæ, et in Festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias, Congregationes et Religiones consueverunt solemniter cum Octavis celebrari, nisi illa Festa venerint in Quadragesima, quo tempore omittitur Officium cujuscumque Octavæ. Quod si aliquod Festum, quod celebrari solet cum Octava, paulo ante Quadragesimam venerit, et jam per aliquot dies factum sit Officium de ejus Octava, adveniente Quadragesima, nihil amplius fit de ea, nec commemoratio. Et idem servetur de Octavis nondum absolutis, quando supervenit Festum Pentecostes, et dies XVII Decembris.

2. *In Pascha Resurrectionis et Pentecostes Officium Octavæ terminatur in Sabbato sequenti ad Nonam.*

3. *Infra Octavas fit de Festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus, ac etiam Duplicibus translatis, de quibus dicetur infra de Translatione Festorum, tit. X, cum commemoratione Octavæ : nisi illa Festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de commemorationibus, in quibus nulla fit commemoratio de Octava : exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniæ et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente. Infra Octavas autem Paschæ et Pentecostes non fit de Festo aliquo, etiam Principali Patrono vel Titulari Ecclesiæ, vel Dedicatione ejusdem ; sed transfertur post Octavam, si transferri valeat, secus de eo fit commemoratio, ut dicetur in eadem Rubrica de Translatione Festorum. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum de duplicibus prima classis (non tamen in die Octava), cum commemoratione Octavæ. Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus, non tamen translatis, nisi fuerint primæ vel secundæ classis, cum commemoratione Octavæ. De Semiduplicibus vero, cum non transferantur, infra eam fit commemoratio, ut dicetur in præfata Rubrica. De Simplicibus infra quascumque Octavas occurrentibus,*

Digitized by Google

item fit tantum commemoratio, præterquam in duobus diebus post Pascha et Pentecosten, ut dicitur in sequenti Rubrica de Commemorationibus. De Dominicis infra Octavas occurrentibus fit Officium, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis. Si duæ Octavæ simul occurrant (ut Octava sancti Joannis Baptistæ, et Octava Corporis Christi, vel Octava Patroni vel Titularis Ecclesiæ cum alia Octava), quando non erunt celebranda Festa novem Lectionum vel dies Dominicus, fiet Officium de digniori, cum commemoratione alterius. De die autem Octava cujuscumque Festi fit totum Officium duplex, cum commemoratione diei infra aliam Octavam. De Festis occurrentibus in die Octava servetur quod dicitur in Rubrica de Translatione Festorum.

4. *Officium de Octava fit cum tribus Nocturnis, novem scilicet Psalmis et novem Lectionibus (exceptis Octavis Paschæ et Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno, ut suis locis ponitur), et omnia dicuntur sicut in die Festi, præter Lectiones; quarum primæ tres semper sunt de Scriptura occurrente in Officio de Tempore, præterquam infra Octavam Assumptionis beatæ Mariæ, in qua singulis diebus positæ sunt Lectiones propriæ de Canticis Canticorum : aliæ Lectiones secundi et tertii Nocturni dicuntur quæ infra Octavam positæ sunt. Infra Octavam vero Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari, si apud illas Ecclesias non habentur propriæ et approbatæ Lectiones pro secundo et tertio Nocturno, infra Octavam, repetantur Lectiones positæ in Communi Sanctorum, si de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei Festi.*

5. *Infra Octavam Officium fit semiduplex, in die Octava duplex. In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi, et in primis Vesperis diei Octavæ omnia sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter in propriis locis notetur.*

6. *Infra Octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, nec dicuntur Preces ad Primam et Completorium, etiamsi fiat Officium de Dominica, vel Festo semiduplici. In aliis,*

Digitized by Google

quomodo sit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propriæ Rubricæ.

Dicitur n. 1. *In Festis aliorum Sanctorum, quæ apud quasdam Ecclesias etc. consueverunt solemniter cum Octavis celebrari :* ex quibus verbis nullatenus deduci potest, novas sanctorum octavas propria auctoritate institui posse : rubricæ enim intelligendæ sunt, supposita Sedis Apostolicæ speciali concessione, vel saltem legitima consuetudine immemorabili vel introducta ante annum 1568, ut dictum est n. 211 et 232; nisi octava celebretur sine mutatione ritus, cum extrinseca tantum solemnitate, officia recitando, missasque celebrando, prout per rubricas præscribitur aut permittitur.

Notandum S. R. C. 22 Maji 1894 (n. 3826) declarasse et statuisse octavas quascumque in quadragesima in posterum non esse concedendas; indultas vero ab antiquiori ævo, non solum in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, sed etiam in omnibus aliis quadragesimæ Dominicis esse omnino intermittendas vel abrumpendas; per integram denique majorem hebdomadam omnes prorsus octavas interdictas, etiam privilegiatis quibuscumque, manere. Ampliora, si quæ fuerint hactenus privilegia octavarum pro vetito tempore S. R. C. revocata per decretum præsens declaravit.

Dicitur n. 2 in paschate et pentecoste officium octavæ terminari in sabbato, eo quod, ut notat Gavantus in rubricis octavarii Romani, solemnitas a sabbato sancto et a vigilia pentecostes incipiat.

DE TEMPORE QUO OCTAVÆ PROHIBENTUR.

241. Octavæ, quæ non sunt in kalendario Romano, prohibentur a feria quarta cinerum usque ad dominicam in albis, a vigilia pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis, et a die decima septima Decembris seu a die, qua incipiuntur

Digitized by Google

antiphonæ majores, usque ad diem festum epiphaniæ ubique inclusive (1).

242. Quid igitur faciendum, si octava vel festum habens octavam hoc tempore prohibito occurrat?

R. 1° Si festum celebratum fuerit ante feriam quartam cinerum, vigiliam pentecostes, aut diem 17 decembris; adveniente illo tempore prohibito, nihil amplius fit de octava, nec commemoratio : si autem unus aut plures dies intercedant inter festum et tempus prohibitum, in illo aut illis officium aut commemoratio de octava, ut alias, fieri debet.

2. Si festum celebretur tempore, quo octavæ prohibentur, sine octava celebrandum est : et quamvis tempore prohibito transacto, v. g. post diem epiphaniæ ubi s. Silvester est patronus, aliqui dies supersint, in quibus octavæ permittuntur, nihil tamen in illis amplius de octava fieri posse videtur, quia rubricæ hoc tit. VII, n. 1, generaliter videntur denegare octavas illis festis, quæ tempore prohibito celebrantur (2).

3. Si festum tempore, quo octavæ prohibentur, non celebretur, sed post illud transferatur, uti infra octavas paschæ et pentecostes fieri debet; tunc si festum post totam suam octavam transferri contingat, illo anno celebratur sine octava; si autem unus aut plures dies octavæ post festum celebratum supersint, in illo aut illis ut alias fit officium vel commemoratio octavæ, ut dicetur num. 278.

Not. Quamvis hoc tempore prohibeantur octavæ, non tamen festi solemnitas : ita ut, si festum patroni loci tempore, quo octavæ prohibentur, celebretur, ejus solemnitas in toto territorio reipublicæ Gallicanæ in dominica sit celebranda, ut dicetur num. 296.

243. Ubi adveniente tempore prohibito octava cessare debet?

(1) Rub. hoc tit. n. 1, item ad tabulam occurrentiæ; Cavalieri tom. 2. c. 19.

(2) Romsée tom. 3, art. XXI, § III, ad VI et contra Mél. théol. sér. 6, fol. 162, n. 20.

Digitized by Google

R. Si dies octava incidat in feriam 4 cinerum, vigiliam pentecostes aut in diem 17 Decembris, certum est, ex communi sententia contra Guyetum (1), officium octavæ cessare post nonam diei ante diem octavam, ita ut post nonam nihil amplius fiat de octava, nec etiam commemoratio in vesperis; et vesperæ, si festum non occurrat nec concurrat, dicantur feriales : quia officium diei octavæ, quod incipit a primis vesperis, inchoari non potest, cum terminari nequeat.

Si autem tempus prohibitum incipiat a die infra octavam post unum aut plures dies infra octavam transactos, tunc officium octavæ tantum cessat post vesperas et completorium, ita ut vel dicantur de octava, vel si de festo, cum commemoratione octavæ, et sine suffragiis ac precibus (2). Quia magna datur differentia inter diem octavam et diem infra octavam : officium enim diei octavæ incipit a primis vesperis; incipi ergo nequit, quia sequenti die perfici non potest : officium autem diei infra octavam finitur tantum post vesperas et completorium; absolvi igitur potest et debet, ut aliud festum semiduplex, quia nihil obstat : nam vesperæ et completorium illi detrahi nequeunt ob sequentem feriam, cujus officium dumtaxat a matutino inchoatur.

DE MAJORI OCTAVARUM DIGNITATE.

244. Major octavarum dignitas desumenda est : 1° ex dignitate ritus et solemnitatis, quibus festum, cujus est octava, celebratur, et 2° ex dignitate personæ seu mysterii, cujus fit octava.

Quænam sunt inter octavas aliis digniores, seu quæ octavæ aliis sunt præferendæ?

R. Regula generalis est, quod cujus festum præfertur, ejus

(1) Lib. 4, c. 12, q. 6.

(2) Ita Guyetus loco cit.; Merati sect. 3, c. 8, n. 15; Lohner p. 5, in rub. brev. tit. 7, rub. 1, litt. 1; Cavalieri tom. 2, dec. 154, n. 2.

Digitized by Google

quoque præferatur octava, quæ est tantum ejusdem festi continuatio. Vid. n. 267. Majoris tamen explicationis gratia juvare potest sequens octavarum distinctio in varios gradus seu classes, in quibus quæ ad primam classem pertinent, aliis præferuntur, et sic deinceps.

In primo gradu sunt octavæ paschæ et pentecostes, in quibus non fit de ullo festo aut alia octava; sed solius festi simplicis post tres priores dies fit commemoratio, sine ejus tamen lectione (1).

In secundo gradu est octava epiphaniæ, infra quam (excepta die octava, in qua de nullo festo fieri potest) tantum fit de festo duplici 1 cl. (2), cum commemoratione tamen octavæ epiphaniæ : item fieri potest commemoratio simplicis occurrentis et octavæ festi, quod infra octavam epiphaniæ celebratur.

In tertio gradu est octava ss. Corporis Christi, quæ ab universali Ecclesia celebratur feria quinta post dominicam ss. Trinitatis; infra quam (3) tantum fit de duplicibus occurrentibus, non tamen translatis, nisi fuerint 1 vel 2 classis (4). De semiduplicibus vero, cum non transferantur, infra eam fit commemoratio. In die autem octava non fit de duplice 2 cl. occurrente, sed tantum de nativitate s. Joannis, de festo ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel de alio ex solemnioribus, id est de principali patrono loci, de titulari ecclesiæ vel de ejusdem dedicatione (5), ut dicetur n. 267, resp. 2. Fit tamen commemoratio de diebus infra aliam octavam, et de simplice occurrente, sed sine ejus nona lectione, nisi fiat officium de duplice, quod non sit 1 classis, in quo nona lectio de simplice

(1) Rub. hoc tit. 7, n. 3.

(2) Dec. 22 Apr. 1741, n. 2360.

(3) Rubricæ hoc tit. n. 3, in brev. ante festum, et in missali post missam hujus festi.

(4) S. R. C. 30 Maji 1699, n. 2030, 2.

(5) Rub. brev. ante festum; S. R. C. 30 Maji 1699, n. cit. ad 3; *Questions discutées à l'académie liturg.* a Monte Citorio, quest. 4, 9 Jan. 1856, n. 31-43.

Digitized by Google

et de simplificato legenda est (1). Si festum simplex aut semiduplex ad instar simplicis redactum cum lectione propria occurrat in dominica infra octavam ss. Corporis Christi in qua fit de ea, ejusdem pariter nona lectio omittenda est (2). Si vigilia infra octavam ss. Corporis Christi occurrat, hujus fit commemoratio in laudibus et missa, et de ea nona lectio legitur, etiam dum officium fit de die infra octavam. Quocumque festo etiam duplici 1 cl. occurrente, semper et ubique fit commemoratio octavæ ss. Corporis Christi.

In quarto gradu sunt omnes reliquæ octavæ, scilicet nativitatis Domini (quæ tamen præter reliquas hoc privilegium habet, ut de ea fiat commemoratio in quibuscumque festis occurrentibus etiam 1 cl.), ascensionis Domini, octavæ B.M.V., dedicationis et Sanctorum; item ss. Trinitatis, ss. Cordis, Redemptoris, Salvatoris, etc. in locis, ubi ratione tituli vel ex privilegio celebrantur. Infra has octavas fit : 1° de duplicibus occurrentibus et translatis; 2° de semiduplicibus occurrentibus; 3° fit commemoratio aliarum octavarum, et simplicis occurrentis, de quo nona lectio legitur etiam in diebus, in quibus officium fit de octava.

245. 1° Si plures octavæ simul occurrant, eo casu 1° octavæ festorum nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Assumptionis, ss. Petri et Pauli, nativitatis s. Joannis Baptistæ, omnium Sanctorum, quæ cum octava in universali Ecclesia celebrantur, aliis præferuntur : ratio est, quod hæ octavæ variis privilegiis decorentur, ac majori solemnitate et ritu, atque ex præcepto in universo orbe servandæ recolantur. Sic octava corporis Christi præfertur octavæ ss. Trinitatis, si hæc sit titularis loci aut ecclesiæ (3). Item octavæ assumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, nativitatis s. Joannis B., et ss. apostolorum Petri et Pauli præferuntur octavis titularis

(1) S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 1890, 4; 4 Apr. 1705, n. 2152, 7.

(2) S. R. C. 16 Sept. 1801, n. 2555.

(3) S. R. C. 8 Junii 1709, n. 2194, 2; Merati sect. III, c. 8, n. VII.

Digitized by Google

ecclesiæ, atque patroni principalis (1), nisi forte titularis et patronus sint majoris dignitatis.

2° Si Festa, quorum celebrantur octavæ, diversum ritum habeant, scilicet unum 1 cl. et alterum 2 cl., semper præferenda est octava festi 1 cl.; licet illud 2 cl. sit etiam festum Domini aut B. M. V. (2).

3° Si Festa eumdem ritum habeant, octava festi solemnioris præferenda est. Sic octava festi secundarii cedit octavæ festi primarii ejusdem ritus.

4° Si Festa sint æqualia quoad ritum et solemnitatem, præfertur octava festi dignioris (3).

5° In paritate ritus, solemnitatis et dignitatis, præferenda est octava festi kalendarii particularis. Quomodo hoc intelligendum sit, videatur num. 268, hoc notato, quod, cujus festum præfertur, hujus quoque præfertur octava, ita ut de ea fiat officium cum commemoratione alterius octavæ, vel ejus commemoratio præponatur commemorationi alterius octavæ.

DE OFFICIO FESTI ET OCTAVÆ PATRONI, TITULARIS VEL ALTERIUS SANCTI, QUI CELEBRATUR CUM OCTAVA VEL CUM SOCIO.

246. Quomodo recitandum est officium patroni, titularis vel alterius sancti, qui cum octava colitur, si in breviario non habeatur vel sine octava?

R. 1. Officium diei festi, si in breviario habeatur, idem et eodem modo est recitandum, cum lectionibus 1 nocturni propriis vel de communi, ut mox dicetur. Si officium in breviario non ponatur, nec aliunde a Sede Apostolica approbatum habeatur, omnia leguntur de communi sanctorum, prout

(1) S. R. C. 5 Martii 1695, n. 1922.
(2) S. R. C. 19 Junii 1700, n. 2059, 1.
(3) Vid. n. 268.

Digitized by Google

requirit qualitas illius sancti, cujus fit officium. Si duæ orationes eidem festo in communi conveniant, sumitur prima vel secunda, prout homilia recitatur ex 1° vel 2° loco, ut una eademque missa officio quoad orationem et evangelium correspondeat. Lectiones 1 nocturni non leguntur de Scriptura occurrente, sed de communi sanctorum ex 1 vel 2 loco, prout lectiones 3 nocturni ex 1 vel 2 loco desumuntur; ex quo enim loco lectiones 3 nocturni sumuntur, ex eodem in 1 nocturno sumendæ sunt; si lectiones 3 nocturni non sint de communi, regula desumenda est ex oratione, quæ si sit de communi, indicat utrum etiam lectiones ex 1 vel 2 loco sint recitandæ (1); si neque evangelium, neque oratio sit de communi, lectiones 1 nocturni sumi possunt ex 1 vel 2 loco, prout festo magis convenientes et accomodatæ videntur. Lectiones 2 nocturni optime sumuntur de communi 1° loco, ut infra octavam aliæ 2° positæ legantur; nisi infra octavam lectiones recitentur ex octavario Romano, quo casu lectiones 2 nocturni legendæ sunt ex eodem loco, prout modo dictum est de lectionibus 1 nocturni. In 3 nocturno lectiones recitantur ex 1 vel 2 loco de communi, prout festo magis convenientes et accommodatæ videntur (2). Missa dicenda est, cujus evangelium correspondet cum homilia officii, id est, si duæ eidem festo conveniant, ex 1 vel 2 loco, prout homilia in officio ex 1 vel 2 loco recitata est.

2. Infra octavam, si officium de festo duplici, semiduplici aut de dominica fieri non debeat, fit de octava sub ritu semiduplici; et omnia dicuntur sicut in die festo, præter lectiones, quarum tres 1 nocturni semper sunt de Scriptura occurrente in officio de tempore, nisi dies infra octavam occurrat in quatuor temporibus aliisque feriis, in quibus lectiones de Scriptura in officio de tempore non assignantur, quando lectiones 1 nocturni sumuntur de communi 1 loco, vel 2 loco si illæ ex 1 loco in die festo recitatæ fuerint. Infra octavam lectiones 2 et 3 nocturni, si propriæ et approbatæ non

(1) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2839, 7.
(2) Cavalieri tom. 1, dec. 68, n. 7.

Digitized by Google

habeantur, sumi possunt ex octavario Romano eo ordine, quo ibidem in proprio aut in communi assignantur. « Quod si in tertio nocturno communes non deserviant aliquibus festis, quæ videlicet proprium habent evangelium, eo casu post diem festum (in quo legi debet proprium evangelium cum sua homilia) in sequentibus diebus infra octavam lege evangelium in missa et officio vel primum vel aliud congruentius de communi cum suis homiliis, ut fit infra octavam ss. Petri et Pauli. In die vero octava legatur in tertio nocturno ut in die festo, si propriis caret seu communibus lectionibus in evangelium diei festi, nisi aliud notetur » (1).

Si octavarium Romanum non habeatur, tunc singulis diebus, in quibus fit de octava, lectiones diei festi in 3 nocturno repetendæ sunt, quia evangelium missæ cum evangelio et homilia tertii nocturni concordare debet : hic autem fieri nequit, quod supra pro usu octavarii Romani dictum est; quia rubricæ, hoc tit. n. 4, id non permittunt, et quia, cum in breviario pro singulo evangelio una tantum homilia in communi assignetur, mutationes nimis forent frequentes, et conformitas servari non posset. In secundo nocturno lectiones diei festi pariter repetendæ sunt, si hoc festum non habeat commune sanctorum juxta rubricas hoc tit. n. 4 : si autem habeat commune, in 2 nocturno diei festi leguntur lectiones propriæ; deinde prima die, qua fit de octava, de communi 1 loco; tum secunda die, qua fit de octava, de communi 2 loco : si festum proprias 2 nocturni non habeat lectiones, in die festo leguntur de communi 1 loco, et deinde prima die infra octavam de communi 2 loco. Exhausto communi, repetuntur iterum de communi prius ex 1° et deinde ex 2° loco usque ad diem octavam exclusive.

3. In dominica infra octavam, si festum duplex non occurrat, fit de ea ut in psalterio cum commemoratione octavæ; non dicuntur preces neque suffragia; in prima tamen quinque leguntur psalmi; in missa duæ tantum dicuntur orationes, nisi aliæ commemorationes speciales occurrant, et adhibetur

(1) Ita octavarium Romanum in suis rub. nota 3.

Digitized by Google

color octavæ, exceptis dominicis, quibus tributus est color violaceus.

4. In die octava officium est duplex, et omnia dicuntur ut in die festo : lectiones tamen 1 nocturni sunt de Scriptura occurrente, nisi occurrat in quatuor temporibus, aliisque feriis, in quibus lectiones de Scriptura non assignantur : quando juxta rubricas tit. XXVI, n. 9 leguntur lectiones, quæ in die festo lectæ fuerunt. In 2 nocturno recitantur lectiones de die festo (1).

5. In vesperis infra octavam omnia dicuntur, sicut in secundis vesperis festi; et in primis vesperis diei octavæ omnia sicut in primis vesperis festi : idemque servandum est, dum de octava tantum fit commemoratio.

Not. ex octavario Romano nota 5. « Accidere potest in legendis lectionibus 2 et 3 nocturni octavarum communium, quæ in octavario continentur, quod ratione festorum infra octavas occurrentium omitti debeant initia vel sermonum vel homiliarum; de quibus tamen post festum occurrens est rursus legendum : et tunc post tale festum non legatur titulus *De sermone*, vel *De homilia*, cum nondum de eisdem lectum sit; sed dicatur simpliciter *Sermo* seu *Homilia S. N.*, ac si esset initium sermonis seu homiliæ; vel legatur initium ipsum in præcedentibus diebus positum, prout videbitur magis congruere. Idem servetur, quando in die octava præscribitur sumi aliquas infra octavam omissas, ob diem dominicam, seu festum occurrens. »

247. Quomodo recitandum est officium patroni, titularis, vel alterius sancti, qui cum octava consuevit celebrari, si officium in breviario conjunctum sit cum officio sociorum?

R. Si ille sanctus non sit patronus vel titularis, sed ejus festum ex sola consuetudine celebretur, officium recitandum est prout consuetudo legitima introduxit.

Si sit patronus vel titularis principalis, tantum fit de patrono vel titulari absque commemoratione aliorum (de quibus fit, ut dicetur n. 293), sive illi sancti sub uno officio

(1) S. R. C. 13 Dec. 1895, n. 3876, 9.

Digitized by Google

juncti sint consanguinitate sive martyrio vel aliter, juxta rubricas post tabellam de occurrentia, quæ id generaliter præscribunt.

In officio patroni seu titularis a sociis separati, omnia dicuntur de communi sanctorum illius sancti, cujus fit officium, ita tamen ut de uno et non de pluribus fiat officium. Si tamen in breviario aut missali quædam ponantur illi sancto propria, hæc retinentur, ut epistola in missa s. Dionysii 9 Octobris.

Lectiones 2 nocturni, quæ in breviario propriæ habentur, si commode disjungi possint, ut in festo ss. Fabiani et Sebastiani, leguntur tantum de illo sancto, cujus fit officium; sexta autem, vel etiam quinta lectio suppletur de communi; si lectiones commode disjungi nequeant, quia facta unius sunt connexa cum factis alterius, ut in officio s. Dionysii, eo casu in 2 nocturno lectiones festi leguntur, uti sunt in breviario (1). Idem servandum est, si sancti in breviario ritum tantum simplicem habeant : ita ut lectiones propriæ, una vel duæ, legantur in 2 nocturno.

248. Octavarium Romanum, de quo in præcedentibus actum est, est liber a S. R. C. ad usum totius orbis approbatus, complectens lectiones 2 et 3 nocturni, recitandas infra octavas festorum præsertim patronorum et titularium, quæ cum octavis juxta rubricas breviarii sunt celebranda. Hoc octavarium seorsum a breviario imprimi posse decrevit S. R. C. 19 Feb. 1622, ut initio octavarii refertur. Not. autem, hoc octavarium a Barth. Gavanto collectum, a S. R. C. tantum esse laudatum et approbatum eo sensu, ut recitari possit, et proinde laudabiliter adhiberi; sed non esse præceptum, adeoque adhiberi non debere.

(1) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1589, 2.

Digitized by Google

Titulus VIII.

249. DE OFFICIO SANCTÆ MARIÆ IN SABBATO.

Rub. 1. *In omnibus Sabbatis per annum extra Adventum et Quadragesimam, ac nisi Quatuor Tempora aut Vigiliæ occurrant, vel nisi fieri debeat de Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est; et nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de Octava Paschæ et Pentecostes, semper fit Officium de sancta Maria, eo modo quo fit de Festo simplici, quemadmodum circa finem Breviarii disponitur. De festo autem simplici, in Sabbato occurrente, fit tantum commemoratio.*

2. *Cum vero supradictis diebus fieri non potest Officium de sancta Maria, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum; sed tantum in Semiduplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis Suffragiis positis in Psalterio post Vesperas Sabbati.*

3. *Ejus Officium in Sabbato incipit Feria VI, ad modum Festi simplicis, a Capitulo, et terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feria VI occurrat Officium novem lectionum, in Vesperis fit tantum commemoratio de Sancta Maria, cum Antiphona, Versu et Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem Lectionum sit de eadem beata Maria, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est.*

4. *Ad Matutinum, post Invitatorium et Hymnum de sancta Maria, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis ferialibus, ut in Psalterio, Versus de sancta Maria, prima et secunda Lectio ex Scriptura de Tempore occurrente; tertia Lectio et alia omnia tam in Matutino, quam in*

Digitized by Google

Laudibus et Horis, ut in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato assignantur.

5. *Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, et fiunt Suffragia consueta de sancto Joseph, de Apostolis, de Titulo et Pace, et tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.*

In pluribus locis ex indulto Apostolico recitatur officium conceptionis B. M. V. in sabbatis, uti concessit Benedictus XIII, pro omnibus regnis, dominiis et ditionibus Cæsareæ majestati subjectis extra Italiam.

Sabbatum dicatum est B. Mariæ V.: 1° quia, cum reliqui dies secundum ordinem creationis sex dierum distribuantur, septimus dies, quo Deus requievit ab universo opere, destinatus fuit in honorem B. M. V., quæ præ omnibus sanctis post Deum peculiari cultu est honoranda; 2° quia sicut sabbatum est janua et introitus ad diem dominicam, ita B. M. V. est nobis porta et janua cœli (1).

Titulus IX.

DE COMMEMORATIONIBUS.

250. Officia dicuntur concurrere et occurrere; scilicet officium, quod fit hac die, dicitur concurrere cum officio sequentis diei : adeoque concurrentia vesperas tantum respicit. Officia autem, quæ uno eodemque die facienda seu celebranda occurrunt, dicuntur occurrere, et proinde occur-

(1) Vid. Durand. rat. div. off. lib. IV, c. I, n. 31, etc.

Digitized by Google

rentia respicit totum diei officium, vel potius utrasque vesperas, matutinum, laudes et missam.

251. Occurrentia duplex est, scilicet exclusiva, quando plura officia simul fieri nequeunt, sed unum fieri et aliud vel alia transferri debent (de hac agetur tit. X, n. 264); altera inclusiva, quando de pluribus officiis simul fieri potest, seu unum officium fieri potest cum plurium commemorationibus (de hac hic agitur).

Commemoratio igitur est quædam exigua officii pars in ipsius integri locum substituta, et quasi vicem supplens.

252. Commemorationes etiam sunt duplicis generis : communes, quæ dicuntur suffragia sanctorum, de quibus agetur n. 367; et speciales, quæ ratione occurrentiæ vel concurrentiæ officio diei superaddendæ sunt, quæque proprie commemorationes dicuntur, de quibus hic agitur.

253. De quibus officiis simul fieri potest, seu de quibus officiis fieri potest commemoratio?

R. 1. In occurrentia de octava, dominica, feria majori, vigilia, festo simplice, de festo duplice minori præterquam de ss. Doctoribus, et de festo semiduplice occurrentibus cum alio officio, quod præfertur.

2. In concurrentia seu in vesperis fit commemoratio cujuscumque officii concurrentis cum alio, exceptis 1° feriis, quæ proprie concurrere non possunt juxta rubricas tit. XI, n. 9; 2° festo simplici in secundis vesperis, quas non habet; 3° consursu officii dignioris, quod illam commemorationem non admittit.

DE COMMEMORATIONE SIMPLICIS, FERIÆ, DOMINICÆ ET OCTAVÆ.

Rub. 1. *Commemorationes fiunt de Festis simplicibus, quando in eorum diebus incidit Festum novem Lectionum etiam translatum, vel Dominica, vel Octava, vel Sabbatum : et quando fieri debet de Feria, ut ponatur Officium alicujus Dominicæ, quæ eo anno supersit.*

Digitized by Google

2. *De Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et secunda Rogationum fit commemoratio, quando Festum novem Lectionum in illis Feriis occurrit. Si simplex Festum in eisdem Feriis occurrat, Officium fit de Feria, et commemoratio de Festo simplici.*

3. *Præterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Dominica in Albis usque ad Pentecosten exclusive, quando Festo duplici impediuntur. De aliis Dominicis nulla fit commemoratio, occurrente Festo duplici, quia Festum in illis occurrens transfertur : aut de eo fit commemoratio, ut dicetur in sequenti Rubrica de Translatione Festorum; nisi illud Festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipsius Ecclesiæ, non autem alicujus Capellæ, vel Altaris ejusdem Ecclesiæ; et tunc de hujusmodi principali Festo fit tantum in eo loco, vel Ecclesia, cujus est Patronus, vel Titulus, aut Dedicatio, cum commemoratione Dominicæ : excepta Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, Dominica Paschæ, Dominica in Albis, ac Dominica Pentecostes et Sanctissimæ Trinitatis : in quibus hujusmodi occurrens Festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam; dummodo non fuerit infra majorem Hebdomadam et per Octavam Paschæ et Pentecostes : quibus diebus non fit de aliquo Festo duplici occurrente. Idem dicendum de aliis Festis primæ classis occurrentibus in præfatis Dominicis Majoribus.*

4. *De octava etiam, quando Festo novem Lectionum vel dominica impeditur, fit commemoratio, nisi illud Festum novem Lectionum fuerit solemne principale alicujus loci, ut supra. Nam in primis Vesperis et Laudibus hujusmodi festi nulla fit commemoratio Festi simplicis occurrentis, nec alicujus Vigiliæ, excepta vigilia Epiphaniæ, nec alicujus diei infra Octavam, nec alicujus præcedentis Festi novem Lectionum (nisi id Festum fuerit ex iis quæ infra in hac eadem Rubrica enumerantur), nec diei Octavæ, nec Dominicæ si Festum illud solemne celebretur Feria secunda, exceptis Dominicis Adventus, et Dominicis a Septuagesima usque ad*

Digitized by Google

Octavam Paschæ inclusive: de quibus Dominicis, sicut etiam de Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et secundæ Rogationum semper fit commemoratio, quocumque Festo adveniente. Quod si hujusmodi Festum solemne venerit in quacumque Dominica, fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis et Laudibus. Et similiter si occurrat in die Octava alicujus Festi habentis Octavam, de ea fiet commemoratio etiam in utrisque Vesperis et Laudibus. In secundis autem Vesperis Festi prædicti fit commemoratio de Duplici, Semiduplici, et Dominica sequentibus, et non de aliis.

---

254. Quando et ubinam commemoratio festi simplicis fieri potest et debet?

R. Si in ejus die occurrant festum novem lectionum, octava et dies infra octavam, dominica, feria major, vigilia, feria in qua fieri debet de dominica anticipata, vel sabbatum in quo fit de s. Maria; ejus commemoratio fit in 1 vesperis, laudibus et missa, exceptis dominica palmarum et vigilia pentecostes, in quibus ejus quidem fit commemoratio in 1 vesperis et laudibus, sed non in missis etiam privatis (1). In festo tamen duplici 1 cl. nihil fit de simplice; et in festo duplici 2 cl. ejus commemoratio tantum fit in laudibus et missis privatis seu non cantatis, nec conventualibus, ut dictum est tom. I, n. 70, annot. 1; sed non in primis vesperis etiam in casu, quo vesperæ fiunt de præcedente digniori duplici 2 cl.; quia quamvis duplex 2 cl. in suis 2 vesperis admittat commemorationem simplicis concurrentis, hic tamen omitti debet ob sequens duplex 2 cl., quod excludit commemorationem simplicis in suis primis vesperis, et quamvis vesperæ de eodem non fiunt, habet tamen jus ad illas, et consequenter jus excludendi commemorationem simplicis (2). Hoc declaravit S. R. C. (3)

(1) Rub. gen. Miss. tit. VII, n. 1.
(2) Gavantus s. 3, c. 11, n. 15, et Merati ibidem n. 3.
(3) 27 Mart. 1824, n. 2632.

Digitized by Google

quoad commemorationem dominicæ in eodem casu, et idem igitur magis de simplice dicendum est.

Commemoratio simplicis, quum aliud officium, de quo fiunt secundæ vesperæ, cum simplice concurrit, fit in quocumque officio etiam dup. 2 cl.; modo non sit 1 cl., in quo commemoratio simplicis ubique omittitur.

Si festum simplex occurrat in feria majori, vigilia, aut feria in quam officium dominicæ reponendum est, et die præcedente officium factum fuerit de feria minori aut alio simplici, totæ vesperæ sunt feriales ut in psalterio cum commemoratione simplicis. Item si festum simplex occurrat feria quinta in cœna Domini, nulla etiam ejus fit commemoratio in vesperis feriæ quartæ præcedentis (1).

Si simplex occurrat cum alio simplice, de uno fit officium et de alio commemoratio. De nona lectione festi simplicis dicetur n. 345.

Notandum festum duplex vel semiduplex quod perpetuo redactum est ad ritum simplicem, considerari debere non ut simplificatum, sed ut simplex (2).

255. Quando et ubinam fieri potest et debet commemoratio feriæ et vigiliæ?

R. De feriis adventus, quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum sive cum sive sine jejunio, et secunda rogationum fit commemoratio, quando officium novem lectionum in iis occurrit; exceptis vigiliis, quæ occurrunt in festis 1 cl., in quibus nihil fit de vigilia, præter vigiliam epiphaniæ, de qua dictum est num. 239 ad V; item exceptis vigiliis, quæ occurrunt in adventu, quadragesima, et quatuor temporibus, in quibus nihil fit de vigilia in officio, sed in missa tantum, ut dictum est num. cit. ad VI.

De feriis adventus et quadragesimæ fit commemoratio in vesperis, laudibus et missa; sed de feriis quatuor temporum septembris, vigiliarum et secunda rogationum in laudibus et missa tantum. De vigiliis nativitatis Domini et pentecostes non fit commemoratio, sed semper officium.

(1) Rub. tit. XI, n. 10.
(2) S. R. C. 7 Dec. 1900.

Digitized by Google

De feriis minoribus per annum nulla fit commemoratio, quando de iis non fit officium, exceptis feriis 3ª et 4ª rogationum, de quibus fit commemoratio, sed in missa tantum. De feria 6ª post octavam ascensionis dicetur proprio loco tom. III, n. 78.

De nona lectione feriæ majoris vid. num. 344.

256. Quando et ubi dominicæ fit commemoratio?

R. Dominicæ minoris per annum fit commemoratio, dum in ea occurrit festum duplex vel dies octava. Dominicæ majoris 2 cl. fit commemoratio tantum, dum in ea occurrit festum duplex 1 cl. ut dicetur n. 267, resp. 2; alias semper fit ejus officium. Dominicæ 1 cl. numquam fit commemoratio, sed semper officium.

Quandocumque dominicæ fit commemoratio ratione occurrentiæ, etiam in festis 1 cl.; illa semper fit in utrisque vesperis, laudibus et missa cum nona lectione in matutino.

In 1 vesperis cujuscumque dominicæ, nisi vacet, semper ejus fit commemoratio, quocumque festo etiam duplici 1 cl. concurrente. Item in 2 vesperis, ejus quoque semper fit commemoratio, si sit dominica major 1 aut 2 cl.; si autem sit dominica minor per annum, ejus commemoratio fit, dum sequitur duplex minus et majus, non autem dum sequitur duplex 1 aut 2 cl., etiam in casu, dum in dominica occurrit duplex 1 aut 2 cl., de quo fiunt vesperæ (1), ut supra dictum est de simplice n. 254.

De dominica anticipata vid. num. 237.

257. Quando et ubi fit commemoratio diei octavæ et infra octavam?

R. Diei octavæ fit commemoratio, quando in ea occurrit alia dies octava dignior, festum duplex 1 aut 2 cl. et dominica 1 aut 2 cl. in utrisque vesperis, laudibus et missa. De loco ejus commemorationis faciendæ, vid. n. 263, et de concurrentia diei octavæ num. 304-306.

Diei infra octavam fit commemoratio in vesperis, laudibus, et missa, quando impeditur die octava alterius octavæ, die

(1) S. R. C. 27 Mart. 1824, n. 2632, 1.

Digitized by Google

infra octavam digniorem, dominica et festo duplici aut semiduplici; excepto duplici 1 aut 2 cl., in quo de die infra octavam non fit commemoratio, nisi : 1° de octava s. Stephani in festo s. Joannis, et de horum octavis in festo ss. Innocentium; 2° nisi sint octavæ nativitatis Domini, epiphaniæ et ss. Corporis Christi, de quibus semper fit commemoratio; et 3° nisi die sequente post festum duplex 2 cl. officium fieri debeat de die infra octavam, quando in 2 vesperis festi 2 cl. (non autem 1 cl.) fit commemoratio diei infra octavam, de qua sequente die fit officium.

258. Not. 1. in officio non bis fieri commemorationem de eodem, neque commemorationem fieri de eo, de quo fit officium, sed in hoc casu commemorationem esse omittendam. Sic occurrente aliquo festo B. M. V. infra ejusdem octavam, commemoratio octavæ prætermittitur (1). Hoc autem locum non habet in officiis quæ censentur diversa, v. g. in officio divisionis Apostolorum, quod alicubi celebratur infra octavam Apostolorum, fit commemoratio octavæ ss. Apostolorum; et in officio s. Angeli custodis commemoratio octavæ s. Michaelis (2). Idem quoque servandum est in concurrentia, ut dicetur num. 307.

Not. 2. juxta Quarti (3) et Suarez (4) Episcopum ex justa causa posse ordinare, ut in recitatione officii etiam in choro una vel altera oratio addatur; Cavalieri (5) tamen hoc non admittit, et certe usus id non habet.

(1) S. R. C. 23 Sept. 1684, n. 1739, et 24 Sept. 1685, n. 1950, quoad festum s. nominis B. M. V. in die octava vel infra octavam nativitatis B. M. V.

(2) S. R. C. 1 Junii 1876, n. 3400, II; 15 Julii 1876, n. 3406.

(3) P. 1, tit. 1, d. VIII, in rub. miss.

(4) De relig. t. 2, lib. 4, c. 11, n. 6.

(5) Tom. 2, dec. 346, n. 5 et 6.

Digitized by Google

DE COMMEMORATIONIBUS IN FESTIS 1 ET 2 CLASSIS, AC INFERIORIS RITUS.

Rub. 5. *Idem servatur in quibusdam Festis majoribus per annum, scilicet in Nativitate Domini (in cujus Officio nulla fit commemoratio de sancta Anastasia, sed in secunda tantum Missa), in Epiphania, in Pascha Resurrectionis cum tribus proxime antecedentibus, et duobus sequentibus diebus; in Ascensione Domini, in Pentecoste, cum duobus sequentibus diebus, in Festo Corporis Christi, et in Festo ss. Cordis Jesu, in Festis sancti Joseph, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis, et Assumptionis beatæ Mariæ, in Festo omnium Sanctorum, et in Festo Dedicationis propriæ Ecclesiæ : in quibus Festis fiunt commemorationes eo modo tantum, quo dictum est supra de Festo solemni alicujus loci.*

6. *In Festis autem secundi ordinis, videlicet, Circumcisionis, Sanctissimi Nominis Jesu, Trinitatis, Purificationis, Visitationis, et solemnitatis ss. Rosarii Nativitatis B. Mariæ, in Natalitiis undecim Apostolorum et Evangelistarum, in Festo Patrocinii sancti Joseph, in Festo pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., et Inventionis sanctæ Crucis, in Festo sancti Joachim Patris beatæ Mariæ Virginis, et sanctæ Annæ Matris ejusdem, in Festo sancti Laurentii, et Dedicationis sancti Michaelis Archangeli, in primis Vesperis fit commemoratio Festi duplicis eo die celebrati, nisi aliter in propriis locis notetur : de Dominica vero, de die infra Octavam, et de Festis semiduplicibus non fit commemoratio eo modo, quo nec in Festo solemni alicujus loci, ut dictum est supra. De simplicibus et Vigiliis in his Festis occurrentibus legitur nona Lectio, et fit commemoratio in Laudibus tantum. In secundis autem Vesperis fit commemoratio de quocumque sequenti Festo, etiam simplici, et de die infra Octavam, si de ea fieri debeat Officium die sequenti. De Octavis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Corporis Christi, semper fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, quandocumque contigerit infra*

Digitized by Google

illas de aliquo alio Festo Officium celebrari juxta Rubricam de octavis num. 3.

---

259. Quæ commemorationes in festis duplicibus 1 cl. fieri possunt et debent?

R. Fieri potest et debet commemoratio occurrentium dominicæ, diei octavæ, et feriarum adventus et quadragesimæ in utrisque vesperis, laudibus et missa; item feriarum quatuor temporum septembris et secundæ rogationum in laudibus et missa; nihil autem fit de duplice vel semiduplice occurrentibus, nec de vigiliis, excepta vigilia epiphaniæ, nec aliquid fit de simplice et die infra octavam, nisi sint octavæ nativitatis Domini, epiphaniæ, et Corporis Christi, de quibus, ut etiam de vigilia epiphaniæ, semper et ubique fit commemoratio. Commemoratio dominicæ minoris per annum omittitur in secundis vesperis, si sequatur duplex 1 aut 2 cl. ut dictum est num. 256.

In primis vesperis festi 1 cl. fit commemoratio præcedentis duplicis 1 aut 2 cl., præcedentis dominicæ majoris, et feriarum adventus et quadragesimæ; non autem præcedentium dominicæ minoris, duplicis majoris et minoris, diei octavæ (nisi sint dies octavæ epiphaniæ, paschatis, ascensionis et ss. Corporis Christi juxta rubricas post tabellam concurrentiæ), neque diei infra octavam, nisi sint tres supra exceptæ.

In secundis vesperis fit commemoratio cujuscumque sequentis duplicis, diei octavæ, semiduplicis, et etiam duplicis vel semiduplicis simplificati, si hujusmodi commemoratio facienda sit die sequenti, cujuscumque dominicæ et feriarum adventus et quadragesimæ; non autem sequentis simplicis, neque diei infra octavam præter tres supra exceptas, etiamsi die sequente officium fiat de die infra octavam.

260. Quas commemorationes admittit festum duplex 2 cl. et quasnam non?

R. Admittit easdem commemorationes ac festum 1 cl., et præterea occurrentis duplicis vel semiduplicis simplificati in

Digitized by Google

utrisque vesperis et laudibus cum nona lectione ad matutinum, et in missa etiam solemni, item occurrentis festi simplicis, de quo nona lectio legitur et fit commemoratio, non in 1 vesperis, sed in laudibus et missis privatis, seu non cantatis, nec conventualibus, ut dictum est tom. I, n. 70, annot. 1; item occurrentis vigiliæ, de qua nona lectio legitur, et fit commemoratio in laudibus et omnibus missis; non tamen diei infra octavam, nisi octavarum nativitatis Domini, et ss. Corporis Christi, item s. Stephani in festo s. Joannis, et harum octavarum in festo ss. Innocentium.

In primis vesperis admittit etiam commemorationem cujuscumque præcedentis duplicis, nisi aliud in propriis locis notetur, ut in festo circumcisionis Domini; non autem præcedentium dominicæ minoris, semiduplicis neque diei infra octavam præter supra exceptas.

In secundis vesperis admittit commemorationem cujuscumque dominicæ, et sequentis festi etiam simplicis; diei autem infra octavam, præter supra exceptas, tantum dum de ea officium die sequente fieri debet, et alias non. Commemoratio simplicis et dominicæ minoris occurrentis omittitur, si duplex 1 aut 2 cl. sequatur, ut dictum est num. 254 et 256.

Not. sub festis 1 et 2 cl. non comprehendi dominicas 1 et 2 cl., ut sunt dominicæ adventus et quadragesimæ, item dominica in albis; nisi ritu duplici 1 aut 2 classis celebrentur, ut dominica ss. Trinitatis, quæ ritu dup. 2 cl. celebratur.

261. Quæ commemorationes fieri possunt et debent in festis et officiis inferioris ritus, quam duplicis 1 et 2 cl.?

R. Per se fieri possunt et debent quæcumque commemorationes occurrentes et concurrentes. Dicitur *per se*, propter circumstantias occurrentes, quæ quandoque commemorationem impediunt; ut si vigilia et feria major occurrant, de vigilia nihil fit, nisi in missa.

Not. in quocumque festo s. Petri fieri commemorationem s. Pauli ante alias commemorationes, etiam festi duplicis aut dominicæ, et vicissim in festis s. Pauli fieri commemorationem s. Petri, ut in propriis festis notatur : quæ distincta commemoratio, ubi festum v. g. s. Petri ad vincula vel con-

Digitized by Google

versionis s. Pauli est titulus ecclesiæ, etiam semper per octavam est facienda (1).

In locis ubi in festo ss. Apostolorum Petri et Pauli ex apostolico indulto fit commemoratio omnium apostolorum in primis et secundis vesperis ac in laudibus, et etiam in missa, hujusmodi commemoratio facienda non est in prædictis secundis vesperis, quando die sequenti celebratur festum commemorationis s. Pauli Apostoli, ut in ecclesia propria, sub ritu duplici primæ classis (2).

DE LOCIS ET MODIS QUIBUS FIT COMMEMORATIO.

Rub. 7. *De Dominicis et Feriis Adventus et Quadragesimæ commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus. De feriis Quatuor Temporum, Vigiliarum et secunda Rogationum, quando de illis commemoratio fieri debet, fit in Laudibus tantum. De Festis autem simplicibus (nisi in diebus supradictis occurrant) commemoratio fit in primis Vesperis et Laudibus eo die quo in Kalendario assignantur. De aliis vero Dominicis per annum, et Octavis, commemoratio fit in utrisque Vesperis et Laudibus, nisi concurrant cum supra enumeratis Festis. De Festis Duplicibus et Semiduplicibus, quoties, juxta sequentem Rubricam de Translatione Festorum, reduci debent ad modum Simplicis, fit pariter Commemoratio, ad instar diei Octavæ et Dominicæ, in utrisque Vesperis et Laudibus, præterquam in omnibus Duplicibus primæ classis, exceptis eorum secundis Vesperis, si hujusmodi commemoratio facienda sit die sequenti.*

8. *Commemorationes fiunt hoc modo : post orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona, quæ posita est ad* Magnificat, *et in Laudibus quæ posita est ad* Benedictus *in Communi (si propriam non habuerit) conveniens ejus Officio, cujus fit commemoratio. Post Antiphonam dicitur versus,*

(1) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, 5.
(2) S. R. C. 7 Jul. 1900 Lauden. 1.

Digitized by Google

inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum : deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Versus Festi simplicis, de quo fit commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo commemorationes variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus, et in Laudibus ex primis Vesperis ejusdem Communis, nisi aliter signetur. Si vero ex eodem Communi, unde sumpta sunt in officio diei, sumenda essent Antiphona et versus Officii redacti ad instar simplicis, tunc in primis Vesperis Antiphona et versus sumantur e secundis; si Festum utrasque Vesperas habeat, in Laudibus e primis Vesperis, et in secundis Vesperis Antiphona sumatur e Laudibus et versus e primis Vesperis, nisi aliter signetur : excepto casu, quo commemoratio alicujus S. Virginis facienda sit in Festo alterius S. Virginis; tunc enim in primis Vesperis pro S. Virgine de qua agitur commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus. Quando vero Festum ad instar simplicis recolendum commemorationem in secundis Vesperis ob Festum duplex primæ vel secundæ classis immediate sequens non habeat, fit ut supra dictum est de Festis simplicibus. Et similiter si in secundis Vesperis sanctæ Angelæ Mericiæ, aut alterius Sanctæ novem Lectionum fieri debeat commemoratio beatæ Mariæ, pro ejus Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur v. Diffusa est gratia, *dicatur v.* Benedicta tu, *ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit oratio Festi, de quo fit Officium, et ejus de quo fit commemoratio, mutetur oratio pro commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat commemoratio, de Dominica scilicet, vel Feria, Antiphona et versus ante orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore, si habuerit proprium; alioquin de Psalterio : Oratio vero ex Proprio de Tempore.*

9. *Quando fit commemoratio de Dominica, vel Feria, quæ habent propriam Homiliam, nona Lectio in Officio diei novem Lectionum legitur de Homilia Dominicæ, vel Feriæ; quæ erit vel prima de Homilia Dominicæ, vel tres simul in una Lectione conjunctæ.*

10. *Si in die, in quo fit Officium novem Lectionum, fiat*

Digitized by Google

commemoratio de Festo trium Lectionum, nona Lectio legitur de Festo trium Lectionum, si propriam habuerit: si duas, ex duabus fiat una Lectio, quæ sit nona in Officio novem Lectionum. Quæ Lectio de Sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in Dominicis, quæ habent nonum Responsorium, nec quando nona Lectio legenda est de Homilia Dominicæ vel Feriæ, ut supra; nec in Feriis et aliis diebus, quando in Officio diei leguntur tantum tres Lectiones : nec etiam nona Lectio legitur de die infra Octavam, quando de ea fit commemoratio in Dominica vel aliquo Festo, licet habeat Evangelium proprium et Homiliam. Servata eadem regula, quando in Officio novem Lectionum fit commemoratio de Festo Duplici aut Semiduplici redacto ad instar simplicis, ut in sequenti Rubrica, de Sancto legenda est nona Lectio ad Matutinum composita ex singulis ejus Lectionibus historicis secundi Nocturni per modum unius, præterquam in tota Octava Festi Corporis Christi, si de ea fiat Officium; quo in casu etiam omittenda nona Lectio Festi simplicis.

---

262. Commemorationes fiunt in vesperis et laudibus, atque in matutino, legendo nonam lectionem, ut clare præscribitur in rubricis præmissis, et de quibus modo dictum est num. 254-257. Præterea de nona lectione specialiter agetur num. 345 et 346. Item quomodo fiat commemoratio patet ex rubricis n. 8.

Quid fieri debet, sit antiphona et versus commemorationis faciendæ, eadem sint ac in officio?

R. Antiphona et versus officii retinenda, sed mutanda sunt illa pro commemoratione, quæ eadem sunt, ne bis eadem dicantur. Si antiphona eadem sit, sed versus diversus, sola antiphona est mutanda; et contra si diversa sit antiphona sed idem versus, solus versus mutandus est, v. g. in vesperis officii s. Elisabeth 8 Julii, pro suffragio B. M. V. solus mutandus est versus *Ora pro nobis*. Regula generalis est, quod in primis et secundis vesperis antiphona et versus, quæ mutari

Digitized by Google

debent, sumantur ex laudibus officii proprii vel communis, de quo commemoratio fieri debet, et in laudibus ex primis vesperis. Hæc regula rubricæ supra n. 8 (1) semper servanda est, nisi :

1° Aliter in propriis locis assignetur, uti 4 Novembris pro commemoratione ss. Vitalis et Agricolæ in laudibus.

2° Nisi mutatio fieri debeat pro commemoratione diei infra octavam; quando in vesperis quidem ut alias antiphona sumenda est ex laudibus, sed in laudibus ex secundis vesperis, quia dies infra octavam primas vesperas non habet : in utroque tamen casu versus, si mutari debeat, sumendus est ex primis vesperis, quia in communi sanctorum idem versus habetur in laudibus et secundis vesperis.

3° Nisi plures commemorationes faciendæ sint, quando in casu plurium commemorationum simplicium et suffragiorum, ad vesperas, dictis Antiphona et versu de 1 et 2 vesperis, altera commemoratio fit per antiphonam de laudibus et versum ex 2 nocturno, ultima vero per primam antiphonam et versum ex 3 nocturno. Ad laudes, dictis antiphona et versu de Laudibus, prima commemoratio fit per antiphonam et versum de primis vesperis; pro secunda commemoratione antiphona sumenda est ex 2 vesperis et versus ex 2 nocturno, tertia tandem fit per antiphonam primam tertii nocturni et versum ejusdem nocturni (2).

Not. 1. antiphonas ad *Benedictus* in communi conf. pont. et non pont. censeri diversas, et unam pro officio, et alteram pro commemoratione deservire posse (3). Idem dicendum videtur de antiphona secundarum vesperarum confessoris pont. et versu primarum vesperarum, ita ut eadem antiphona *Amavit* et versus *Amavit* pro eadem commemoratione seu suffragio adhiberi possint.

Not. 2. Si mutanda sit oratio, et una tantum in communi habeatur, ut pro doctoribus, pro virginibus et non virgi-

(1) S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 1890, 1; 28 Mart. 1775, 2.
(2) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4042.
(3) Gavantus s. 3, c. XI, n. 29, et Cavalieri tom. 2, dec. 286, n. 3.

Digitized by Google

nibus, adhiberi posse pro doctoribus aliam de communi confessoris, et *Indulgentiam* pro virginibus tacita qualitate martyris, et etiam pro ss. mulieribus tacitis qualitatibus virginis et martyris (1).

Not. 3. Si mutatio antiphonæ et versus in breviario præscribatur propter occursum festi ejusdem qualitatis; tunc si hoc festum transferatur, mutationem non esse faciendam, et antiphonam et versum sumenda esse, ut in communi habentur.

DE ORDINE COMMEMORATIONUM FACIENDARUM.

Rub. 11. *Quando contingit fieri plures commemorationes, illæ semper præponantur, quæ ad officium pertinent, cujuscumque sit ritus; exceptis illis, quæ ab Officio, de quo agitur, nunquam separantur, uti de sancto Paulo Apostolo in Cathedra Sancti Petri etc. prout in Rubricis specialibus suo loco dicetur. Deinde servetur hic ordo :* 1. *De Dominica privilegiata,* 2. *de die Octava,* 3. *de Duplici majori,* 4. *de Duplici minori, ad instar simplicium redactis,* 5. *de Dominica Communi,* 6. *de die infra Octavam Corporis Christi,* 7. *de Semiduplici,* 8. *de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis,* 9. *de Feria majori vel Vigilia,* 10. *de Simplici. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem Lectionum, quod Feria VI celebratum sit, de ea fieri debet commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante Festum simplex in Sabbato occurrens. De Festo simplici fit commemoratio ante Suffragia, seu communes commemorationes de Cruce, sancta Maria, sancto Joseph, Apostolis et de Pace, et ante commemorationem cujuscumque Tituli, vel Patroni Ecclesiæ, quæ etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis prædictis præponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.*

(1) Gavantus sect. 8, c. 4, n. 7. Vid. tom. 1, n. 70 ad 5.

Digitized by Google

263. Quo ordine commemorationes sunt faciendæ?

R. Regula generalis servanda præscribitur a Rubrica ut illæ semper præponantur commemorationes, quæ ad officium pertinent, exceptis illis quæ ab officio de quo agitur, nunquam separantur. Post orationem diei, ante ceteras, commemoratio semper agenda est de alio cujuscumque ritus festo quod concurrat, si locum habeat (1). Deinde reliquæ juxta ordinem Rubricæ : de dominica privilegiata; de die octava; de duplici majori ante duplex minus; de duplici minori, licet agatur tanquam simplex, ante dominicam; de dominica ante festum semiduplex; de die infra octavam corporis Christi; de semiduplici, etiam quando reducitur ad modum simplicis, ante diem infra octavam; de die infra octavam ante ferias adventus, quatuor temporum, et secundam rogationum; de feriis adventus, quadragesimæ et quatuor temporum ante vigilias (in missa); de prædictis feriis et vigiliis ante festum simplex; de festo simplice ante feriam tertiam et quartam rogationum (in missa) : hic enim in Rubrica sub 9° agitur de feria secunda rogationum, de qua sola fit commemoratio in officio, et non de feriis tertia et quarta rogationum, de quibus in officio nulla fit commemoratio; de illis omnibus ante suffragia communia. Item de officio s. Mariæ in sabbato fit commemoratio in vesperis feriæ sextæ ante festum simplex. Ratio hujus ordinis est dignitas et qualitas officiorum, quæ exigunt, ut eodem ordine, quo eorum officia fierent, etiam commemorationes recitentur.

Secundum hanc generalem regulam commemorationes ordinandæ sunt, quandocumque dies octava impeditur, ut n. 257 dictum est, et de festo duplici aut semiduplici tantum fit commemoratio defectu diei vacui usque ad finem anni, ut n. 282 dicetur : ita ut in occurrentia de die octava et duplici fiat commemoratio ante dominicam et diem infra octavam etc.; et de semiduplici post dominicam, sed ante diem infra octavam non excludentem semiduplicia. Item si dies octava, duplex aut semiduplex impediantur occurrente dominica

(1) S. R. C. 5 Febr. 1895, n. 3843.

Digitized by Google

1 vel 2 cl.; eodem modo orationes ordinandæ sunt in utrisque vesperis dominicæ : ita ut si in sabbato fiat de duplice, totæ vesperæ sint de duplice cum commemoratione primum de dominica, deinde de die octava, duplice aut semiduplice, et si in sabbato fiat de semiduplice, dimidiæ vesperæ sint de semiduplice, et a capitulo de dominica cum commemoratione primum de semiduplice, de quo dimidiæ vesperæ factæ sunt, et deinde de die octava, duplice, aut semiduplice impeditis (1). Item in secundis vesperis dominicæ 1 aut 2 cl., si sequatur duplex, de quo vesperæ fiunt, prius fiet commemoratio dominicæ, et deinde diei octavæ, duplicis aut semiduplicis impeditorum; si sequatur semiduplex, ita ut vesperæ fiant de dominica, commemorationem diei octavæ et duplicis in dominica impeditorum præcedet commemoratio semiduplicis sequentis (2); de semiduplice autem sequente fiet etiam ante semiduplex in dominica impeditum. Si dies octava et duplex impedita occurrant in sabbato vel feria secunda, eorum commemorationem præcedit commemoratio dominicæ. Si festum duplex aut semiduplex impeditum occurrat feria quarta cinerum, in secundis vesperis, quæ dicuntur de festo duplice aut semiduplice sequente, fit commemoratio duplicis aut semiduplicis in feria quarta impediti ante commemorationem feriæ, quia cum juxta Rubricas generales tit. XI, n. 9, feria concursum non habeat, ordo commemorationis non attenditur.

Titulus X.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

Rub. *Si aliquod Festum duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Domi-*

(1) Gavantus s. 3, c. 8, n. 22; A. Carpo, biblioth. lit. p. 2, n. 87; idem, Kalendar. cap. 6, n. 12; Cavalieri, t. 2, c. 18, decr. 1, n. 9 et 10, contra Guyetum, lib. 4, c. 13, q. 9.

(2) Gavantus, s. 3, c. 8, n. 14; Cavalieri, loco cit. n. 13.

Digitized by Google

nicam in Albis inclusive, in Vigilia et Festo Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in Festo ac tota Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in tota majori Hebdomada, et infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Sanctissimæ Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi et ejus die Octava, in Festo sacratissimi cordis Jesu, in Festis Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis beatæ Virginis, in nativitate sancti Joannis Baptistæ, in Festo sancti Joseph Sponsi ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Festo duplici vel semiduplici non impeditam, exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quæ in die Octava Corporis Christi et in Festo sacratissimi cordis Jesu celebrantur : excepto quoque Festo quocumque solemni alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis II, III et IV Adventus et Quadragesimæ, Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, et diebus infra Octavam Epiphaniæ (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) celebratur, et excepto Festo primario solemni occurrente in Festo sacratissimi cordis Jesu. Si autem Festum Purificationis beatæ Mariæ venerit in aliqua Dominica secundæ classis, transfertur in Feriam secundam sequentem, quamvis impeditam. Item si Festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione Octavæ, et in secundis Vesperis Corporis Christi, fit tantum commemoratio sancti Joannis : sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi, cum commemoratione Octavæ sancti Joannis. Dies autem Octava sancti Joannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavæ Corporis Christi; et id semper servetur, quando festum habens Octavam transfertur; ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quæ alias

Digitized by Google

erat Octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava : nisi Titularis Ecclesiæ privilegio aliter fieri oporteat. Festa tamen Duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, si occursu Dominicæ, vel majoris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, et legitur nona lectio historica ad Matutinum, si tamen hæc eo die fieri possint; secus hujusmodi Festa Duplicia minora eo anno penitus omittuntur, ut in præcedenti Rubrica dictum est num. 7 *et* 10, *et infra de simplici dicetur num.* 8. *Iisdem comprehenduntur regulis alia Festa Duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest. Festa tamen duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiæ, si quotannis a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera, tanquam in propria sede perpetuo recolenda.*

2. *Si in die Octava alicujus festi habentis Octavam occurrat aliquod Festum duplex ex majoribus supra in rubrica de Commemorationibus enumeratis, fiat de Festo cum commemoratione diei Octavæ : excepta die Octava Nativitatis Domini et Epiphaniæ, in quibus non fit de aliquo Festo, sed transfertur in primam diem similiter non impeditam. Si autem non fuerit ex prædictis Festis, fiat de Octava, et Festum transferatur, aut de eo fiat Commemoratio, ut supra.*

3. *Si aliquod Festum duplex infra Octavam occurrens, alio majori Festo duplici impediatur, transferatur in primam diem similiter non impeditam, et in eo fiat commemoratio de Octava. Quod si transferri nequeat, de eodem quoque fiat commemoratio, ut supra.*

4. *Si in aliis Dominicis per annum a supradictis occurrat Festum duplex, non transfertur, nec de eo fit commemoratio, sed officium, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.*

5. *Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra Octavam Corporis Christi et aliis Dominicis per annum, non transfertur, sed ipso die quo cadit, de eo fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio*

Digitized by Google

historica, aut illud penitus omittitur, ut supra de Duplici minori dictum est. Festum tamen semiduplex, si quotannis ab officio digniori impediatur, reponitur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo celebrandum, uti de Duplici minori superius cautum est.

6. *Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul eodem die veniant, fiat Officium de majori, id est, de duplici, et de semiduplici fiat commemoratio ut supra. At si omnia fuerint Duplicia vel omnia semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, videlicet, de Festo potioris ritus præ alio ritus inferioris, aut in paritate ritus de primario præ secundario, aut iisdem primariis aut secundariis, de digniori ratione personæ, aut, in paritate dignitatis, de fixo præ mobili, de magis proprio præ minus proprio; et quæ Duplicia minoris solemnitatis sunt, si transferri valeant, transferantur : aliter de eis, quemadmodum de semiduplicibus, fiat commemoratio aut penitus omittantur juxta superius explicata.*

7. *Si plura Festa Duplicia ex iis quæ transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur : alioquin si sint æqualia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus : quod etiam servabitur in Festis duplicibus minoribus, et semiduplicibus perpetuo impeditis.*

8. *Festum simplex pariter numquam transfertur; sed si de eo fieri non potest Officium, fiat commemoratio, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus; si autem venerit in illis diebus, in quibus de simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius.*

9. *Si aliquod Festum Duplex e supra recensitis, quæ transferuntur, in quo notatum est fieri commemorationem alicujus Sancti, transferatur propter advenientem Dominicam, vel aliud Festum majus, non tamen transfertur cum illo commemoratio illius Sancti in eo assignata; sed dicta commemoratio fit die suo in dominica, vel alio Festo, in quo fieri possit, cum nona Lectione ejusdem, si propriam de vita Sancti habuerit : Festum vero Duplex transfertur sine ulla amplius commemoratione Festi simplicis prædicti. Quod etiam servatur*

Digitized by Google

in commemorationibus occurrentibus in Vigiliis, cum de Vigilia veniente in Dominica fit in Sabbato præcedenti : tunc enim commemoratio Festi simplicis non fit in Officio Vigiliæ, sed in Dominica.

---

264. Occurrentia, ut dictum est num. 251, duplex est, inclusiva de qua ibidem, et exclusiva, de qua hic agitur.

« Festa celebranda sunt eo die, quo cadunt : verum si incidant in diem impeditam, transferenda sunt in aliam diem non impeditam, juxta rubricas breviarii Romani : neque immutari possunt de licentia ordinarii, ut pluries decrevit S. R. C. » (1).

Translatio duplex est : una, quæ proprie translatio dicitur, est amotio festi a die sua propria ob impedimentum pro hac aut simili vice occurrens; altera, quæ mutatio dicitur, est perpetua festi amotio a die propria in aliam diem fixam, ob impedimentum in die propria quotannis occurrens.

Not. cum transfertur officium sive accidentaliter sive perpetuo nihil in eo immutandum esse inconsulta S. R. Congregatione, et in orationibus tam officii quam missæ varianda non esse *hunc diem, hodiernum diem, præsentem diem* etc. (2).

DE FESTIS DUPLICIBUS MINORIBUS ET SEMIDUPLICIBUS, QUÆ NON TRANSFERUNTUR.

265. SS. D. N. Leo XIII Brevi *Nullo unquam tempore* decrevit : « Quo vero kalendario tum universali tum Cleri Romani habeantur sedes liberæ ad nova officia introducenda, Auctoritate Nostra volumus ac præcipimus, ut rubrica generalis Breviarii Romani tit. X de translatione festorum hac ratione mutetur, videlicet : « Festa duplicia minora (exceptis

(1) 7 Dec. 1630, n. 549; 2 Sept. 1690, n. 1843.
(2) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 10.

Digitized by Google

illis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum) et festa semiduplicia, si occursu dominicæ vel majoris festi seu officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque vesperis et laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen hæc eo die fieri possint; secus hujusmodi festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in rubric. tit. IX n. X, tit. X, n. VIII „ : postremo ut præsentes litteræ Apostolicæ in novis editionibus Breviarii ad calcem rubricæ interim apponantur, donec accurata rubricæ ipsius correctio per Sacrorum Rituum Congregationem perficiatur. Hæc præcipimus et mandamus, non obstantibus... contrariis quibuscumque. Die 28 Julii 1882 „ (1).

Inde Festa duplicia minora, exceptis festis doctorum, et omnia festa semiduplicia, quæ accidentaliter sive pro hac aut altera vice impediuntur, non amplius transferuntur.

Quando hæc festa duplicia et semiduplicia impediantur, videri potest in tabella occurrentiæ, videlicet duplicia minora in dominicis primæ et secundæ classis, non autem in dominicis per annum, in quibus adhuc fit officium de duplice cum commemoratione dominicæ; et semiduplicia in omnibus dominicis; item tum duplicia, tum semiduplicia occursu majoris festi seu officii sive quoad ritum, sive quoad dignitatem seu solemnitatem, ut in sequentibus explicabitur.

De his festis impeditis fit commemoratio in utrisque vesperis et laudibus; et proinde etiam in missis, quia juxta rubricas generales missalis tit. VII, *Commemorationes in missis fiunt sicut in officio.*

In quibus festis et diebus hæc commemoratio facienda sit, dicetur n. 282; quomodo facienda, dictum est n. 263; et quando nona lectio de eis legenda, dicetur n. 282.

(1) N. 3551.

Digitized by Google

DE OFFICIIS QUÆ ET DE DIEBUS SEU FESTIS IN QUIBUS TRANSFERUNTUR.

266. Quæ officia transferri possunt, et quæ non?

R. Transferri nequeunt dies octava, dies infra octavam, dominica, feria, vigilia, festum duplex minus nisi sit festum Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, festum semiduplex, festum simplex, aut quodcumque officium de tempore; licet vigilia occurrens in dominica, et officium dominicæ, quæ ante septuagesimam aut dominicam 24 post pentecosten locum non habet, anticipentur, et aliqua pars officii dominicalis aut ferialis, ut lectiones 1 nocturni, quandoque resumatur.

Alia festa duplicia 1 et 2 classis, omnia duplicia majora, et festa duplicia minora Sanctorum Ecclesiæ Doctorum transferuntur.

Not. festum simplex numquam transferri posse, etiamsi ob occurrens festum duplex 1 cl. perpetuo impediatur, et de eo numquam aliquid fieri possit (1). Quando tamen impedimentum est perpetuum, S. R. Congregatio quandoque aliam diem assignavit (2).

Not. Festa dominicis diebus affixa transferri non possunt ad sequentes dies dominicos neque ad alios, et in casu impedimenti perpetui quoad aliquam Ecclesiam prædicta officia dominicis diebus assignata, omittenda prorsus sunt (3).

267. In quibus diebus aut festis transferuntur hæc festa duplicia 1 et 2 classis, duplicia majora, et duplicia minora SS. Doctorum?

R. 1. Quodcumque festum transfertur, si occurrat in sequentibus diebus aut festis, quæ quodcumque aliud festum etiam duplex 1 cl. excludunt; quæ sunt dominica prima adventus, vigilia et festum nativitatis Domini, circumcisio Domini, dies epiphaniæ et ejus dies octava, feria 4ª cinerum, dominica prima quadragesimæ, dominica passionis, omnes dies a dominica palmarum usque ad dominicam in albis

(1) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, 1; 18 Jul. 1750, n. 2408.
(2) Merati sect. III, c. IV, in fine.
(3) S. R. C. 3 Aug. 1901, Tropien. I.

Digitized by Google

utrimque inclusive, ascensio Domini, omnes dies a vigilia pentecostes usque ad festum ss. Trinitatis utrimque inclusive, festum Corporis Christi, immaculata conceptio, annuntiatio et assumptio B. M. V., festum sancti Joseph sponsi ejusdem, festum omnium sanctorum, item primarium festum ss. apostolorum Petri et Pauli, atque nativitatis s. Joannis Baptistæ (1). Ratio est, quod hæc festa et dies tali tantaque religione et solemnitate ex Ecclesiæ instituto ubique celebrari debeant, ut alia quæcumque eodem die occurrentia excludant.

Sic festa dedicationis, patroni et tituli cedunt festo omnium sanctorum, et primariis festis ss. apostolorum Petri et Pauli (2) atque nativitatis s. Joannis Baptistæ. Idem dicendum est de eorum octavis : nam cujus festum præfertur, ejus quoque præferenda est octava, quæ est accessorium festi, et accessorium sequitur naturam sui principalis. Declaravit S. R. C. octavas festorum solemniorum duplicium 1 classis ecclesiæ universalis etiam prævalere octavis festorum solemnium localium, et horum octavas aliis octavis communibus. Sic v. g. octava omnium sanctorum præferenda est tamquam dignior octavæ dedicationis ecclesiæ propriæ (3). Sic etiam, ubi festum ss. Cordis Jesu vel Purissimi Cordis Mariæ est titulus ecclesiæ, utriusque festi octava tum quoad officium tum quoad commemorationem postponenda est octavis festorum nativitatis s. Joannis Baptistæ et ss. apostolorum Petri et Pauli (4). Unde etiam concludendum est octavam visitationis B. M. V., ubi est titularis, non præferri octavæ ss. apostolorum Petri et Pauli, ita ut commemorationem visitationis præcedat commemoratio ss. Apostolorum, et si festum novem lectionum non occurrat, officium fiat de ss. Apostolis cum commemoratione visitationis. Idem esset, si visitatio B. M. V. sub ritu dup. 1 cl. et cum octava, ex consuetudine aut privilegio celebraretur (5).

(1) Rub. hoc tit. X, n. 1, item tit. VII, n. 3 et tit. IX, n. 3.

(2) S. R. C. 29 Mart. 1851, n. 2988, 1.

(3) S. R. C. 5 Mart. 1695, n. 1922, 1; vide etiam S. R. C. 5 Aug. 1662, n. 1241; 8 Jun. 1709, n. 2194, 2.

(4) S. R. C. 22 Maji 1896, n. 3908, 3; 27 Junii 1896, n. 3919, 3 et 9.

(5) S. R. C. 2 Sept. 1679, n. 1635.

Digitized by Google

R. 2. Quodcumque festum etiam duplex 2 cl. transfertur, si occurrat in dominicis 2 cl., scilicet in dominicis 2ª, 3ª et 4ª adventus et quadragesimæ, in dominicis septuagesimæ, sexagesimæ et quinquagesimæ, et in diebus infra octavam epiphaniæ (1) atque in die octava ss. Corporis Christi (2). Festum autem principalis patroni loci, tituli ecclesiæ et ejus dedicationis celebratur in dominicis 2 cl., infra octavam epiphaniæ, et in die octava ss. Corporis Christi (3), et idem dicendum est de aliis festis 1 classis (4) exceptis tamen die octava epiphaniæ et dominica quarta adventus, si in hac occurrat vigilia nativitatis Domini, in quibus, ut supra dictum est, de nullo festo fieri potest.

Quoad vigiliam epiphaniæ, certum est in ea celebrari posse et debere festum patroni, tituli et dedicationis juxta rubricas tit. VI, n. 2 : quinimo dicendum videtur, in ea celebrari posse quodcumque duplex occurrens, quia hæc vigilia non consideratur ex privilegiatis (5); non tamen duplex translatum, neque semiduplex, quia hæc vigilia æquiparatur officio dominicæ. Attamen S. R. C. censuit servandam esse consuetudinem ecclesiæ Vaticanæ, transferendi festum s. Telesphori (6).

R. 3. Quodcumque festum duplex majus et etiam duplex minus ss. Doctorum transfertur, si occurrat in die aliqua octava; item duplex 2 cl. transfertur, si occurrat in die octava Corporis Christi; et etiam duplex 1 cl. si occurrat in die octava nativitatis Domini, epiphaniæ, paschatis et pentecostes (7).

Excipitur dies octava nativitatis B. M. V., in qua si occurrat festum nominis B. M. V., fit de festo nominis absque commemoratione diei octavæ nativitatis (8).

(1) Rub. tit. IV, n. 1, tit. VII, n. 3 et hoc tit. X, n. 1.
(2) Rub. missalis in festo, et brev. ante festum ss. Corp. Ch. S. R. C. 30 Maji 1699, n. 2030, 3.
(3) Rub. cit.
(4) Rub. tit. IX, n. 3.
(5) S. R. C. 16 Sept. 1673, n. 1457.
(6) 2 Dec. 1673, n. 1496; Cavalieri tom. 2, c. XV, n. 18.
(7) Rub. hoc tit. X, n. 1 et 2; S. R. C. 30 Maji 1699, n. 2030, 3.
(8) S. R. C. 24 Sept. 1685, n. 1950.

Digitized by Google

Si duplex 1 cl. occurrat in die octava Corporis Christi, ut dictum est supra, item duplex 1 aut 2 cl. in quacumque alia die octava præter supra exceptas (1), fit de festo cum commemoratione diei octavæ, ut dictum est num. 257.

R. 4. Si plura festa quæ transferuntur, eodem die occurrant, officium fit de digniori, seu solemniori, et alia transferuntur, ut num. seq. dicetur, nisi non supersint dies vacui usque ad finem anni, de quo agetur num. 282.

Not. Ex dictis facile videri potest, quandonam festum non transferatur, scilicet si occurrat in diebus, qui in hac quæstione non enumerantur; et in quibus fit de festo cum commemoratione octavæ, dominicæ, feriæ et simplicis, ut dictum est num. 254-257.

Not. Privilegium translationis quo juxta Rubricas gaudent festa primaria ss. Ecclesiæ Doctorum ritus dupl. min. si impedita fuerint, non debere extendi ad eorum festa secundaria (2).

DE QUO FACIENDUM OFFICIUM, ET QUODNAM EST TRANSFERENDUM, SI PLURA OFFICIA QUÆ TRANSFERUNTUR, EODEM DIE OCCURRANT?

268. Not. hic tantum agi de festis et officiis quæ transferri possunt.

Resp. per sequentes regulas : 1° Si duo vel plura festa novem lectionum simul eodem die veniant, fiat officium de majori, id est, de duplici, et de semiduplici fiat commemoratio.

2° Si ritus duorum occurrentium festorum sit duplex 1 classis, festa duplicia solemniora 1ae classis ecclesiæ universalis prævalent super festa solemnia localia ejusdem ritus duplicis 1ae classis (Patroni nempe loci, dedicationis et tituli ecclesiæ). Localibus autem cedunt omnia alia festa duplicia primæ classis.

(1) S. R. C. 29 Nov. 1856, n. 3041, 5.
(2) S. R. C. 24 Maji 1901, Dubiorum X.

Digitized by Google

3° Si officia occurrentia sint omnia duplicia vel semiduplicia, fiat de festo potioris ritus præ alio ritus inferioris.

4° Occurrente festo primario cum festo secundario ejusdem ritus, festum primarium est celebrandum, et secundarium, licet sit dignius aut particularius, est transferendum.

Hæc autem distinctio inter primaria et secundaria festa respicit etiam duplicia minora et semiduplicia tam in occursu, quam in concursu, et in repositione (1).

Not. festum quod de se indubie secundarium est, nihilominus ex speciali privilegio per accidens evenisse primarium, uti v. g. statuit S. R. C. de festo ss. Cordis Jesu in regno Lusitaniæ (2).

Datur hic locus opportunus subjungendi decreta generalia de festis primariis et secundariis.

I. DE PRÆEMINENTIA INTER FESTA PRIMARIA ET SECUNDARIA EJUSDEM RITUS. — DECRETUM GENERALE.

Jamdudum apud viros sacræ liturgiæ peritos quæstio agebatur gravissimi sane momenti quoad præeminentiam inter festa primaria et secundaria ejusdem ritus. Verum hac controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, ac plura particularia edidit Decreta, quin umquam rem per generale Decretum definiret. Quum vero hisce postremis temporibus in ejusmodi quæstione maxima esset discrepantia ex multiplici atque opposita penes scriptores sacræ liturgiæ Rubricarum interpretatione; necessarium duxit Apostolica Sedes unicam tandem normam statuere, quæ ubique et ab omnibus, præsertim in ordine Divini Officii uniformiter redigendo, servaretur. Quocirca Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII commisit R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotori, ut votum *ex officio* exararet, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis discutiendum; posteaquam diversæ

(1) S. R. C. 14 Aug. 1894, n. 3837.
(2) S. R. C. 10 Maji 1895, n. 3855, 5.

Digitized by Google

ea de re a viris in Rubricarum scientia peritis habitæ fuerunt sententiæ, elucubrationibus multa eruditione exornatis.

Quibus omnibus prælo cusis, communicatisque una cum voto præfati S. Fidei Promotoris, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Cœtu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, a me infrascripto Cardinali, eidem Sacræ Congregationi Præfecto et Relatore, sequens Dubium propositum fuit, videlicet : *An et quomodo festa secundaria Domini, B. Mariæ Virg., Angelorum, SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum præferenda sint festis Primariis ejusdem ritus et classis, sed minoris dignitatis, tam in occursu, quam in concursu, et in eorumdem repositione?*

Itaque Emi ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus præpositi, mature perpensis rationibus tum a memoratis viris, tum a R. P. D. Promotore S. Fidei adductis, ita rescribendum censuerunt : *In voto R. P. D. Promotoris Fidei, nimirum : Festa Primaria, utpote solemniora, aliis secundariis in casu præferenda esse tam in occursu quam in concursu, ad formam Rubricæ X, de Translatione festorum n. 6. Quod si eadem festa transferri contingat, in illorum repositione servetur ordo præscriptus in memorata Rubrica n. 7; et fiat catalogus festorum, quæ uti Primaria, vel secundaria, retinenda sunt.* Die 27 Junii 1893.

Demum his omnibus Sanctissimo eidem Domino Nostro relatis per me ipsum infrascriptum Cardinalem Præfectum, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacræ Congregationis ratam habuit, et confirmavit, jussitque ita, et non aliter Rubricarum præscripta hac in re esse interpretanda : Rescripta, seu Decreta, tum generalia tum particularia, in contrarium facientia suprema auctoritate sua penitus abrogando. Die 2 Julii, anno eodem (1).

(1) S. R. C. n. 3808.

Digitized by Google

II. CATALOGUS FESTORUM QUÆ UTI PRIMARIA VEL SECUNDARIA RETINENDA SUNT,

JUXTA DECRETA GENERALIA 27 AUGUSTI 1893 ET 23 APRILIS 1895.

FESTA PRIMARIA.

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§ I. *Duplicia Primæ Classis.*

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.
Ascensio Domini.
Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Annuntiatio, Immaculata Conceptio et Assumptio B. M. V.
Nativitas S. Joannis Baptistæ.
Festum S. Joseph Sponsi B. M. V.
Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli.
Festum Omnium Sanctorum.
Dedicatio propriæ Ecclesiæ.
Patronus, vel Titulus Ecclesiæ.
Patronus Principalis Regionis, vel Diœcesis, aut loci.

§ II. *Duplicia Secundæ Classis.*

Circumcisio Domini.
Festum SSmæ Trinitatis.
Purificatio B. Mariæ V.
Visitatio B. Mariæ V.
Nativitas B. Mariæ V.
Dedicatio S. Michaelis Archangeli.
Natalitia Undecim Apostolorum.
Festa Evangelistarum.
Festum S. Stephani Protomartyris.
Festum SS. Innocentium Martyrum.
Festum S. Laurentii Martyris.
Festum S. Annæ, Matris B. M. V.
Festum S. Joachim, Patris B. M. V.

§ III. *Duplicia Majora per Annum.*

Transfiguratio Domini.
Dedicatio Basilicæ SSmi Salvatoris.
Dedicatio S. Mariæ ad Nives.
Festum SS. Angelorum Custodum.
Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum.
Festum S. Barnabæ.
Festum S. Benedicti Abb.
Festum S. Dominici C.
Festum S. Francisci C.
Festum Patronorum minus Principalium.

§ IV. *Alia duplicia per Annum.*

Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscujusque Sancti.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

S. Gabrielis Archangeli.
S. Raphaelis Archangeli.
Dies Natalitia, vel quasi Natalitia uniuscujusque Sancti.
Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Diœceseos asservantur.

Digitized by Google

FESTA SECUNDARIA.

IN CALENDARIO UNIVERSALI.

§ I. *Duplicia Primæ Classis.*

Sacratissimi Cordis Jesu.

§ II. *Duplicia Secundæ Classis.*

Festum SSmi Nominis Jesu.
Festum Inventionis S. Crucis.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.
Solemnitas SSmi Rosarii B. M. V.
Festum Patrocinii S. Joseph.

§ III. *Duplicia Majora.*

Exaltatio S. Crucis.
Duo festa Septem Dolorum B. M. V.
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.
Festum SSmi Nominis B. M. V.
Festum de Mercede B. M. V.
Præsentatio B. M. V.
Apparitio S. Michaelis Archangeli.
Decollatio S. Joannis Baptistæ.
Cathedra S. Petri Ap., utraque.
Festum ejusdem ad Vincula.
Conversio, et Commemoratio S. Pauli Ap.
Festum S. Joannis ante portam Latinam.

PRO ALIQUIBUS LOCIS.

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. J. C.
SSmi Redemptoris.
Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.
SSmi Cordis Mariæ.
Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.
Translationis Almæ Domus B. M. V.
Exspectationis Partus B. M. V.
B. M. V. Auxilium Christianorum.
Prodigiorum B. M. V.
Apparitionis B. M. V. Immaculatæ.
Commemoratio Omnium SS. Summorum Pontificum (1).

Nota. Festum particulare Sancti Angeli custodis regni non est primarium, sed secundarium (2). Item anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum, quando alicubi celebratur, secundarium est pro illis ecclesiis quæ consecratæ non sunt (3).

5° Officiis concurrentibus ritus ejusdem, iisdemque primariis vel secundariis, officium fit de digniore ratione personæ.

(1) S. R. C. 27 Aug. 1893, n. 3810, et 23 Apr. 1895, n. 3850.
(2) S. R. C. 9 Febr. 1901, Hispaniæ.
(3) S. R. C. 4 Mart. 1901. Decr.

Digitized by Google

Festa digniora (1) sunt : 1° festa Domini, sub quibus festa s. crucis et similia comprehenduntur (2); 2° festa B. M. V.; 3° angelorum; 4° Joannis Baptistæ; 5° s. Joseph, sponsi B. M. V. (3); 6° ss. apostolorum et evangelistarum : in rubricis et decretis nulla quidem evangelistarum fit mentio; cum autem in translatione æquiparentur apostolis (4), illorum festa similiter in occurentia eodem modo ac illa apostolorum, aliis ejusdem ritus præferri censendum est. Festum et officium S. Barnabæ apostoli tum in occurentia cum festis et officiis aliorum Sanctorum, necnon in repositione, ceteris paribus, est præferendum ratione dignitatis apostolicæ (5). Festa igitur Domini tanquam digniora præferuntur festis ejusdem ritus B. M. V., angelorum etc.; item festa B. M. V. festis angelorum et sanctorum, et sic deinceps. Post apostolos autem et evangelistas inter alios sanctos martyres, confessores aut virgines ordo dignitatis non servatur.

6° Officiis concurrentibus ejusdem ritus et æque primariis vel secundariis, in paritate dignitatis, ~~fit officium de~~ fixa præ mobili.

7° In paritate ritus et dignitatis, de quibus in regulis præcedentibus actum est, faciendum est officium de magis proprio præ minus proprio. Sic primum locum habebit officium ecclesiæ particularis stricte sumptæ, scilicet, quod uni tantum convenit ecclesiæ, cujusmodi sunt festa dedicationis, titularis, reliquiæ insignis etc., secundum ordinis seu religionis, tertium diæcesis, quartum nationis, quintum Ecclesiæ universalis (6). Ita ut festa, quæ magis sunt propria et particularia, aliis, quæ magis universalia sunt, præferantur (7). Ratio est, quia festa, quo magis sunt propria et particularia, eo magis sunt

(1) Rub. tit. XI, n. 2.

(2) S. R. C. 20 Jul. 1686, n. 1769.

(3) Rub. tit. XI, n. 2; vid. *Questions discutées à l'académie liturg.* a Monte Citorio 19 Dec. 1859.

(4) S. R. C. 18 Sept. 1666, n. 1341, et 17 Jul. 1706, n. 2171.

(5) S. R. C. 11 Aug. 1901, Romana.

(6) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, rel. dubia 1.

(7) Cavalieri loco cit., n. 7 et 9.

Digitized by Google

celebria, majoremque habent relationem ad locum et personas, ubi et a quibus celebrantur.

Not. autem, licet regula sit, quod officia particularia, magis universalibus præferantur, aliquam tamen distinctionem adhibendam esse : nam non omnia festa, quæ particularia dicuntur, idcirco propria sunt, et hoc gaudent privilegio, sed illa dumtaxat, quæ specialem relationem ad ecclesiam, ordinem aut locum habent. Sic sancti, qui ut proprii ac particulares in ecclesiis ordinibus, diœcesibus, nationibus aliisque locis excoluntur, sunt juxta Cavalieri (1) « qui vel ortu vel occubitu, insigni commemoratione, præcipuo aliquo munere, advectione suarum reliquiarum, invectione fidei, ejusdem promotione, et dilatatione, signis, virtutum exemplis, doctrina, miraculis, aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres, ac... habentur præ cæteris ut particulares patroni, in necessitatibus a populis assolent invocari, particularemque ad respectiva loca quamdam habent attinentiam ac cultum, connaturalem solemnitatem et celebritatem sibi inibi vindicant, vi cujus specialem populi requirunt affectum » et aliis præferuntur. Et specialiter quoad ordines juxta Guyetum illi sancti proprii sunt, « qui religionem aliquam professi sunt, dum viverent, in ea pie et constanter ad obitum perseverantes, sacrum apud posteros cultum publico Ecclesiæ judicio meruerunt... vel qui licet extranei sint, affinitate tamen aliqua, aut alio quovis nexu ad ipsam religionem aut congregationem utcumque pertinere noscuntur » (2). Diversa vero ratio est quoad officia, quæ alicubi ex speciali recitantur indulto, quin ulla intersit ad ordinem, diœcesim aut locum relatio, veluti illa sunt, quæ ex peculiari devotione, communicatione privilegiorum, vel ex alio extraneo titulo recitantur ; quæque idcirco aliis officiis ejusdem ritus et dignitatis præferri nequeunt.

8° Si festa dedicationis, titularis ecclesiæ et patroni loci occurrant, præfertur festum dedicationis juxta tabellam duplicium 1 cl. in qua dedicatio præponitur patrono et titulari,

(1) Tom. 2, dec. 121, n. 3.
(2) Lib. 1, c. 14, q. 4. Vid. etiam cap. 1, q. 3 et 4.

Digitized by Google

quia dedicatio est festum Domini, ideoque tanquam dignius præferendum est festis æque particularibus et localibus (1). Sed permittitur ut patroni festum prædicto anniversario præferatur (2). Anniversario Ecclesiæ occurrente vel concurrente cum festis solemnioribus universalis ecclesiæ, hæc semper prævalent illi juxta Rubricas (3).

Similiter juxta antiquum jus, anniversario dedicationis omnium ecclesiarum in territorio reipublicæ Gallicanæ occurrente in dominica post octavam Omnium Sanctorum cum festo patroni, in ecclesiis etiam non consecratis fieri deberet de eodem anniversario, translato festo patroni. Ex jure autem recenti anniversarium. Dedicationis sive Ecclesiæ particularis sive omnium Ecclesiarum Ordinis seu Regni, est pro ecclesiis quæ consecratæ sunt, festum primarium; pro aliis autem ecclesiis quæ sunt tantummodo benedictæ, est festum secundarium (4); quo juxta alia tunc est casus solutio.

Si titularis ecclesiæ et patronus loci occurrant, præfertur festum titularis ecclesiæ, quia festum particulare præcedit illud, quod est magis universale (5).

Si occurrant patronus regni aut provinciæ, et patronus civitatis aut pagi, cæteris paribus præferendum est festum patroni particularis civitatis aut pagi (6).

NOVUM OFFICIUM QUO DIES CELEBRANDUM.

269. Novum officium est celebrandum in die, quo per decretum concessionis vel aliud particulare decretum Apostolicum, seu S. R. C. assignatur; et si dies non assignetur,

(1) S. R. C. 15 Dec. 1632, n. 598; et 4 Febr. 1896, n. 3881; Cavalieri tom. 1, dec. 16, n. 30. Vide etiam reg. primam.
(2) S. R. C. n. 3881.
(3) S. R. C. n. 3881, IV.
(4) S. R. C. 4 Febr. 1896, n. 3881, III; 24 Maji 1901, 3.
(5) Merati sect. 3, c. 10, n. 9.
(6) Merati sect. 3, c. 12, n. 2.

Digitized by Google

in die obitus (1), nisi in hoc posteriori casu alius dies in kalendario vel martyrologio Romano notetur.

Not. triplicem adduci rationem computandi diem natalem Sanctorum, videlicet : 1° a vespera ad vesperam, ita ut, si Sanctus hora quæ vesperis decantandis indicitur, obierit, dies sequens natalis censeatur; 2° a media nocte usque ad mediam noctem juxta usum communem; et 3° a fine completorii, inchoata jam nocte, ita ut natalis computetur dies, non qui noctem illam præcedit, sed qui sequitur. Sic pro festo s. Caroli, qui obiit 3 Novembris tertia hora noctis, dies 4 assignata est (2).

Quid autem faciendum est, si in die, quo novum officium ponendum foret, aliud officium modo celebretur?

R. 1° Si utrumque sit officium Ecclesiæ universalis, et in die, quo novum officium ponendum esset, aliud officium in kalendario Romano occurrat; vix ulla difficultas habetur, quia eo casu in concessione officii aut per particulare decretum sive uni sive alteri dies fixa assignari solet : quod autem si non fiat, et utrumque in die propria seu natali occurrat, in paritate ritus novum officium ulterius est transferendum, quia qui prior est tempore, potior est jure : et in diversitate ritus officium majoris ritus in die propria est celebrandum, et illud inferioris ritus ulterius transferendum, prout factum fuit quoad officium s. Gregorii VII, et s. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

Si autem pro novo officio Ecclesiæ universalis assignetur dies, quæ in aliquo loco, ordine, diœcesi aut ecclesia perpetuo est impedita propter aliquod Ecclesiæ universalis festum translatum, cui dies illa assignata fuit tanquam dies seu sedes propria, tunc oritur difficultas. Quo super negotio prodiit recens decretum S. R. C. quod pro momento suo ad litteram hic transcribitur : regit quippe integram materiam.

(1) S. R. C. 3 Junii 1662, n. 1234; 22 Maji 1841, n. 2837, 1.

(2) Guyetus lib. 2, c. 2, q. 2 et 4; Cavalieri tom. 1, dec. 45, n. 15-21, item dec. 97 et 100.

Digitized by Google

DECRETUM GENERALE SUPER DUOBUS FESTIS VEL OFFICIIS EADEM DIE OCCURRENTIBUS.

Cum sæpe accidat, ut dies, qua S. Sedes aliquod novum festum liturgicum statuit celebrandum, in calendariis particularibus sit alio Festo impedita, nec tamen clare constet quodnam ex iis sit peragendum, quodnam perpetuo transferendum; S. R. C. præsenti Generali Decreto declarat et statuit, sequentes imposterum ab omnibus calendariorum ordinatoribus tenendas esse normas :

I. Si duo Festa, alterum antiquum, alterum novum; ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia, *ceteris paribus* illud celebretur, istud vero in primam diem liberam perpetuo transferatur juxta Rubricas. *Ceteris* vero *non paribus*, si alterum præ altero sit potioris ritus, præferatur illud quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, illud huic præferatur. Si ambo primaria fuerint vel secundaria, dignius minus digno præferatur juxta ordinem dignitatis in Rubricis præscriptum tit. X, n. 1, et XI, n. 2. Si denique utrumque fuerit ejusdem dignitatis, Festum magis proprium minus proprio præferatur.

II. Si ex duobus Festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic præferatur; si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut æqualis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri præferatur, quod die prima libera reponetur juxta Rubricas.

III. Si ex duobus Sanctis, quorum alter antiquus, alter novus, unus sit in die natalitia aut quasi-natalitia, alius in die assignata, seu non-propria aut tamquam propria; ille, ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis, præferatur huic, qui prima die libera reponendus erit juxta Rubricas.

IV. Si duo Officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata; antiquum novo præferatur, quamvis nobiliori, vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam,

Digitized by Google

aut ratione primarii, vel dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum alicujus Ecclesiæ Calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis, ac prioritas translationis.

V. Quemadmodum autem pro die natalitia sanctorum illa est intelligenda, qua iidem sancti æternam ingrediuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes eligit extra natalitiam ad liturgica festa recolenda; ita S. R. C. declarat, illam intelligendam esse pro die assignata, quæ prima post propriam libera fixe in Calendario juxta notas occurrentiæ leges ab Ordinario inscribitur, sicuti pro translata illam, quæ pariter post impeditam prima a Calendariorum Ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 21 Novembris 1893 (1).

R. 2° Si officium prius celebratum sit Ecclesiæ universalis, et novum particulare, tunc si novo particulari officio dies non assignetur in concessione officii aut per particulare decretum, et officium Ecclesiæ universalis sit æqualis vel potioris ritus; eo casu officium Ecclesiæ universalis est celebrandum et retinendum in sede propria, et novum particulare ulterius transferendum (2). Certum enim est, ut scribit Gardellini (3), non esse exturbandum illud, quod in possessione est. Verum quidem est, decreta S. R. C. dare præferentiam officiis particularibus; sed illa ordinem ponunt servandum in occurrentia plurium festorum æqualis ritus eodem die; nullam autem dant regulam quoad designationem dierum, in quibus collocanda sunt officia nova, si dies, in quibus ponenda forent, pleni sint officiis æqualis ritus : non enim valet illatio ab occurrentia ad assignationem.

Si autem novo officio particulari dies assignetur in concessione officii aut per particulare decretum, cum tunc habeatur vera occurrentia, regulæ numeri præcedentis sequendæ sunt: hoc tamen notato, officium Ecclesiæ universalis, in die propria

(1) N. 3811.
(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 37.
(3) In decr. n. 2598, I.

Digitized by Google

prius celebratum, non posse amoveri ad faciendum officium particulare postea concessum in die assignata extra diem natalem, ut patet ex responsione prima.

R. 3° Si prius officium sit particulare, et novum universale, regulæ numeri præcedentis sequendæ sunt, cum tunc officium particulare præferentiam habeat (1); nisi officium universale occurrat in die natali, et particulare in die tantum assignata, ut in responsione prima dictum est.

Si prius officium sit particulare et novum universale, licet ratione ritus, primarietatis atque dignitatis insignis inter se minime differant, officium antiquius et magis proprium sua die celebrabitur, reposito prima die libera novo et minus proprio (2).

R. 4° Si utrumque officium sit particulare, celebrandum est juxta S. R. C. illud, quod in die propria occurrit, vel quod prius est concessum (3).

270. Si officium particulare extendatur pro alia die, quando recitandum est ab iis, quibus prius erat concessum?

R. Regula est, pluribus S. R. C. responsis confirmata, quod officia peculiariter concessa, certis assignata diebus, si temporis successu aut ad totam diœcesim, et respective ad provinciam, vel ad universalem extendantur Ecclesiam, pro diversis tamen diebus, in his recitanda sint, relictis sedibus in particulari concessione assignatis (4). Sic S. R. C. decrevit quoad officium s. nominis B. M. V. (5). Cavalieri tamen (6) sequentes limitationes affert, scilicet « si concessio universalis particularibus parcere se explicet, si concessio particularis sit tempore posterior, aut si aliter ferat legitima consuetudo. »

Not. 1° in casu prædicto omnes sese conformare debere non tantum quoad diem, sed etiam quoad officium, si differat a priori concesso (7).

(1) S. R. C. 1 Mart. 1681, n. 1663, 1.
(2) S. R. C. 24 Mart. 1902, Urgell.
(3) 15 Maji 1819, n. 2598, 1.
(4) Ita Gardellini in dec. n. 2614, ad 6.
(5) 17 Jul. 1684, n. 1730. Vide etiam S. R. C. 3 Aug. 1901, Tropien. II.
(6) Tom. 1, decr. 100, 7.
(7) S. R. C. 17 Jul. 1684, n. 1730, 3.

Digitized by Google

Not. 2. per extensionem officii non derogari indulto prius concesso celebrandi festum sub altiori ritu aut cum octava (1).

271. An novum officium est acceptandum?

R. Distinguendo : vel concessio est præceptiva, et eo casu sicut omnes et in omnibus Summo Pontifici præcipienti obedire tenentur, sic etiam novum officium ab omnibus acceptari debet, etiam a regularibus, modo concessio ad illos extendatur, etiam non obstante aliquo decreto capituli etiam generalis, quo præscribitur nullum novum officium acceptari posse nisi a capitulo generali; quia capitulum licet generale præcepta Summi Pontificis limitare non potest, nisi ut excipi debet, tale capitulum generale vel aliæ ordinis constitutiones, quæ aliter præscribunt, a Sede Apostolica sint approbatæ; vel concessio est facultativa, et eo casu ad libitum acceptari potest, ut dicetur num. 285. Modo autem acceptetur a solo ordinario, et ejus jussu in Kalendario apponatur, omnes clerici eidem subjecti illud acceptare tenentur; et modo acceptetur a solo generali ordinis, omnes regulares, quibus generalis est præpositus, idem etiam acceptare tenentur, ita ut non sit in facultate succedentium superiorum generalium, vel capituli generalis, vel inferiorum illud non acceptare seu rejicere (2).

272. An novum officium eodem anno, quo conceditur, est recitandum?

Affirmative, quatenus officii recitatio tempore congruo evenire potest; scilicet quando ejus notitia pervenit præcedenter ante diem, cui est assignatum; aut si eo anno in die propria est impeditum, quando notitia pervenit ante diem, in quam juxta rubricas est transferendum; secus vero, quando notitia pervenit post eosdem dies, eo anno omittitur (3). Cavalieri tamen dicit, se non credere, quoties notitia opportune pervenit, eo anno officium ita rigorose præcipi, ut si particularia kalendaria ad adventum ejusdem notitiæ jam

(1) S. R. C. 29 Nov. 1856, n. 3041.
(2) S. R. C. 14 Junii 1845, n. 2900.
(3) Cavalieri tom. 2, dec. 376.

Digitized by Google

sint evulgata, hæc quilibet sequi non valeat eodem officio omisso, ne quandoque mutationes plurimas in officiis translatis, quæ recitanda supersunt, sine duce facere cogatur, præsertim quia de clero adsunt plurimi, qui non probe sciunt rubricarum leges.

Not. facultatem concessam in litteris et bullis canonizationis, celebrandi festum de aliquo Sancto canonizato, et officium de eo recitandi, non posse ad exercitium deduci, nisi eo modo, et forma, qua specialiter per Sedem Apostolicam et S. R. C. permittitur (1).

IN QUAM DIEM FIT FESTORUM TRANSLATIO.

273. In quam diem et quo ordine translatio festorum fieri debet?

R. 1° De præcepto fieri debet in primam diem non impeditam (2). Quæ regula semper obtinet, dum unum tantum festum est transferendum.

2° Si plura festa transferantur, ante omnia alia in primam diem non impeditam transferri debet illud, quod est majoris ritus, sive ante sive post alia sit translatum, sive sit dignius sive non, modo sit altioris ritus; alia autem, etiam prius translata, ulterius transferuntur (3). Sic duplex 1 cl. transfertur ante dup. 2 cl. etc.

3° In paritate ritus, reponatur festum primarium ante festum secundarium, licet superioris dignitatis personalis (4); quæ sint hæc festa vide num. 268 ad regulam quartam in decreto generali de festis primariis et secundariis.

In paritate autem ritus et qualitatis, festum dignitatis majoris reponatur ante aliud minus dignum.

Notandum apostolos et evangelistas æquiparari, ita ut, si

(1) S. R. C. 1 Apr. 1662, n. 1231.
(2) Rub. hujus tit. X, n. 1, 2 et 3.
(3) Rub. hoc tit. X, n. 7.
(4) S. R. C. 2 Jul. 1893, n. 3808; 14 Aug. 1894, n. 3837.

Digitized by Google

festum s. Marci et simul ss. apostolorum Philippi et Jacobi transferatur, illud s. Marci præferendum et prius celebrandum sit (1).

5° In paritate ritus et dignitatis seu solemnitatis festa translata reponenda sunt eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus : ita ut juxta ordinem temporis, quo sunt translata, prius celebretur illud, quod est primo seu a longiori tempore translatum, deinde quod est secundo loco translatum, et sic deinceps (2).

Not. quoad officium ad aliam diem fixam mutatum, si iterum transferri contingat, non attendi ad diem, qua prius celebrabatur, vel modo adhuc in kalendario describitur, sed ad diem, qua nunc fixe celebrandum est.

Excipiuntur a prædictis solutionibus : 1° Festum sacratissimi Cordis Jesu, quod per decretum S. R. C. Urbis et Orbis 28 Juni 1889 (n. 3712), feria VI post octavam Corporis Christi, tamquam in sede propria, recolitur ; et non nisi solemnitatibus ritus Duplicis primæ classis universalis Ecclesiæ, nempe Nativitatis s. Joannis Baptistæ ac ss. apostolorum Petri et Pauli, necnon Festis particularibus ejusdem ritus, ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiæ, locique Patroni, quando hæc sub duplici præcepto fiunt, locum cedit; quibus in casibus, die immediate ea Festa insequenti, veluti in sede propria reponitur. 2° Festum purificationis B. M. V. quod, si in dominica privilegiata occurrat, singulari privilegio transferendum est in feriam secundam immediate sequentem, licet impeditam festo æqualis ritus, quod transferri debet, modo non sit altioris ritus (3) : et cum transferatur in feriam secundam tanquam in sedem propriam, præferendum etiam est in dicta feria cuicumque festo 1 cl. translato (4). 3° Festum s. Joseph, quod, si occurrat in Dominica Passionis, transfertur in feriam secundam immediate sequentem, et si incidat in Majorem

(1) S. R. C. 17 Jul. 1706, n. 2171.
(2) Rub. hoc tit. X, n. 7.
(3) Rub. hoc tit. X, n. 1.
(4) Vid. tom. III, n. 83, 87 et 92.

Digitized by Google

Hebdomadam, in feriam quartam post Dominicam in Albis, tanquam in sedem propriam (1); nisi ea die occurrat Duplex 1 cl. ceu Dedicationis, ac Titularis Ecclesiæ, locique Patroni, quando hæc sub duplici præcepto fiunt, quibus in casibus die immediate sequenti illud reponitur (2). 4° Festum Nativitatis s. Joannis Baptistæ, quod si occurrat in festo ss. Corporis Christi, transferendum est in sequentem feriam sextam, quæ non sit impedita Duplici primæ classis cum feriatione; tunc enim transfertur iterum in sequentem diem similiter non impeditam (3). 5° Festum Annuntiationis B. M. V. de quo vide tom. III, n. 92. 6° Festum ss. nominis Jesu, quod impeditum dominica septuagesimæ, transfertur in 28 Januarii ut dicetur tom. III, n. 85. 7° Festum 7 dolorum, de quo vide tom. III, n. 93 et 107. 8° Festum pretiosissimi Sanguinis D. N. dominica prima Julii, ut dicetur tom. III, n. 103. 9° Festum cum octava, si hæc nondum sit finita, ut dicetur num. 278. 10° Festum duplex habens Octavam, quando in die sua celebrari juxta Rubricam haud valet et infra totam suam Octavam transferri nequit, transferendum est in ipsam Octavam diem, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud Festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius : quo in casu S. R. C. jubet ut illud de more transferatur in primum diem liberam juxta Rubricas (4). 11° De Commemoratione omnium Fidelium defunctorum translata in 3am Novembris et occurrente cum festo duplici 2 classis vide tom. III.

Nullum autem privilegium habet festum particulare præ universali, ut supra dictum est, neque festum cum feriatione præ alio, neque patronus, titulus aut aliud quodcumque festum, quod cum magna etiam solemnitate celebratur : ita ut hæc festa, si transferenda sint, post alia majoris ritus aut dignitatis, et etiam post alia æqualis ritus, si hæc sint prius translata, et in primam diem non impeditam sint reponenda.

(1) S. R. C. 15 Aug. 1892, n. 3789.
(2) S. R. C. 27 Junii-2 Julii 1895, n. 3807.
(3) S. R. C. 27 Junii-2 Julii 1895, n. 3808.
(4) S. R. C. 23 Apr. 1895, n. 3855.

Digitized by Google

274. Quinam sunt dies impediti et non impediti quoad translationem festorum?

R. Dies impediti sunt omnes, in quibus occurrit: 1° festum duplex vel semiduplex (1), dies octava, aut dominica (2). 2° Dies impediti sunt vigilia nativitatis Domini, feria 4ª cinerum, omnes feriæ hebdomadæ sanctæ, et vigilia Pentecostes. 3° Impediti sunt dies infra octavas epiphaniæ, paschatis et pentecostes pro quocumque officio translato; item dies infra octavam ss. Corporis Christi pro duplici minori et majori, etiam infra eamdem octavam translato, non autem pro duplici 1 et 2 cl. quod etiam in diem, in qua semiduplex impeditur, transferri potest (3); dies vero infra aliam octavam impediti non sunt pro festo duplici, quod in diem infra octavam transferri potest et debet (4), etiamsi ante octavam translatum sit. 4° Dies impedita est illa feria, in qua anticipatur officium dominicæ 2 post epiphaniam, non autem illa, in qua anticipatur officium dominicæ 3, 4, 5 et 6ª post epiphaniam vel 23ª post pentecosten.

Dies igitur non impediti sunt omnes, in quibus prædictis exceptis, fit de feria, simplice et de die infra octavam. Item in feria sexta post octavam ascensionis fieri potest de festo translato. De secunda Novembris, in qua fit commemoratio fidelium defunctorum agetur tom. III, n. 109, et de festis ad libitum infra num. 284.

275. 1. Not. translationem erronee seu non in prima die factam, non esse sequendam nec tolerandam (5), neque consuetudinem huic suffragari posse; quod enim ex errore aut ignorantia factum est, corrigi omnino debet ac tolli; neque ullo tempore potest præscriptionem inducere, præsertim si recens sit consuetudo, et cum lata lege pugnet. Quamquam nec admittenda foret, nullamque vim obtineret, dato etiam quod

(1) Rub. hoc tit. X, n. 1; 22 Apr. 1871, n. 3248, VI.
(2) S. R. C. 12 Mart. 1618, n. 361, 1.
(3) S. R. C. 7 Maji 1853, n. 3012, 1.
(4) Rub. hoc tit. X, n. 3.
(5) S. R. C. 20 Sept. 1806, n. 2564, 1, et 11 Mart. 1820, n. 2602, 1, 2, 3.

Digitized by Google

antiqua esset, cum nec laudabilis nec rationabilis sit, quales esse illas oportet, quas servari posse, jura concedunt (1).

Not. 2. si festum transferatur a tempore quadragesimali ad paschale, et a paschali post tempus paschale, in utroque casu servandum est ritus, qui convenit tempori, in quod transfertur (2).

MUTATIO FESTORUM IN DIEM FIXAM.

276. Quando aliquod officium ob occursum alterius officii quotannis et constanter est impeditum, ad aliam diem in perpetuum transferri seu permutari debet, quæ dies ei fixa manet et tanquam propria, in eaque consideratur tanquam occurrens : ita ut ab ea amplius amovendum non sit ob alia officia etiam majoris ritus et dignitatis, aut prius translata; et si sit duplex, etiam in dominica occurrente celebrandum sit (3).

Not. 1° hanc translationem seu mutationem intelligendam tantum esse de ecclesiis seu locis quorum Sanctus non est patronus, ita ut, licet officium alicujus Sancti pro tota diœcesi perpetuo in diem fixam transferatur, equidem ecclesiæ et loca, quorum ille est Patronus, eumdem propria die celebrare possint et debeant.

Not. 2° licet regula generalis sit, officio semper impedito diem fixam assignandam esse, eaque regula per plurima decreta probata et confirmata sit, nulla tamen rubrica nulloque decreto generali præscribi aut declarari, officium semper impeditum de præcepto in diem fixam transferendum esse, et in primam diem liberam singulis annis transferri non posse. Unde si particulari officio dies fixa assignari nequeat, quia hæc facultas in concessione officii reservata

(1) Gardellini in dec. cit. n. 2602 in vol. IV decr. p. 194 ad 3.

(2) Vid. tom. III, n. 69.

(3) S. R. C. 20 Nov. 1717, n. 2244; 6 Feb. 1858, n. 3064, 1, et alia citanda.

Digitized by Google

fuit, prout officium beatorum Martyrum Japoniæ diœcesi Mechliniensi 25 Julii 1867 indultum fuit; hoc officium semper impeditum, in aliam diem fixam transferri nequit.

Mutatio alicujus officii in diem fixam de jure antiquo S. R. Congregationi reservata erat (1); sed postea generalis data fuit facultas mutationem faciendi S. R. Congregatione inconsulta (2). Adeoque mutatio officii perpetuo impediti, sive sit Ecclesiæ universalis sive particularis, nunc fieri potest juxta rubricas et S. R. C. decreta, absque alia facultate a S. R. C. obtenta, cum approbatione tamen Rmi Episcopi loci ordinarii circa electionem diei, et justificatis apud ipsum translatorum numero et causis, dierumque assignatorum ordine et qualitate (3).

Si dies propria, a qua ob occurrentiam cum alio officio altioris ritus aut dignitatis festum aliquod perpetuo translatum fuit, tractu temporis perpetuo libera et vacua reddatur; festum translatum suæ propriæ diei statim restitui potest et debet, nisi ex hoc sequatur non levis perturbatio et confusio in ordinando kalendario (4). Id tamen fieri nec debet nec potest, quando dies non perpetuo sed accidentaliter libera redditur, v. g. quando dies octava cessat, adveniente quadragesima (5), etiamsi id sæpissime fiat (6).

277. Mutatio festorum sequitur easdem regulas, ac translatio, de qua numeris præcedentibus actum est. Notanda tamen sunt sequentia.

1° Fieri debet in primam diem non impeditam, ita ut nemini, neque Ordinario loci, liberum sit aliam diem pro libito assignare (7); et si assignatio facta non sit in prima die

(1) S. R. C. 13 Junii 1671, n. 1421, 1.

(2) S. R. C. 15 Maji 1745, n. 2384, 1; 11 Mart. 1820, n. 2602, 1.

(3) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 2378, 5; 11 Mart. 1820, n. 2602.

(4) S. R. C. 18 Oct. 1818, n. 2591, 8; Cavalieri tom. 1, dec. 93, n. XI-XVIII.

(5) S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 2963.

(6) S. R. C. 24 Mart. 1860, n. 3097.

(7) S. R. C. 7 Dec. 1630, n. 549; 15 Maji 1745, n. 2384, 1; 11 Mart. 1820, n. 2602.

Digitized by Google

non impedita juxta rubricas, talis error sit corrigendus (1) : in dubio tamen an dies bene assignata fuerit, nihil est innovandum. Hæc autem mutatio in primam diem non impeditam fieri debet in primam diem non perpetuo impeditam, id est : 1° ante alia officia ex accidenti, pro hac aut altera vice translata, licet hæc sint majoris ritus, dignitatis, aut prius translata ; et 2° post officia modo in perpetuum translata seu mutata, quamvis hæc sint minoris ritus, dignitatis, aut a breviori tempore translata. Sic etiam « cum aliquod festum jam translatum, iterum moveri contigerit a die sibi semel assignata, non est opus, ut cætera alia festa post ipsum translata, a diebus sibi respective assignatis denuo amoveantur : nisi forte nova kalendarii constructio ex integro assumeretur » (2).

Not. 1. novam constructionem seu reformationem kalendarii aut directorii ex speciali causa a S. R. C. sæpius concessam esse ; hanc autem facultatem Episcopis non competere, sed a S. R. C. concedendam esse.

Not. 2. ordinem prædictum servandum esse, non tantum in ordinando kalendarium diœcesanum, sed etiam in ordinando kalendarium particularis alicujus ecclesiæ : ita ut, si in particulari loco aut ecclesia officium, quod occurrit in die festo aut octava patroni seu titularis, sit mutatum in diem fixam, ab hac die non sit amovendum, licet postea aliud officium pro tota diœcesi in eadem die transferatur et assignetur ; sed hoc in particulari illo loco aut ecclesia ulterius sit transferendum.

2° Mutatio festi semiduplicis, perpetuo impediti, fieri potest in diem infra octavam, quæ semiduplicia occurrentia admittit, sive festum hoc semiduplex ante octavam sive infra eam impediatur (3).

(1) S. R. C. 11 Mart. 1820, n. cit. ad 2.
(2) S. R. C. 22 Aug. 1744, n. 2378, 4, et 27 Mart. 1773, n. 2494, 1.
(3) S. R. C. 13 Maji 1745, n. 2384, 2.

Digitized by Google

DE TRANSLATIONE FESTI CUM OCTAVA, SOLEMNITATE, FERIATIONE ET INDULGENTIA.

278. Festum, quod celebratur cum octava, per se non præfertur in occursu festi sine octava, quod est ejusdem ritus et dignitatis seu solemnitatis; octava enim non elevat ritum: adeoque in occursu et translatione, exceptis infra dicendis, servandæ sunt regulæ num. 267, 268 et 273.

Si festum cum octava sit transferendum, sine speciali indulto a propria die amovere non potest aliud duplex vel etiam semiduplex, infra octavam occurrens, ut hujus loco celebretur. Si festum post integram suam octavam transferatur, nullo amplius gaudet privilegio, et suo ordine transferri debet. Octavam habens festum duplex, quando in die sua celebrari juxta Rubricam haud valeat, et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum est in ipsam octavam diem, quamvis in Dominica incidat; dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate superius: quo casu transferatur in primam diem liberam (1).

Si festum post totam suam octavam transferatur, vel in die sua octava celebretur, illo anno celebratur sine octava, nisi ex speciali privilegio aliter fieri liceat. Si autem festum transferatur infra suam octavam, ita ut aliqui dies octavæ supersint, tunc ab octava supprimendi sunt dies, qui transacti sunt ante festi celebrationem: ita ut si festum transferatur in diem immediate sequentem, amittatur prima dies octavæ; si in diem secundam, amittatur dies prima et secunda octavæ, et sic deinceps. Diebus etiam festi celebrationem præcedentibus in officio non facienda est aliqua commemoratio de octava; quia cum octava nihil aliud sit quam festi continuatio, festum prius debet celebrari et inchoari, quam continuari possit. Si festum infra suam octavam transferatur, non ideo octava prolongatur, neque dies octava transfertur, sed de hac fit officium duplex in ipsa die, quæ alias erat octava, si festum

(1) S. R. C. 23 Apr. 1895, n. 3853.

Digitized by Google

non fuisset translatum (1). De festo annuntiationis B. M. V. agetur tom. III, n. 92.

279. Si festum, quod cum solemnitate extrinseca celebratur, transferatur, solemnitas festi fit eo die quo occurrit, licet officium transferatur.

280. Si transferatur festum, quod feriationem annexam habet, non transfertur feriatio, sed hæc servatur eo die, quo festum cadit (2). Quapropter si festum, quod de præcepto servatur, occurrat feria quinta in cœna Domini, non quidem omnes sacerdotes, sed aliqui missam privatam ante solemnem celebrare possunt ac debent, ut fideles præcepti implemento non desint (3). Hæ missæ privatæ celebrandæ sunt non de festo, sed de cœna Domini, cum *Gloria* et *Credo* ut in missa solemni diei (4). Si occurrat feria sexta in parasceve, manet obligatio abstinendi ab operibus servilibus, sed non audiendi sacrum (5) neque assistendi officio hujus diei, cum hoc nullibi præcipiatur (6). Si in sabbato sancto occurrat, missæ privatæ præter unicam solemnem sine speciali indulto non permittuntur (7), adeoque fideles, qui possunt, missæ solemni interesse tenentur. Excipitur tamen festum annuntiationis B. M. V. quod, si in feria 6ª parasceves et sabbato sancto occurrat, in Ecclesia universali una cum feriatione in feriam secundam post dominicam in albis transfertur (8).

281. An translato festo, etiam transferuntur indulgentiæ, festo concessæ?

Respondetur per sequens decretum Urbis et Orbis 9 Aug.

(1) Rub. hoc tit. X, n. 1, in fine.

(2) S. R. C. 20 Mart. 1706, n. 2164, et 10 Dec. 1733, n. 2305.

(3) S. R. C. 13 Sept. 1692, n. 1883; 10 Jan. 1693, n. 1890, 6; 12 Sept. 1716, n. 2240; 28 Jan. 1719, n. 2260; 31 Jul. 1821, n. 2616, 1; 1 Junii 1876, n. 3400, 1.

(4) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 8 et 9.

(5) S. R. C. 20 Mart. 1706, n. 2164.

(6) Merati tom. 1, p. 4, tit. 9, n. 77.

(7) Dec. gen. 11 Mart. 1690, n. 1822; 10 Jan. 1693, n. 1890, 6; 31 Jul. 1821, n. 2616, 3.

(8) Dec. cit. 11 Mart. 1690.

Digitized by Google

1852 (1) : « Cum hac nostra præsertim ætate, maxime ob ecclesiasticas conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimæ translationes occurrant; et generatim cum per hujusmodi translationes ex justis causis, debitis tamen cum facultatibus factas (licet etiam pro sola externi cultus celebratione quin et una simul officium cum missa transferatur), fidelium devotio excitetur ad laudandum Dominum in sanctis ejus, huic fidelium pietati fovendæ atque animarum saluti quam maxime interest, ut etiam indulgentiæ his festis adnexæ transferantur. Quamvis autem alias tum a S. Rituum Congregatione, tum ab hac Sacra Congregatione Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita quæsitum fuerit, utrum in translatione festorum etiam translatæ intelligantur adnexæ indulgentiæ, et vel negativa intercesserit responsio, vel in singulis casibus recurrendum esse ad hanc S. Congregationem sancitum esset, nec unquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum provisum fuerit; attamen Emi Patres in generalibus comitiis hujus Sacræ Congregationis, attentis actualibus temporum hujusmodi et peculiaribus locorum et ecclesiarum et fidelium circumstantiis, atque etiam die 16 Februarii currentis anni pro concessione generali translationis indulgentiarum occasione translationis festorum supplicandum Sanctissimo unanimiter censuerunt. SSmus itaque Dominus Noster Pius Papa IX audita de his omnibus relatione per me infrascriptum Secretariæ ejusdem S. Congregationis Substitutum in audientia diei 9 Augusti 1852 facta, benigne mandavit ut omnes indulgentiæ quæ hucusque quibusdam festis concessæ fuerunt ac in posterum concedentur, vel quæ pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessæ fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit de consensu Ordinarii illæ concessæ in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum vel ejus octavario perdurante; translatæ intelligantur pro eo die quo festa

(1) S. C. Indulg. n. 360.

Digitized by Google

hujusmodi etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad officium et missam) in aliquibus locis, vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum officium cum missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit.

« Hanc autem Apostolicæ benignitatis concessionem eadem Sanctitas Sua, quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus absque ulla brevis expeditione valituram, per hoc S. Congregationis decretum typis impressum publicari voluit, dummodo ceteræ omnes aliæ conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus prædictarum indulgentiarum pro iis adipiscendis præscriptæ omnino serventur. »

Not. 1. hanc indulgentiarum translationem generalem esse, et comprehendere omnes in ejusmodi festis lucrandas indulgentias, tam partiales quam plenarias, non tantum ecclesiis et oratoriis, sed etiam confraternitatibus, congregationibus piisque operibus concessas.

2. Hanc indulgentiarum translationem tantum locum habere in festis, quæ *legitime* seu juxta *conventiones ab Apostolica Sede initas* aut *debitis cum facultatibus* transferuntur, ut patet ex toto contextu; non vero in illis, quæ sine facultate Apostolica pro arbitrio rectoris ecclesiæ transferuntur.

3. Si cum solemnitate et externa celebratione officium etiam transferatur, indulgentias etiam transferri : quum enim decernatur, *cum transfertur tantum officium cum missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem;* dicendum est, cum transfertur non tantum officium cum missa, sed etiam solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum fieri translationem : ita ut clausula *non tamen quoad officium et missam* habet sensum non restrictivum sed explicativum, q. d. *licet non quoad officium et missam.* Ita translato officio annuntiationis B. M. V. cum solemnitate seu feriatione, etiam transferuntur indulgentiæ huic festo concessæ.

Digitized by Google

An indulgentiæ manent annexæ diei, a qua officium transfertur, si non transferatur solemnitas, vel officium in propria die nullam solemnitatem habeat?

R. 1. Si ad indulgentiæ consecutionem requiratur assistentia missæ aut officio festi, indulgentia cessare videtur pro ea die, a qua officium transfertur, defectu conditionis requisitæ. Sic S. R. C. pro quibusdam locis, ubi festum patrocinii B. M. V. privilegio translationis non gaudet, in occursu diei octavæ omnium sanctorum concessit duas cantare missas, unam scilicet de octava, et alteram de patrocinio (1).

Secus indultum fuit quoad indulgentiam plenariam concessam in festo ss. nominis Jesu et s. nominis Mariæ fidelibus, qui missæ solemni interfuerint, per decretum S. C. Indulg., in quo declaratur, si officium festi sit transferendum, missæ solemni, quæ tunc istis diebus cantatur de dominica vel festo altiori occurrente, annexam esse indulgentiam plenariam : quod decretum Clemens XIII approbavit, atque ita perpetuis futuris temporibus indultum Innocentii XIII intelligendum esse declaravit (2).

R. 2. Si festum alii diei assignetur, sive in perpetuum transferatur, uti factum fuit quoad festa ss. nominis Jesu, s. nominis Mariæ, s. Joachim etc., indulgentia cessat in die, a qua festum transfertur (3), et simul transfertur ad eamdem diem ad quam festum transfertur (4).

R. 3. Si officium accidentaliter pro hac vice in aliam diem transferatur, indulgentia manet annexa diei, a qua officium transfertur : quia decretum Urbis et Orbis 9 Aug. 1852 decernit in hoc casu indulgentiarum nullam fieri translationem, adeoque supponit easdem manere annexas diei, a qua officium transfertur (5).

(1) 16 Jun. 1663, n. 1265, 1.
(2) S. C. Indulg. 1 Mart. 1762, n. 252.
(3) S. R. C. 17 Jul. 1684, n. 1730, 2; Cavalieri tom. 2, dec. 118, n. 13.
(4) S. C. Indulg. 12 Jan. 1878, in Actis s. Sedis vol. X, fol. 521.
(5) Vid. Cavalieri loco cit. ad XII et XIV.

Digitized by Google

DE OFFICIIS, PRO QUORUM TRANSLATIONE DESUNT DIES VACUI USQUE AD FINEM ANNI.

282. 1° Officia semiduplicia et duplicia, quæ sive perpetuo, sive accidentaliter pro hac aut altera vice sunt impedita, et defectu diei vacui ante finem anni celebrari nequeunt, ad annum sequentem (uti olim a S. R. C. concessum fuit) non sunt transferenda, nec anticipanda, sed reducenda ad ritum simplicem, et in propriis diebus consideranda tanquam simplicia, cum eorumdem commemoratione in missa, utrisque vesperis et laudibus, atque cum nona lectione historica ad matutinum, composita ex omnibus lectionibus propriis secundi nocturni per modum unius, exceptis triduo sacro majoris hebdomadæ, dominicis majoribus, festis paschatis et pentecostes cum duobus diebus sequentibus, et omnibus duplicibus 1 classis, in quibus nihil fit de festis impeditis, et hæc simpliciter hoc anno omittuntur. In secundis tamen vesperis feriæ tertiæ paschatis et pentecostes et aliorum duplicium 1 cl. de dictis officiis fit commemoratio in casu, quo de ipsis commemoratio in die sequente facienda est.

Aliis autem diebus, etiam in festis 2 cl., de prædictis officiis impeditis fieri debet ut supra dictum est, exceptis missis dominicæ palmarum et vigiliæ pentecostes, in quibus etiam in missis privatis de illis non fit commemoratio, licet ut alias in officio fieri debeat. Hæc commemoratio fit ordine, quo dictum est n. 263; et in vesperis juxta regulas tabellæ concurrentiæ, ac si de ipsis officium fieret (1).

2° Lectio horum duplicium et semiduplicium impeditorum omittenda est: 1° in officiis trium lectionum; 2° infra octavam Corporis Christi, nisi officium fiat de duplice, ut dictum est n. 244; 3° quandocumque legitur 9ª lectio homiliæ feriæ aut dominicæ; 4° si lectiones 2 nocturni non sint propriæ et historicæ; 5° in dominicis, in quibus legitur nonum responsorium. Etsi autem in prædictis casibus, nona omittatur

(1) S. R. C. 23 Apr. 1875, n. 3352, VIII.

Digitized by Google

lectio, commemoratio tamen in vesperis, laudibus et missa ut alias fieri debet.

3° Licet regula generalis sit, ut jam dictum est, officia duplicia et semiduplicia impedita, pro quorum repositione dies vacui desunt, ad ritum simplicem esse reducenda, excipiuntur tamen : 1° festa duplicia 1 et 2 cl., quæ in hoc casu transferenda sunt in proximam diem impeditam festo semiduplici et in hujus defectu in proximum duplex, quod tunc eo anno ad ritum simplicem redigatur, et 2° alia duplicia ex speciali indulto, ubi tale habetur. Juxta decretum S. R. C. 9 Maii 1884, n. 3609, festum S. Silvestri, semper impeditum ob festum Titularis propriæ ecclesiæ, fixe in diem 30 Decembris transferri debet cum commemoratione Dominicæ.

Not. Finem anni, de quo decreta agunt, intelligendum esse de anno vulgari, qui incipit 1 Januarii et desinit 31 Decembris (1).

Not. 2° Officia duplicia et semiduplicia nihil facere circa officium, in quo ad ritum simplicem rediguntur, adeoque in dominicis non mutari colorem, neque omitti preces et suffragia, neque tertiam orationem.

DE OFFICIIS AD LIBITUM.

283. Officia sub certo respectu quoad præsentem materiam considerari possunt tripliciter : 1° de præcepto, hoc est ex obligatione imposita Ecclesiæ universali vel alicui particulari, qualia officia, dum impediuntur, semper transferuntur; 2° ad libitum, quæ in breviario aut particulari kalendario ita expresse notantur, uti sunt pro Ecclesia universali festa s. Canuti 19 Jan. et s. Remigii 1 Oct., item pro omnibus Hispaniarum regi subjectis illud s. Juliani 28 Jan. 3° Officia, quæ conceduntur de licentia ac indulto Sedis Apostolicæ, et concedi solent sub clausula *fieri posse*, *recitari posse*, etc.

284. Officia stricte dicta ad libitum, de quibus supra ad

(1) S. R. C. 30 Aug. 1755, n. 2438.

Digitized by Google

2 dictum est, ita inscribuntur, non quatenus pro libitu semper omitti vel recitari possunt; sed quatenus in quodam casu ad libitum omitti vel recitari possunt; et si impediantur, non transferri uti festa præceptiva, sed omitti debent, ut ex dicendis patebit.

Hæc officia stricte dicta ad libitum, si in propriis diebus sint impedita, sine speciali indulto quacumque ex causa non transferuntur, licet etiam perpetuo impediantur (1), sed sive sint duplicia sive semiduplicia, simpliciter omittuntur, et nihil de iis fieri potest, si in diebus impeditis occurrant.

Dies impediti pro festis ad libitum licet duplicibus sunt, præter enumeratos dies num. 267 resp. 1 et 2 : 1° dies octava et dies infra quamcumque octavam (2). 2° Officium de præcepto occurrens, etiam semiduplex, licet illud ad libitum sit duplex etiam majus (3). 3° Dominica quæcumque (4). 4° Sabbatum, in quo anticipatur officium dominicæ ante septuagesimam, ut dictum est num. 237 in fine (5). Pro festo autem ad libitum dies impedita non est illa, in qua alias aliquod officium translatum poneretur, aut aliquod officium votivum semel per hebdomadam aut per mensem concessum recitaretur : in casu enim liberum est, officium ad libitum recitare; et officium translatum ulterius transferre vel illud votivum omittere (6). Festum autem translatum numquam mutari seu fixe reponi potest in diem festi ad libitum, ut dictum est num. 277, nisi id ex speciali indulto permittatur.

Pro assignatione festi ad libitum in alia die, si de eo recitare placeat, recurrendum est ad S. R. C. (7).

Not. si festum ad libitum, ut illud s. Remigii, in breviario notatum sit simplex de præcepto, eo casu si de illo sub ritu

(1) S. R. C. 24 Jan. 1682, n. 1685; 1 Jul. 1875, n. 3360; 20 Jun. 1899, n. 4037, 1.
(2) S. R. C. 15 Dec. 1899, n. 4031, 4.
(3) S. R. C. 24 Jan. 1682, n. 1685.
(4) S. R. C. 24 Jan. 1682.
(5) S. R. C. 4 Apr. 1705, n. 2132, 5; 29 Maji 1885, n. 3636, 1.
(6) S. R. C. 24 Jan. 1682; 8 Maji 1896, n. 3899, 2.
(7) 20 Nov. 1683, n. 1721, 1.

Digitized by Google

ad libitum fieri nequeat, de illo equidem faciendam esse commemorationem cum nona lectione, ut de aliis simplicibus (1).

285. Officia, quæ conceduntur sub clausula *fieri posse, recitari posse* vel simili forma, absque expressa notula *ad libitum*, certo sunt ad libitum eo sensu, quatenus acceptari possint vel non : olim etiam post acceptationem fuerunt habita ut prædicta ad libitum, et subjecta decreto generali 24 Jan. 1682 de non transferendis officiis ad libitum; nunc vero sive duplicia sive semiduplicia, quæ sub simili forma conceduntur, sub nomine officiorum ad libitum non amplius comprehenduntur, ita ut, postquam fuerint acceptata seu usu recepta, non amplius sit in potestate acceptantis, successoris aut inferiorum eadem omittere, sed ipsa sint de præcepto, in diebus impeditis transferantur, et si sint duplicia, in dominicis celebrentur (2). Ad quem horum officiorum acceptatio attineat, vide num. 271, et apud Cavalieri tom. I, dec. 79, 7.

Not. in concessione officiorum terminos indulti esse attendendos, utrum præceptum importent vel simplicem facultatem.

DE OFFICIIS CONCESSIS LOCO PARTICULARI ET AFFIXIS DOMINICIS AUT FERIIS.

286. Officia concessa alicui regno, nationi, diœcesi, civitati aut oppido, si ob occursum aliorum officiorum celebrari nequeant diebus assignatis, sunt omittenda, vel imploranda facultas transferendi. Verum hoc specialiter intelligitur de officiis affixis certis diebus, nimirum vel in feriis, vel in dominicis. Sic per decretum 18 Junii 1885 officia propria B. M. V., aliquibus dominicis assignata, omittenda sunt, quando impediuntur (3).

(1) S. R. C. 20 Nov. 1677, n. 1607.

(2) S. R. C. 6 Sept. 1738, n. 2338; 14 Jun. 1845, n. 2900; 27 Jun. 1899, n. 4042, 4.

(3) S. R. C. n. 3637.

Digitized by Google

287. Officia igitur particularia non dominicis vel certis feriis, sed diebus mensis affixa, transferri possunt et debent, licet tantum sint facultativa, modo sint recepta, ut num. præc. dictum est.

Particularia autem officia, affixa certis dominicis vel feriis, ut dominicæ 1ª, 2ª mensis, feriæ 2ª, 3ª etc. istius hebdomadæ, sine speciali facultate transferri nequeunt; sed sunt omittenda, sive accidentaliter sive perpetuo impediantur (1). Prohibitio translationis in alias Dominicas hujusmodi dies insequentes, intelligenda est etiam quoad alios dies non dominicos liberos, ut neque in istos dies præfata officia transferri queant. Imo in casu impedimenti perpetui quoad aliquam Ecclesiam, prædicta officia dominicis diebus assignata, omittenda prorsus sunt (2).

Hæc vero officia impediuntur : 1° festo altioris ritus et dignitatis seu solemnitatis (3); 2° die octava, si officium affixum feriæ aut dominicæ sit duplex minus aut majus (4); 3° si tamen sint de præcepto, id est, si indultum contineat terminum præceptivum, transferri possunt et debent (5).

Officia universalia breviarii romani affixa feriis aut dominicis, sunt festa ss. nominis Jesu, septem dolorum B. M. V. feria 6ª post dominicam passionis et dominica 3 Septembris, patrocinii s. Joseph dominica 3 post pascha, ss. Cordis Jesu, pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dominica prima Julii, s. Joachim dominica infra octavam assumptionis B. M. V., s. nominis B. M. V. dominica infra octavam ejusdem nativitatis, et rosarii dominica 1 Octobris. Hæc omnia sunt de præcepto, et transferuntur, ut tom. 3, p. 5, dicetur in propriis locis.

Officia archidiœcesis et civitatis Mechliniensis, affixa certis dominicis, scilicet s. Liberti M., ss. reliquiarum, patrocinii

(1) S. R. C. 14 Jun. 1845, n. 2902; 25 Sept. 1852, n. 3008; 15 Sept. 1881, n. 3531, 1.
(2) S. R. C. 3 Aug. 1901, Tropien. I.
(3) S. R. C. 20 Nov. 1683, n. 1721, 3.
(4) Idem decr. cit.
(5) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia 8.

Digitized by Google

B. M. V. et translationis s. Rumoldi ex speciali indulto (1) transferri possunt juxta rubricas ad primos insequentes dies liberos. Item festum relationis et recollectionis reliquiarum s. Rumoldi dominica infra octavam principalis festi s. Rumoldi, occurrente officio potioris ritus vel majoris dignitatis seu solemnitatis, tanquam in sede propria transferri valet quinto Nonas Julii (2). S. R. C. die 7 Novembris 1902 benigne annuit Emo ac Rmo Dno Cardinali Mechlinien. ut in kalendario perpetuo ac proprio ad usum ipsiusmet archidiœceseos Dominicæ secundæ Octobris, festum Maternitatis B. M. V., itemque tertiæ Dominicæ alterum festum Puritatis B. M. V. sub ritu duplici majori affigi valeat, cum respectivis officiis ac missis propriis, uti in appendice Breviarii et Missalis Romani.

Officia mysteriorum et instrumentorum dominicæ passionis, quæ in pluribus locis infra hebdomadas post septuagesimam et tempore quadragesimali celebrantur, sine speciali facultate transferri nequeunt, et si facultas transferendi concessa sit, numquam tamen ultra quadragesimam transferri possunt, etiamsi nulla reperiatur dies libera ante quadragesimæ finem (3).

DE OFFICIIS VOTIVIS SS. SACRAMENTI, CONCEPTIONIS B. M. V. ET ALIIS.

Notandum. Numeris sequentibus, a n. 288 ad n. 291 inclusive, agitur de officiis votivis speciali privilegio concessis; ast n. 292 agetur de officiis votivis per annum, quæ persolvere loco officiorum ferialium indultum est per decretum Urbis et Orbis, diei 5 Julii 1883.

288. Officia votiva, quæ semel aut pluries in singulis hebdomadis aut mensibus ex speciali recitantur privilegio,

(1) S. R. C. 22 Maji 1841.

(2) S. R. C. 27 Jul. 1842. Hæc duo indulta, omissa in collect. habentur in directorio archid. Mechl. 1842, p. 94, et 1843 in fine.

(3) S. R. C. 15 Sept. 1881, n. 3531, 2.

Digitized by Google

olim sæpius concessa sunt, scilicet de ss. Sacramento singulis feriis quintis, de conceptione B. M. V. in sabbatis, de s. patrono, de fundatore ordinis, etc.

289. Hæc officia votiva, si in feria assignata impediantur, in aliam feriam transferri nequeunt, quia non sunt de præcepto, sed ad libitum (1), et affixa certis feriis, qualia officia non transferuntur, sed simpliciter omittuntur, si impediantur.

Quamvis autem sint ad libitum, clerici tamen, qui ad horas canonicas obligantur, tenentur recitare officia votiva, ex indulto Apostolico concessa, si jussu ordinarii in kalendario diebus non impeditis apponantur.

290. Dies impediti pro his officiis votivis, etiam duplicibus, concessis pro diebus non impeditis aliquo festo duplici vel semiduplici, sunt omnes 1° in quibus occurrit officium quodcumque 9 lectionum, scilicet festum duplex, et semiduplex etiam translatum, dies octava, et dies infra quamcumque octavam; et 2° feriæ adventus, quadragesimæ, quatuor temporum, vigiliarum sive cum sive absque jejunio, feria secunda rogationum, item illa feria, in quam officium dominicæ anticipatæ secundum rubricas est reponendum, etiamsi de his diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus officiorum concessionibus, juxta decretum generale (2), quod etiam servandum est in casu, quo habetur consuetudo contraria aut concessio anterior (3), et licet officium votivum per totam hebdomadam aut mensem impediatur. 3° Officium votivum pro singulis mensibus concessum, pariter omittendum est in illis mensibus, in quibus de eodem officium de præcepto recitatur. 4° Si duo officia votiva occurrant, fieri debet de officio speciali seu magis particulari (4).

Not. licet officia votiva in adventu locum non habeant, si

(1) S. R. C. 17 Junii 1679, n. 1632.

(2) 20 Mart. 1706, n. 2166, ut etiam habetur initio brev.; Cavalieri tom. 2, dec. 188.

(3) S. R. C. 20 Dec. 1864, n. 3131.

(4) S. R. C. 6 Feb. 1858, n. 3064, 2.

Digitized by Google

tamen occurrant in sabbato ante adventum, vesperas fieri ac si non esset adventus (1).

291. Quomodo officium votivum sit recitandum, an ut in die festo, an de communi; an lectiones 2 et 3 nocturni semper legendæ sint de die festivitatis, an ut infra octavam, cognoscendum est ex decreto concessionis. Sic aliquando lectiones officiorum votivorum, recitandæ sunt prout in die festivitatis; aliquando etiam (2) diversæ pro vario mense leguntur, prout etiam in breviario Romano pro officio votivo ss. Sacramenti et in officio immaculatæ Conceptionis B. M. V. lectiones per menses vel tempus disponuntur.

Officium votivum ss. Sacramenti recitandum est ut in die solemnitatis Corporis Christi, exceptis sequentibus : 1° lectiones 1 nocturni dicuntur de Scriptura occurrente, et 2 atque 3 nocturni, ut jam dictum est, recitantur ut infra octavam ss. Sacramenti, prout in fine breviariorum disponuntur. 2° Non omittitur nona lectio simplicis occurrentis (3). 3° Missa dicitur votiva quæ ponitur in fine missalis, cum *Gloria* et orationibus tempori congruentibus, sed sine *Credo* et sine sequentia (4). 4° *Alleluja* extra tempus paschale ubique omittitur, tam post antiphonas in laudibus, ad *Benedictus* et *Magnificat*, quam alibi in toto officio, quia in decreto 22 Aug. 1693 (5) generaliter dicitur, officium votivum ss. Sacramenti non licere recitare cum *Alleluja* extra tempus paschale, et in decreto 5 Maji 1736 (6) pariter generaliter statuitur, omnia *Alleluja* extra tempus paschale omitti : quamvis igitur in decreto 10 Dec. 1740 (7) tantum decernatur, *Alleluja* omittendum esse post versiculos in matutino, ad *Magnificat* et *Benedictus*, atque post responsoria brevia horarum; inde tamen inferri nequit *Alleluja* post antipho-

(1) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, 13.
(2) 5 Maji 1736, n. 4044, ad tit. 8, de off.
(3) Cavalieri tom. 2, dec. 195, V.
(4) S. R. C. 21 Mart. 1795, n. 2550.
(5) N. 1901.
(6) N. 2319, ad tit. de antiph. dub. 2.
(7) N. 2354.

Digitized by Google

nas laudum, ad *Benedictus* et *Magnificat* esse retinendum, quia in decreto cit. 10 Dec. 1740 tantum responsum fuit ad petita et nihil ultra; sicut in decreto 11 Jul. 1643 (1) eodem modo responsum fuit, *Alleluja* omittendum esse in responsoriis brevibus horarum, et nihil ultra, quia id tantum petebatur. Dicendum igitur est, decreta satis clare disponere, *Alleluja* in toto officio ss. Sacramenti omittendum esse. Ita etiam præscribitur in Breviario.

Not. in officiis votivis non attendi ordinem dignitatis, et vesperas in concurrentia cum aliis ejusdem ritus dividi (2).

DE OFFICIIS VOTIVIS PER ANNUM, QUÆ PERSOLVERE LOCO OFFICIORUM FERIALIUM INDULTUM EST PER DECRETUM URBIS ET ORBIS, DIEI 5 JULII 1883.

292. Decretum Urbis et Orbis (3). Per apostolicas litteras in forma Brevis die 28 Julii superiore anno editas SS. D. N. Leo Papa XIII, sententiam confirmans specialis Sacrorum Rituum Congregationis a se constitutæ, cum aliquod Sanctorum atque etiam Beatorum officia kalendario universalis Ecclesiæ, necnon kalendario particulari Urbis addidisset; quo in utroque kalendario habeantur sedes liberæ ad nova officia introducenda, Rubricam generalem breviarii romani Tit. X de translatione festorum immutandam præcepit, demptis videlicet translationibus festorum duplicium minorum (exceptis illis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum), et festorum semiduplicium. Itaque specialis ipsa congregatio diebus 23 Junii et 2 Julii vertentis anni iterum coadunata est ad perficiendam, juxta præfatam normam, textus Rubricarum correctionem. Nutu autem ejusdem SS. Domini nostri, nonnulla insuper perpendere debuit immutatæ rubricæ consectaria, quæ novam aliquam opportunam dispositionem prorsus requirere censebantur. Compertum quippe est, coarctata translationum serie,

(1) N. 843, 5.
(2) S. R. C. 24 Nov. 1883, n. 3597, et 22 Maji 1896, n. 3908, 1.
(3) S. R. C. n. 3581.

Digitized by Google

superesse quidem, juxta novæ editæ legis finem, sedes quamplures omnino liberas ad nova officia in kalendariis introducenda; interim tamen haud leviter inde augeri onus officiorum ferialium; quod imminuto hodie cleri numero, auctisque aliis ejus oneribus, minime convenire existimatur.

Sacra igitur Congregatio, hisce omnibus maturo examine perpensis, de singulis, si SS. Domino Nostro placuerit, ita decrevit.

I. Detur indultum generale tam capitulis et ecclesiasticorum communitatibus quibuscumque, quam singulis de utroque clero, persolvendi officia votiva per annum loco officiorum ferialium, præterquam in feriis, quarta cinerum, totius tempore Passionis, ac sacri adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive : quoad choralem quidem recitationem, de consensu capituli seu communitatis ab Ordinario semel pro semper adprobando; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de clero. Officia autem hujusmodi votiva per annum, missis votivis in missali romano positis fere respondentia, hæc pro singulis hebdomadæ diebus adsignantur, nimirum : pro feria II de Angelis, feria III de sanctis Apostolis (Romæ vero de SS. Petro et Paulo), feria IV de S. Joseph sponso B. M. V., catholicæ ecclesiæ patrono, feria V de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; feria VI de Passione Domini Nostri Jesu Christi; Sabbatho de Immaculata B. M. V. Conceptione. Officia ipsa a sacrorum rituum congregatione adprobanda erunt et edenda. Firmis remanentibus aliis votivorum officiorum indultis quibuscunque jam concessis.

II. Festa commemorationis S. Pauli...

III. De festo SS. Apostolorum...

Facta autem de præmissis per infra scriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII fideli relatione, Sanctitas sua hoc sacræ ipsius congregationis decretum, indulgendo singula in eo contenta, in omnibus adprobavit et confirmavit, atque evulgari jussit. Die 5 ejusdem mensis Julii et anni 1883. »

D. Cardinalis Bartolinius S. R. C., *præfectus*.
Laurentius Salvati S. R. C., *secretarius*.

Digitized by Google

RUBRICÆ OFFICIIS VOTIVIS PER ANNUM PRÆFIXÆ.

Officia hæc votiva per annum ritu semiduplici pro singulis hebdomadæ feriis, a Summo Pontifice Leone XIII per decretum Urbis et Orbis Sacrorum Rituum Congregationis die 5 *Julii* 1883 *generali indulto concessa, persolvi possunt, juxta idem indultum, loco officiorum ferialium occurrentium, quocunque anni tempore; exceptis feria IV cinerum, feriis totius temporis Passionis, ac Sacri Adventus a die* 17 *ad* 24 *Decembris inclusive. Habent juxta rubricas, prout alia festa semiduplicia novem lectionum, tum commemorationes feriæ et festi simplicis occurrentis, tum nonam lectionem de homilia super evangelium ejusdem feriæ, aut de Sancto. Adduntur commemorationes communes, seu suffragia Sanctorum, ut in psalterio, si facienda sint; omissa commemoratione ejus, de quo fit officium votivum. Si die præcedenti aut sequenti occurrat officium aliud quodcunque novem lectionum, vesperæ officii votivi currentis ordinandæ erunt juxta Rubricam de* Concurrentia officii.

RUBRICÆ MISSIS VOTIVIS PER ANNUM PRÆFIXÆ.

Hæ Missæ celebrantur diebus singulis adsignatis juxta Apostolicum indultum generale per decretum Sacrorum Rituum Congregationis de 5 *Julii* 1883. *Secunda et tertia oratio erunt ut in semiduplicibus pro diversitate temporis. Fient quoque commemorationes de simplici, ac de feria cum ejus evangelio in fine missæ, prout de iis actum est in respondente officio votivo per annum, juxta Rubricas missalis. Dicitur* Gloria, *et omittitur* Credo.

Quibus diebus licet recitare officia votiva per annum a Summo Pontifice Leone XIII per decretum Urbis et Orbis S. R. C. die 5 Julii 1883 generali indulto concessa?

R. Officia hæc votiva persolvi possunt loco officiorum ferialium occurrentium (quo nomine etiam intelliguntur officia

Digitized by Google

alicujus festi simplicis (1), et Vigiliæ alicujus sancti) (2), quocumque anni tempore, exceptis feria IV cinerum, feriis totius temporis Passionis, ac Sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris inclusive. Excipitur etiam feria sexta post octavam Ascensionis (3). Denique officium Dominicæ anticipandæ impedit recitationem hujusmodi Officii votivi ad libitum (4).

Quibus licet ad libitum hæc officia recitare, quibus vero non?

R. Quoad privatam recitationem ii tantum liberi sunt, qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur; qui vero ad chorum tenentur, statuta, de consensu capituli seu communitatis ab Ordinario adprobato, recitatione officii votivi, debent non tantum in choro, sed etiam in privata recitatione officia votiva recitare; nec, semel statuta de consensu capituli seu communitatis ab Ordinario adprobato officiorum votivorum acceptatione, unquam licet ab ea acceptatione recedere; nec etiam licet indultum ita acceptare, ut quibusdam anni diebus de feria, aliis vero de votivis officiis in chorali recitatione agi valeat (5). Sed officia votiva in Diœcesibus, ubi non fuerint adoptata, possunt ulterius semel pro semper eligi (6).

Si ante decretum 5 Julii 1883 jam fuerat speciali privilegio alicui diœcesi concessum, ut in quibusdam ferialibus diebus recitarentur officia votiva, ut in diœcesi Mechliniensi officia votiva de SS. Sacramento et de I. Conceptione B. M. V., manet adhuc obligatio hæc officia votiva recitandi, et non datur in istis diebus optio inter officium feriale et officium votivum, sed datur optio diebus contentis in nova indulto 5 Julii 1883, in alio præcedenti exceptis (7).

Quo ritu et modo persolvenda sunt hæc officia votiva?

R. Ritu semiduplici, et habent juxta rubricas prout alia

(1) S. R. C. 24 Nov. 1883, n. 3597, III.
(2) S. R. C. 16 Jan. 1885, n. 3627, I.
(3) S. R. C. 29 Apr. 1887, n. 3675, I.
(4) S. R. C. 5 Febr. 1895, n. 3844, I.
(5) S. R. C. 10 Nov. 1883, n. 3596.
(6) S. R. C. 24 Nov. 1899, n. 4048, II.
(7) S. R. C. 24 Nov. 1883, n. 3597, I.

Digitized by Google

festa semiduplicia novem lectionum, tum commemorationes feriæ et festi simplicis occurrentis, tum nonam lectionem de homilia super evangelium ejusdem feriæ aut de Sancto. Adduntur commemorationes seu suffragia Sanctorum, ut in psalterio, si faciendæ sint, omissa commemoratione ejus, de quo fit officium votivum. Notandum vero quod in officio votivo omnium Apostolorum omitti non debet in suffragiis commemoratio Apostolorum Petri et Pauli (1).

Commemoratio vero de cruce, quæ dicitur tempore paschali (loco suffragiorum de sanctis) omitti debet, quando fit officium votivum de Passione (2).

Si die præcedenti aut sequenti occurrat officium aliud quodcumque novem lectionum, vesperæ officii votivi currentis ordinandæ sunt juxta rubricam *de Concurrentia officii*. Et ita si officium votivum cum alio item votivo concurrit, hoc in casu vesperæ juxta rubricam generalem tit. XI, n. 4, semper dicendæ sunt a capitulo de sequenti, cum commemoratione præcedentis, non habita ratione dignitatis unius officii votivi præ alio. Attamen cum officium votivum SS. Sacramenti concurrit cum officio de Passione D. N. J. C., totum fit de præcedenti, nihil de sequenti (3).

Cum festum SS. Apostolorum Simonis et Judæ die 28 Octobris incidat in feriam secundam, et si feria tertia sequenti recitari contingat officium votivum de Apostolis, pro commemoratione hujus officii votivi sumatur oratio pro aliquibus locis die 29 Junii, scilicet : « Deus, qui nos Beatorum Apostolorum commemoratione lætificas; præsta quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum » (4).

Tempore paschali in officiis votivis, etiam in officio Passionis est addendum *Alleluia*, et servanda sunt ejusdem temporis propria (5).

(1) S. R. C. 24 Nov. 1883, n. 3597, VII.
(2) S. R. C. 29 Apr. 1887, n. 3675, III.
(3) S. R. C. 24 Nov. 1883, n. 3597, IV; 11 Jan. 1884, n. 3604, 2.
(4) Idem decret. 24 Nov. 1883, ad V.
(5) Idem decret. 24 Nov. 1883, ad II.

Digitized by Google

OFFICIUM SANCTI CUM SOCIIS.

293. Rubricæ post tabellam occurrentiæ. *Si accidat, ut Patronus vel Titulus Ecclesiæ descriptus sit eodem die in Kalendario cum aliis Sanctis, qui separari queunt, in ea Ecclesia vel in loco, fit tantum de Titulari vel Patrono. Alii si in dicto Kalendario descripti sint sub ritu Duplici majori vel minori, aut semiduplici, transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat officium semiduplex. Si vero sint ex Duplicibus primæ aut secundæ classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat officium sub eodem ritu, ac si propria die celebrarentur. Si autem in Kalendario omnes sint tamquam Festum simplex, de eis nihil fit.*

Principalis patronus vel titularis, qui cum aliis sanctis sub uno officio in breviario conjunctus est, separandus est a sociis, et de eo solo recitandum officium absque commemoratione aliorum; nisi illi sancti per se et natura rei conjuncti sint, et eodem die in kalendario descripti; in quo casu non sunt separandi, et officium de omnibus sub eodem ritu recitandum est (1).

Si patronus ab aliis separandus sit, officium fit de solo patrono vel titulari, et de sociis triplex datur casus. 1° Vel descripti sunt in Kalendario sub ritu duplici majori vel minori, aut semiduplici, et tunc transferuntur perpetuo in diem primam liberam, qua die recoluntur ritu semiduplici. 2° Vel descripti sunt sub ritu duplici primæ aut secundæ classis, et tunc eodem modo transferuntur, sed recoluntur sub suo relativo ritu primæ aut secundæ classis. 3° Vel descripti sunt sub ritu simplici, et tunc penitus omittuntur ad semper.

294. Si autem de uno sociorum vel aliorum, qui sub uno officio in breviario conjuncti sunt, faciendum sit officium duplex non tanquam de patrono seu titulari principali, sed

(1) S. R. C. 11 Aug. 1877, n. 3451, p. 2, dub. 1.

Digitized by Google

tanquam de patrono seu titulari secundario aut minus principali, vel ratione insignis reliquiæ, eo casu socii non transferuntur, sed omnes eodem officio et ritu, uni vel pluribus sociorum competente, celebrantur, si in breviario ritum duplicem vel semiduplicem habeant; si vero in breviario tantum ritum simplicem habeant, socius qui est patronus, aut cujus habentur reliquiæ, solus celebratur ritu duplici, et reliqui ritu simplici cum nona lectione propria, si commode disjungi queat, et commemoratione in primis vesperis, laudibus et missa; nisi sancti eodem officio juncti sint per se et ex natura rei, uti fratres, etc., tunc enim omnes, etsi dumtaxat ritu simplici in breviario gaudeant, simul eodem officio et ritu celebrandi sunt (1).

Quomodo officium patroni et sociorum seorsum fiat, vide num. 247; quæ enim ibi dicuntur de patrono seu titulari ab aliis separato, vicissim applicanda sunt sociis seu aliis a patrono separatis.

DE FESTIS QUORUM SOLEMNITATES IN DOMINICAM TRANSFERUNTUR.

295. Juxta indultum pro reductione festorum 9 Ap. 1802, in universo Galliarum reipublicæ territorio, prout tunc erat, festa « epiphaniæ Domini, ss. Corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et paræciæ in dominica proxime occurrente in omnibus ecclesiis celebrabuntur (2). »

Cum occasione hujus indulti variæ exortæ essent difficultates, Emus Cardinalis Legatus a Latere aliud dedit decretum 21 Junii 1804, quod licet specialiter directum sit ad Vicarium Generalem Archiepiscopi Mechl. qui super hoc

(1) S. R. C. 16 Jan. 1677, n. 1589, 2; 8 Mart. 1704, n. 2128, 1; 11 Aug. 1877, n. 3431. p. 2, dub. 1; Merati sect. 3, c. X, n. VIII; Cavalieri t. 1, cap. V, dec. IV, in ordine 65 et seq. in dec. cit.

(2) In collect. ep. past. diœc. Mechl. tom. 1, p. 45.

Digitized by Google

indulto explanationem efflagitaverat, ut generalis tamen regula in toto reipublicæ territorio habendum est ex decr. 29 Nov. 1831 (1), quo ita servari Sanctitas Sua mandavit omnibus in locis et diœcesibus, queis indultum super reductione festorum per Emum Cardinalem Caprara Legatum a Latere extenditur. In hoc decreto habetur :

« 1° Officia epiphaniæ Domini, ss. Corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli, et s. patronorum cujuslibet diœcesis et paræciæ recitanda erunt a clero tam privatim quam publice in ecclesiis, et missa de eisdem festis dicenda in proprio suo die. »

« 2° Sola solemnitas præfatorum festorum differetur in dominicam subsequentem, in qua officium quidem a clero tam publice quam privatim, et missa recitabitur juxta rubricas occurrentes, seu juxta consuetum ordinem; canetur tamen una missa solemnis de festo illo more votivo cum unica oratione : minime omissa in cathedralibus aliisve ecclesiis, in quibus officium publice agatur, et adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, altera missa conventuali de festo occurrente » (2).

296. Quomodo intelligenda sunt in indulto hæc verba : *Patronorum cujuslibet diœcesis et paræciæ ?*

R. 1° Intelligenda sunt non copulative sed disjunctive, id est : ubi habetur proprius loci patronus, hujus tantum solemnitas transfertur in dominicam; ubi autem proprius loci patronus non habetur, solemnitas patroni diœcesis transfertur in dominicam. Verba ita intelligenda esse, clare probatur ex decretis S. R. C. (3), ex quibus aliisque pluribus constat, festum patroni diœcesis in locis, in quibus alius loci patronus habetur, non esse festivandum de præcepto in populo; quinimo in dec. 12 Nov. 1831 (4) decernitur, civitates

(1) Antiq. n. 4671.

(2) In collect. ep. past. diœc. Mechl. tom. 1, p. 128.

(3) 27 Mart. 1824, n. 2633; 20 Mart. 1869, n. 3206; 29 Nov. 1878, n. 3469, I.

(4) N. 2682, 38, et 30 Martii 1878, n. 3444.

Digitized by Google

et oppida, quæ habent patronum principalem, non posse continuare celebrationem protectoris principalis diœcesis cum obligatione utriusque præcepti ex consuetudine. Si ergo patronus diœcesis in locis, ubi peculiaris loci patronus colitur, in propria die festivitatem in populo de jure non habeat, nec habet in casu solemnitatem in dominica, quia indultum pro reductione festorum quoad festa de præcepto tantum disponit. Ubi autem proprius loci patronus non habetur, ibi festum patroni diœcesis *ex rubricarum præscripto* cum præcepto in populo est celebrandum (1) : adeoque in casu solemnitas in dominicam est transferenda, nisi habeatur consuetudo non festivandi patronum diœcesis in populo, ut in archidiœcesi Mechliniensi, quando, cum præceptum in propria die vel non extiterit, vel abrogatum sit, nec solemnitas in dominica celebrari potest.

2° Intelligitur tantum unus ex principalioribus patronis, si plures habeantur, quia juxta constitutionem Urbani VIII unus tantum ex principalioribus patronis cum præcepto in populo celebrari debet et potest (2).

3° Intelligitur tantum patronus seu titulus loci, cujus feriatio per indultum pro reductione festorum in die propria abrogata est : ita ut, si patronus seu titulus sit ascensio Domini, nativitas Domini, assumptio B. M. V., aut omnes sancti, solemnitas in dominicam transferri nec possit nec debeat; quia dispositio translationis solemnitatis in dominicam tantum respicit festa abrogata, et, cum dicta quatuor festa manserint de præcepto, in die propria celebrari possunt et debent.

4° Per patronum diœcesis, ut ex dictis patet, intelligitur ille, qui seposito indulto prædicto 9 Ap. 1802 sub utroque præcepto audiendi missam et abstinendi ab operibus servilibus celebrari deberet (3).

(1) Breve Pii VII, 15 Oct. 1818, n. 2590, pro utriusque Siciliæ regno; S. R. C. 5 Mart. 1825, n. 2638, 1; 12 Aug. 1854, n. 3028.

(2) Idibus Sept. 1642, n. 812, pro observatione festorum § 2. Ita etiam breve Clementis XIV, 22 Jun. 1771. Syn. Belg. tom. 2, p. 507.

(3) S. R. C. 3 Mart. 1866, n. 3143.

Digitized by Google

5° Per patronum parœciæ intelligitur patronus seu titulus loci, scilicet civitatis, oppidi aut pagi, legitime electus juxta decretum Urbani VIII (1) vel alias ab immemorabili tempore, seu ante hoc decretum Urbani VIII introductus atque receptus, qui cum feriatione ex constitutione ejusdem Urbani VIII (2) celebrandus erat, atque in brevi Clementis XIV (3) sub utroque præcepto servatus fuit, quique proinde ante indultum 9 Ap. 1802 sub utroque præcepto in populo celebrandus erat (4).

6° Non autem intelligitur patronus seu titularis ecclesiæ parochialis, seu ut vulgo dicitur patronus parochiæ, quamvis etiam cum præcepto in populo ante reductionem festorum celebraretur, nisi simul sit patronus civitatis, oppidi aut pagi, legitime constitutus, quia ille quidem alicubi ex devotione, sed numquam saltem post constitutionem Urbani VIII 1642 de præcepto in populo celebrari debuit (5). Dictum est, *quamvis cum præcepto in populo ante reductionem festorum celebraretur*, quia, licet plura festa, ut 12 apostolorum, s. Laurentii etc. juxta constitutionem Urbani 1642 forent de præcepto, feriatio tamen non competebat iis festis sanctorum, quatenus erant patroni, sed ex præcepto pro universali Ecclesia : adeoque dispositio translationis solemnitatis patroni in dominicam, quæ tantum disponit de sanctis, quatenus feriatio iis ut patronis competit, non extenditur ad patronos ecclesiæ seu parochiæ, quamvis ante reductionem festorum cum feriatione ex præcepto universalis Ecclesiæ colerentur, nisi simul sint patroni civitatis, oppidi aut pagi.

7° Neque etiam comprehenditur patronus quiscumque sive parochiæ, sive civitatis, oppidi aut pagi, qui ut talis ab immemorabili tempore ante 1630 non est receptus, neque electus juxta constitutionem Urbani VIII 23 Mart. 1630 a clero, populo etc. illius loci cum approbatione Episcopi etc. (6).

(1) 23 Mart. 1630, n. 526.
(2) Anno 1642, n. 812.
(3) 22 Jun. 1771, pro ditionibus Austriacis. Synod. Belg. tom. 2, p. 507.
(4) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3754, 1.
(5) S. R. C. 14 Feb. 1705, n. 2148, 1.
(6) S. R. C. 15 Sept. 1742, n. 2369, 1. Vid. tom. 3, n. 120.

Digitized by Google

Ratio horum omnium est, quia sicut indultum pro reductione festorum tantum festa de præcepto in populo respicit, sic etiam dispositio translationis solemnitatis in dominicam; neque hoc indultum nova privilegia vult concedere aut obligationes imponere; sed tantum disponit, ut hæc quatuor festa, quæ propter abrogationem in propriis diebus a populo non amplius celebrarentur, cum solemnitate in dominicam transferrentur, in qua a populo debite colerentur : si autem festa antea non præcepta vi dispositionis hujus indulti, cum solemnitate in dominica hoc tempore celebranda forent, indultum his festis nova privilegia concederet, novamque obligationem adderet, festa scilicet de præcepto proponendo, qualia nec sunt, nec umquam fuerunt; quod dici non debet, nec potest. Ita ut indultum reductionis festorum non respiciat festa devotionis, seu non præcepta, quæ servare vel non cuique semper liberum fuit; et similiter dispositio translationis solemnitatis in dominicam spectet tantum ad festa de præcepto in populo.

8° Non intelligitur patronus regni aut provinciæ, ut s. Joseph in Belgio, qui licet sit celebrandus sub ritu dup. 1 cl. et etiam cum octava, si non obstaret tempus quadragesimale, et juxta constitutionem Urbani VIII 1642, quatenus patronus, sit de præcepto; in toto tamen territorio reipublicæ Gallicanæ colendus est sine translatione solemnitatis in dominicam; ejusque festum habendum est non ut translatum, sed ut abrogatum, etiam in locis, in quibus ante indultum pro reductione festorum adhuc erat de præcepto : quia in indulto, ubi disponitur solemnitatem patronorum esse transferendam in dominicam, non fit mentio patroni regni aut provinciæ, sed tantum diœcesis et paræciæ. Præterea festum patroni regni et provinciæ per citatum breve Clementis XIV 22 Junii 1771, in ditionibus Austriacis abrogatum fuit, cum ibidem statuatur præceptum festivitatis tantum designandum esse in festo patroni civitatis, oppidi vel pagi, et festa aliorum patronorum quoad obligationem præcepti in populo abrogentur.

An in locis, in quibus loci patronus non habetur, patronus

Digitized by Google

seu titularis ecclesiæ parochialis, vel etiam cujusque ecclesiæ parochialis in sua respectiva ecclesia, est celebrandus cum solemnitate in dominica?

R. Negative, quia, cum patronus seu titularis ecclesiæ parochialis non esset de præcepto ante indultum 9 Ap. 1802, ut clare patet ex constitutione Urbani VIII 1642, et brevi Clementis XIV 22 Junii 1771, nec jam habet solemnitatem in dominica. Neque hic dici potest, quemlibet locum, qui integram constituit communitatem, vel habere proprium patronum loci, vel ejus defectu patronum ecclesiæ tanquam talem celebrandum esse; nam quamvis quilibet locus convenienter patronum habeat, non tamen necessario, ita ut fieri possit, ut locus proprio et peculiari patrono careat; vel licet aliquis sanctus dicatur esse patronus, hic tamen non sit legitime constitutus, ita ut de eo nihil in missa et officio fieri possit et debeat. Id clare patet ex constitutione Urbani VIII 1642, quæ festivitatem patronorum præcipit « ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. » Præterea si in quolibet loco carente proprio patrono, aliquis ut talis celebrandus foret, non esset patronus ecclesiæ parochialis, sed patronus diœcesis ex rubricarum præscripto, ut supra dictum est. Neque hic obstare debet, quod in indulto dicatur patronus *cujuslibet paræciæ;* non enim attendendum est, quid termini abstractim et in se significent, sed quid indultum per terminos significare voluerit.

297. In quam dominicam solemnitas præfatorum quatuor festorum transferenda est?

R. 1. In dominicam proxime subsequentem, nisi ipsum festum occurrat in dominica, ut mox dicetur ad 2, aut dominica proxime subsequens vel festum in eadem occurrens impediat, ut infra dicetur ad 3, 4 et 5.

Si Dominica proxime subsequens sit impedita, transferenda est in alteram dominicam proxime sequentem; quæ si etiam sit impedita, adhuc in aliam, seu in primam similiter non impeditam (1). In nullo autem casu, sine speciali indulto,

(1) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3754.

Digitized by Google

solemnitas in dominicam antecedentem anticipari potest, quia obstant declaratio Cardinalis Legati et decreta citata.

R. 2. Si festum epiphaniæ, ss. Petri et Pauli, in dominica occurrat, in eadem solemnitas etiam fieri debet. In hoc casu Missa solemnis ss. Petri et Pauli in omnibus ecclesiis non more votivo, sed more festivo cum commemoratione dominicæ ejusque evangelio in fine missæ est celebranda (1). Si festum patroni in dominica occurrat, eadem datur regula, exceptis 1° dominicis prima adventus, prima quadragesimæ, passionis, ss. Trinitatis, in quibus cantari debet missa de Dominica, adjuncta illius primæ oratione, sub unica conclusione, occurrentis Festi Patroni commemoratione; 2° exceptis dominica palmarum aut Festo aliquo ex solemnioribus universalis Ecclesiæ; hisce enim diebus de patrono nihil fieri potest, nec transfertur solemnitas, sed tantummodo ejus officium (2).

R. 3. Si festivitas occurrat infra hebdomadam, solemnitas transferenda est in dominicam proxime sequentem, licet sit dominica 2 cl. aut in ea festum duplex 2 cl. occurrat, missam de solemnitate translata celebrando cum *Gloria* et *Credo*, et in colore solemnitati conveniente, excepta dominica quarta adventus, dum in eadem occurrit vigilia nativitatis Domini (3); aut si in ea occurreret vigilia nativitatis Domini, vel Festum circumcisionis, vel dies octava Epiphaniæ (4).

R. 4. Si dominica proxime subsequens, in quam solemnitas patroni transferenda est, sit 1 cl., quales sunt prima adventus, prima quadragesimæ, passionis, palmarum, paschæ, in albis, pentecostes et ss. Trinitatis, tunc missa solemnitatis transfertur ulterius, scilicet in proximiorem Dominicam sequentem non impeditum.

R. 5. Si in Dominica proxime subsequente festum duplex 1 cl. occurrat, tunc : 1° si sit secundarium, poterit cantari missa solemnitatis Festi, quia primarium est et prævalet (5).

(1) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3754.
(2) Ib.
(3) S. R. C. ib., 4 et 6 Martii 1896, n. 3890, 2.
(4) Ib.
(5) Ib.

Digitized by Google

2° Si sit etiam primarium et personæ dignioris tunc missa solemnitatis debet transferri ad sequentem dominicam; si autem sit primarium, sed personæ minus dignæ, prævalet missa solemnitatis (1). Si ambo festa sunt ejusdem qualitatis et dignitatis, tunc celebratur Festum occurrens, et solemnitas transfertur in proximiorem dominicam non impeditam (2).

R. 6. Si duæ solemnitates translatæ in unam eamdemque dominicam incidant, solemnitas celebranda est de digniori, et altera in sequentem dominicam transferenda, ne duplex solemnitas eadem die fiat (3). Ita præferenda est solemnitas nativitatis s. Joannis Baptistæ ubi est patronus, solemnitati ss. apostolorum Petri et Pauli, item solemnitas ss. Petri et Pauli solemnitati alterius patroni.

298. R. 7. Prædicta intelligenda sunt, seposito indulto speciali; nam : 1° in ecclesia metropolitana Mechliniensi, occurrentibus solemnitatibus ss. apostolorum Petri et Pauli et s. Rumoldi patroni, celebratur missa solemnis de s. Rumoldo cum commemoratione solemnitatis ss. apostolorum Petri et Pauli sub unica conclusione, quin altera missa solemnis de apostolis cantetur.

2° In aliis ecclesiis civitatis Mechl. in prædicto casu cantatur missa solemnis de ss. Apostolis cum commemoratione s. Rumoldi sub unica conclusione.

3° Si contingat ipsum festum s. Rumoldi occurrere in dominica, et proinde coincidere cum solemnitate ss. apostolorum Petri et Pauli; tunc missa solemnis tam in ecclesia metropolitana, quam in aliis ecclesiis civitatis Mechliniensis cantatur de festo s. Rumoldi, addita commemoratione solemnitatis ss. Apostolorum sub unica conclusione, et sub distincta conclusione fit commemoratio octavæ s. Joannis Baptistæ ac dominicæ occurrentis, de qua in fine missæ dicitur evangelium.

Circa quæ S. R. C. rescripsit : « Praxim servari posse in omnibus introductam » (4).

(1) S. R. C. ib., et 20 Junii 1899, n. 4040.
(2) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3754.
(3) S. R. C. ib. et 23 Maji 1846, n. 2914, 3.
(4) 1 Sept. 1838, n. 2784, 1.

Digitized by Google

4° Si festum s. Rumoldi in dominica occurrat, et proinde cum solemnitate ss. Petri et Pauli coincidat, tunc per totam diœcesim Mechliniensem, in qua s. Rumoldus nunc colitur ut patronus principalis, missa solemnis cantatur de festo s. Rumoldi, addita ut supra commemoratione ss. Apostolorum sub unica conclusione, et sub distincta conclusione faciendo commemorationem octavæ s. Joannis Baptistæ ac dominicæ occurrentis, de qua in fine missæ dicitur evangelium : sic tamen ut occurrente festo s. Rumoldi infra hebdomadam, non habeat solemnitatem in dominica subsequente, quia festum s. Rumoldi per totam diœcesim numquam fuit de præcepto in populo.

299. In quibus ecclesiis translatio præfatarum solemnitatum facienda est, seu missa votiva cantanda est?

R. 1° In ecclesiis cathedralibus, collegiatis et parochialibus.

2° In oratoriis publicis, dummodo ibidem missa de more in festis cantetur (1).

3° Verosimiliter in ecclesiis regularium et monialium, quia licet hæ ecclesiæ tempore indulti pro reductione festorum non existerent, depositio tamen translationis solemnitatis in dominicam omnes ecclesias comprehendit tam existentes quam futuras, sicut abrogatio festorum spectat ad omnes tam regulares quam sæculares : item ecclesiæ regularium non obscure comprehenduntur sub clausula declarationis Cardinalis Legati 21 Junii 1804 : « minime omissa in cathedralibus *aliisve ecclesiis*, in quibus officium publice agatur... altera missa conventuali de festo occurrente. » Præterea maxime dedeceret in ecclesiis regularium solemnitatem non peragere, quæ in illo loco solemnissime celebratur. Attamen S. R. C. declaravit quoad ecclesias regularium et monialium « ab unaquaque ecclesia suam servandam esse consuetudinem ».

4° In ecclesiis locorum quorum patroni deinde legitime eliguntur, quia dispositio translationis solemnitatis in dominicam generalis est, et proinde comprehendit non tantum patronos, qui ante indultum colebantur, sed etiam illos, qui

(1) S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 2974, 4.

Digitized by Google

deinde legitime constituuntur, prout S. R. C. (1) pro regno utriusque Siciliæ declaravit.

300. Quomodo missa votiva celebranda est?

R. 1° Cantanda est (2); 2° celebranda est ut in die festo cum *Gloria, Credo*, in colore festo conveniente; 3° unica tantum dicitur oratio, et in fine evangelium s. Joannis, ubi alia missa conventualis celebratur, quæ si non fiat, tunc commemoratio dominicæ sub distincta conclusione est facienda, et in fine dicitur evangelium dominicæ (3); 4° in solemnitate Corporis Christi sequentia dicitur uti in festo et per totam octavam. Si ipsum festum in dominica occurrat et celebretur, missa solemnis celebranda est ut omnes aliæ, cum commemoratione dominicæ ejusque evangelio in fine, nisi dominica vacet.

Not. 1. Obligationem cantandi duas missas afficere ecclesias cathedrales et collegiatas, non vero parochiales, licet adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum.

Not. 2. Excepta sola missa solemni votiva, totum officium recitandum et missas celebrandas esse de officio occurrente, et in colore, quem officium diei exigit, atque servato ritu duplici vel semiduplici, prout in directorio pro officio diei præscribitur; officium tamen, v. g. vesperas, cantari posse solemniter seu cum pompa exteriori devotionis gratia ratione solemnitatis translatæ (4).

301. Not. 3. Quamvis indultum pro reductione festorum solemnitates quatuor præfatorum festorum in dominicam transferat, et fideles a præcepto audiendi missam vacandique ab operibus servilibus in propriis diebus absolvat, illud tamen nihil aliud circa officium festivitatis in propriis diebus statuere. Ita Emus Dom. Engelbertus Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis (5) decrevit et districte præcepit, ut in festis

(1) 18 Oct. 1818, n. 2591.

(2) Declaratio Cardinalis Legati 21 Junii 1804, n. 3, et dec. S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2914, 2; 22 Jul. 1848, n. 2974, 4; 6 Sept. 1890, n. 3735, 1.

(3) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3754, 2.

(4) S. R. C. 18 Maji 1878, n. 3450.

(5) In congreg. archip. 1839.

Digitized by Google

abrogatis, et etiam translatis, missa solemnis et laudes vespertinæ cantentur, concio habeatur, missa pro populo applicetur, et reliqua fiant, prout in dominicis vel festis servatis. Ex altera tamen parte notandum est quod si hæc festa in suis propriis diebus a populo serventur ex devotione, ideo tamen non liceat missam solemnitatis in Dominica sequenti omittere. Etenim omnino standum est Indulto (1).

DE TABELLIS OCCURRENTIÆ ET CONCURRENTIÆ IN BREVIARIO POSITIS.

302. Quum rubricæ occurrentiæ seu commemorationis et translationis, atque concurrentiæ in vesperis longiores et difficiliores sint; ad majorem facilitatem duæ tabellæ ex rubricis generalibus excerptæ in breviario ponuntur, in quarum priori, si plura officia eadem die occurrant, mox videri potest, de quo celebrandum sit officium, et quod transferendum, de quo nihil fieri debeat, et de quo tantum commemoratio; in altera autem, de quo vesperæ integræ, vel a capitulo fieri debeant, de quo nihil, vel tantum commemoratio.

Pro usu utriusque tabellæ notari possunt sequentia : 1° festa et officia notata in linea recta et obliqua sunt festa et officia, quæ cum se invicem occurrere et concurrere possunt : datis ergo duobus officiis, quæ eadem die occurrunt, vel concurrunt in vesperis, quærantur primum illa officia in linea recta et obliqua, et deinde numerus positus in illo quadrangulo, qui utrique officio correspondet; tum legatur regula, ad dictum numerum descripta, quæ ponitur ad latus tabellæ, et ex ea clare videbitur, quid sit agendum. 2° Bene notandum est, quod in tabella occurrentiæ perinde sit, quodnam officium in superiori linea recta, et quodnam in inferiori obliqua quæratur; in tabella vero concurrentiæ officium diei præcedentis semper quærendum sit in linea recta superiori et illud diei

(1) S. R. C. 6 Martii 1896, n. 3890, 4.

Digitized by Google

subsequentis in obliqua inferiori. 3° Quod dicitur in tabella occurrentiæ de primo, intelligitur de officio in linea recta superiori notato; et quod dicitur de secundo, intelligitur de officio in linea obliqua notato. 4° In aliquibus quadrangulis non apponitur numerus, sed O, vel quia nullus occursus aut concursus esse potest, vel quia in propriis locis breviarii notatur, quid sit agendum, vel quia casus ex rubricis generalibus est determinandus, ut in concursu patroni seu tituli cum duplici 1 cl. 5° Hæ tabellæ non ita universales sunt, ut omnes casus comprehendant : quapropter bene notandæ sunt exceptiones, quæ utrique tabellæ subjiciuntur, pro quibus ipsæ tabellæ usui esse nequeunt.

Titulus XI.

DE CONCURRENTIA OFFICII.

Rub. 1. *Concurrentia Officii attendenda est semper in secundis Vesperis, quomodo sit ordinandum Officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur Officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de præcedenti in secundis Vesperis cum sequenti in primis Vesperis.*

2. *Duplici ergo in secundis Vesperis concurrente cum alio sequenti Duplici in primis, si utraque sint ejusdem solemnitatis, regulariter a Capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, nisi aliter in propriis locis annotetur. Si vero non sint ejusdem solemnitatis, servetur differentia in Rubrica de Commemorationibus, et Translatione Festorum assignata: ut scilicet Festa majora habeant primas et secundas Vesperas integras, cum commemoratione minorum, quando de eis fieri debet. Si autem post aliquod Festum ex iis, quæ in secundo ordine posita sunt in Rubrica de Commemorationibus, sequatur immediate aliud ex solemnibus majoribus, Vesperæ erunt de sequenti cum commemoratione præcedentis. Inter*

Digitized by Google

Festa æqualis solemnitatis servetur hic ordo, ut Festa Domini præferantur omnibus aliis, et habeant utrasque Vesperas integras; sicuti Festa beatæ Mariæ, Festis sanctorum : item Festa Angelorum sancti Joseph sponsi beatæ Mariæ Virginis, et Apostolorum, cæteris aliis; et Festa illorum Sanctorum, qui in propriis locis vel Ecclesiis solemniter celebrantur, aliis in Kalendario descriptis.

3. *Duplici vero concurrente cum Festo Semiduplici, cum Dominica, cum die infra Octavam, cum Festo Simplici, et cum Officio beatæ Mariæ in Sabbato, omnia in secundis Vesperis de Duplici cum commemoratione illorum; nisi illud Duplex fuerit de iis, quæ excipiuntur in Rubrica de Commemorationibus, in quibus aliquæ commemorationes omittuntur. Duplici etiam, et quocumque Officio novem Lectionum concurrente cum Feria vel potius sequente Feria, omnia de Duplici, et nihil de Feria sequenti. Sed si Festum celebretur in Adventu et Quadragesima, fit semper commemoratio de Feria, ut infra dicetur. Idem dicendum de Festis Simplicibus venientibus cum sequenti Festo novem Lectionum, de quibus etiam commemoratio fit, non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt, ut dictum est in Rubrica de Commemorationibus.*

4. *Semiduplici Festo, Dominica et die infra Octavam concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum commemoratione illorum, nisi Duplex fuerit ex numero majorum, quæ supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit commemoratio præcedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio semiduplici, vel cum Dominica, a Capitulo fit de sequenti, et commemoratio præcedentis, nisi aliter signetur. Eodem vero semiduplici concurrente cum sequenti die infra Octavam, Vesperæ erunt de illo, cum Commemoratione Octavæ. Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo Simplici, vel cum Officio beatæ Mariæ in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum commemoratione sequentis.*

5. *Dominica concurrente cum sequenti Festo semiduplici, et cum die infra Octavam, vel cum Festo Simplici, omnia de Dominica cum commemoratione sequentis.*

Digitized by Google

6. *Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ. Die vero infra Octavam concurrente cum sequenti semiduplici, Vesperæ erunt de sequenti, cum Commemoratione Octavæ. Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici, nisi commemoratio, quæ et eadem ratione in præcedenti die infra Octavam fieri debet.*

7. *Die Octava concurrente cum alia die Octava, ceteris paribus, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione præcedentis, excepta Octava Corporis Christi concurrente cum Octava sancti Joannis Baptistæ, in qua de sequenti fit commemoratio, etiam occurrente Festo duplici primæ classis Sacratissimi Cordis Jesu, et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, ceteris paribus, a Capitulo fit de sequenti, cum commemoratione Octavæ (exceptis diebus Octavis Festorum primariorum beatæ Mariæ Virginis, etiam particularibus alicujus Religionis, sanctorum Angelorum, sancti Joannis Baptistæ, sancti Joseph Sponsi beatæ Mariæ Virginis et sanctorum apostolorum, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ, excepta die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, aliisque festis primariis Domini, in quibus de sequenti fit tantum commemoratio. Si autem sequens Festum etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus, in secundo ordine numero 6, totum Officium fit de sequenti cum commemoratione Octavæ. Ceteris vero non paribus, quando dies Octava cum alia die Octava concurrit, Vesperæ integræ fiunt de illa, quæ est Festi potioris ritus, aut primarii, aut dignioris ratione personæ, cum commemoratione alterius. Concurrente autem cum Festo duplici, Vesperæ erunt, vel de die octava, vel de Duplici cum commemoratione alterius, prouti de Octavis inter se concurrentibus dictum est; exceptis Octavis Festorum Domini et B. Mariæ Virginis, ut supra.*

Digitized by Google

8. *Simplex cum alio non potest concurrere in secundis Vesperis (licet cum ipso possit esse concursus in primis Vesperis), quia non habet secundas Vesperas, sed ejus Officium terminatur ad Nonam, et deinceps nihil fit de eo, nec commemoratio. Si sequatur aliud Simplex, Psalmi erunt de Feria occurrente in Psalterio ad Vesperas, et a Capitulo fit de sequenti Simplici sine ulla commemoratione præcedentis. Si sequatur Officium novem Lectionum, Vesperæ totæ erunt de eo sine ulla similiter commemoratione Simplicis præcedentis. Si nullum Festum sequatur, subintrat Officium de Tempore, et Vesperæ totæ erunt de Feria.*

9. *Feria non potest concurrere cum alio Officio in secundis Vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis Vesperis; quia ejus Officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud Officium. Quamvis proprie (si ei dandum est principium) sequente Feria post aliam Feriam, ejus Officium incipiat a Matutino, et terminetur sequente alia Feria ad Completorium; et ideo si Feria sequatur aliam Feriam, in Vesperis præcedentis Feriæ nihil fit de sequenti, quoad ea quæ in sequenti Feria sunt propria. Verbi gratia, si in Vesperis Feriæ tertiæ ante Feriam quartam Cinerum fiat de Feria, dicitur oratio Dominicæ præcedentis, non autem ea quæ est propria in sequenti Feria quarta Cinerum; nec ante Orationem dicuntur Preces, quæ dicendæ sunt in dicta Feria quarta Cinerum. Quod etiam fit quando Feria per annum præcedit Feriam Quatuor Temporum, vel Vigiliarum. Hac etiam ratione superius dictum est in concurrentia aliorum Officiorum, cum Feria nullum Officium concurrere, et nihil fieri de Feria præcedenti, adveniente alio Officio. Si autem de ea aliquando fieri debeat commemoratio in Vesperis, non fit ratione concursus, sed quia eo die, quo Officium Feriarum Adventus et Quadragesimæ impeditur, illarum commemoratio ratione temporis ex præcepto Ecclesiæ prætermitti non debet.*

10. *Cum vero occurrit, ut Festum simplex veniat in Feria quarta et sexta Quatuor Temporum, in Feria quarta Cinerum, et in Vigiliis quæ jejunantur, Vesperæ antecedentes (nisi ea die celebratum sit Festum novem Lectionum) erunt de Feria*

Digitized by Google

communi per annum, non autem de sequenti, ut dictum est, cum commemoratione Festi simplicis in sequenti Feria occurrentis. Quod ideo non fit, quia sequens Feria habeat primas Vesperas; sed quia cum Festum simplex in sequenti die non habeat Officium propter Feriam prædictam in eo occurrentem, nec etiam convenit illud habere primas Vesperas in præcedenti die. Et eadem ratione, si Festum simplex occurrat Feria quinta in Cœna Domini, in qua de eo non debet fieri commemoratio, nulla etiam fiet commemoratio in Vesperis Feriæ quartæ præcedentis.

---

303. Concurrentia habetur, quando unum officium die præcedente, et alterum die sequente celebratur, quorum tamen utrumque vesperas intermedias exigit, et jus ad illas habet. Concurrentia igitur vesperas tantum respicit, et solummodo datur inter officia, quæ jus ad vesperas habent. Ejus effectus est, ut vesperæ vel integræ fiant de alterutro concurrentium, vel inter utrumque dimidientur, ita ut psalmi dicantur de præcedente, et a capitulo cum reliquis fiat de sequente.

Notari potest, Ecclesiam ab exemplo Judæorum, qui ex præcepto legis sua festa celebrabant a vespera usque ad vesperam (1), officia festiva celebrare cum primis et secundis vesperis. Hinc etiam festum magis vel minus solemne dicitur, quo plus minusve habet de vesperis, et præsertim de primis vesperis, quæ sunt nobiliores, et olim etiam cum majori solemnitate et frequentiori populi concursu celebratæ fuerunt (2), atque hoc tempore plura adhuc privilegia habent, quam secundæ vesperæ : plures enim commemorationes admittuntur in secundis, quam in primis vesperis.

304. Quæ officia cum aliis concurrentiam habent?

R. 1. Festa seu officia duplicia et semiduplicia, dies octava, ac dominica in utrisque vesperis.

(1) Lev. 23, 32.
(2) Grancolas Comm. hist. lib. 1, c. 38.

Digitized by Google

2. Dies infra octavam in secundis vesperis, sed non in primis, quas non habet. Festo semiduplici concurrente cum die infra octavam, fit de semiduplici, cum commemoratione de die infra octavam, ut in secundis vesperis festi. Si hac et sequenti die officium fiat de die infra octavam, vesperæ integræ fiunt de præsenti officio et nihil de sequenti, cujus officium tantum a matutino incipit.

3. Festum simplex non habet concurrentiam in secundis, sed tantum in primis vesperis.

4. Feria proprie concurrentiam non habet, quia ejus officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit quodcumque aliud officium. Si feria sequatur aliam feriam, ita ut feria totum officium habeat, officium feriæ sequentis tantum incipit a matutino, ita ut in vesperis feriæ præcedentis nihil fiat de sequenti. Præterea de feriis quatuor temporum mensis Septembris, de feria secunda rogationum, et de vigiliis nihil fit in primis, neque in secundis vesperis, sed tantum in laudibus, dum de festo fit officium; et si de feria fiat officium, vesperæ dicuntur de feria per annum. De feriis adventus et quadragesimæ quidem fit commemoratio in vesperis, non autem ratione concurrentiæ sed occurrentiæ.

REGULÆ GENERALES CONCURRENTIÆ.

305. In æqualitate solemnitatis vesperæ integræ fiunt de illo quod est festi potioris ritus, aut primarii, aut dignioris ratione personæ, cum commemoratione alterius, si de eo fieri debet. Unde sequentes sint regulæ :

Regula 1ª. In inæqualitate solemnitatis vesperæ integræ fieri debent de solemniori cum commemoratione minoris quando de eo fieri debet, juxta dicta de commemorationibus. Festa itaque solemniora duplicia 1 classis ecclesiæ universalis prælationem habent in concurrentia præ festis localibus ritus duplicis primæ classis, perinde ac hæc festa prælatione gaudent præ aliis duplicibus primæ classis.

Digitized by Google

Regula 2ª. Festa primaria aliis secundariis præferenda sunt tam in occursu quam in concursu (1); quæ distinctio inter festa primaria et secundaria non respicit solum duplicia majora; sed etiam duplicia minora et semiduplicia, tam in occursu quam in concursu et repositione (2).

Regula 3ª. Quod si utrumque festum sit ejusdem ritus, et æque primarium vel secundarium, prævalent vesperæ festi dignioris. Festa digniora sunt:

1° Festa Domini, id est, ss. Trinitatis, Christi Domini, S. Crucis, quæ concurrentia cum quibuscumque aliis festis ejusdem ritus et solemnitatis, utrasque vesperas integras habent. Item dominica, quæ est dies Domini, concurrens cum festo semiduplici et die infra octavam, secundas vesperas integras habet, sed primas tantum a capitulo, quia ejus officium a capitulo proprie tantum incipit.

2° Festa B. M. V. quæ concurrentia cum quibusvis festis angelorum et sanctorum ejusdem ritus et solemnitatis integras vesperas habent (3).

3° Festa ss. angelorum, quæ in concursu festorum sanctorum ejusdem ritus et solemnitatis integras vesperas habent, sive festa sint ss. angelorum custodum, sive tantum s. Michaelis, Gabrielis aut Raphaelis, sive celebrentur sub ritu duplici minori aut majori sive sub altiori ritu (4).

4° Festa s. Joannis Baptistæ et s. Joseph sponsi B. M. V. quæ in concursu festorum apostolorum et aliorum sanctorum ejusdem ritus integras vesperas habent (5).

5° Festa ss. apostolorum et evangelistarum integras vesperas habent in concursu aliorum sanctorum ejusdem ritus et solemnitatis (6). Festa autem apostolorum et evangelistarum inter se paria reputantur, ut n. 273 dictum est, adeoque in concurrentia vesperas dividunt.

(1) S. R. C. 27 Jun. 1893, n. 3808.
(2) S. R. C. 14 Aug. 1894, n. 3837.
(3) Rub. hoc tit. XI, n. 2; S. R. C. 2 Julii 1893, n. 3807.
(4) Rub. hoc tit. XI, n. 2.
(5) Rub. hoc tit. XI, n. 2; Merati sect. 3, c. 9, n. 3.
(6) Rub. hoc tit. XI, n. 2; S. R. C. 11 Jul. 1857, n. 3056, 1; 2 Jul. 1893, n. 3807.

Digitized by Google

Hæc præferentia dignitatis etiam attenditur in diebus octavis festorum Domini : et similiter dies octavæ festivitatum B. M. V. etiam particularium alicujus religionis, concurrentes cum duplici minori, integras vesperas habent; sed concurrentes cum duplici majori, habent tantum commemorationem in vesperis, quæ integræ fiunt de duplici majori. Addendum hic est, præfatas octavas festorum Domini et B. M. V. integras etiam vesperas habere in concursu cujuslibet alterius diei octavæ, quia dies octava non est magis privilegiata, quam festum duplex, in cujus concursu prædictæ octavæ integras vesperas habent.

Hæc tamen præferentia dignitatis non extenditur ad diem octavam, ss. angelorum, Joannis Baptistæ, Joseph, apostolorum et evangelistarum, aut patronorum, ita ut in concurrentia cum duplici minori vel cum alia die octava, vesperæ sint dimidiandæ. Excipitur dies octava s. Joannis, quæ in concurrentia diei octavæ ss. Innocentium integras vesperas habet, ex particulari rubrica posita in ejus die octava.

Inter reliquos sanctos post apostolos et evangelistas nullus ordo dignitatis attenditur, eorumque festa in paritate ritus æqualia reputantur (1). Unde

Regula 4ª. In paritate ritus et dignitatis seu solemnitatis regulariter a capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis. Hoc certum est, si utrumque officium sit semiduplex vel duplex minus; et etiam certum videtur, si utrumque sit duplex majus, vel etiam 2 et I cl. (2). Dicitur *regulariter*, quia in propriis locis quandoque aliter disponitur, ut in tribus festis post nativitatem Domini et in die octava s. Joannis apostoli. Cfr. n. 302.

Regula 5ª. Officio votivo concurrente cum Festo secundario ejusdem ritus, Vesperæ integræ esse debent de festo cum commemoratione officii votivi (3). Officiis vero votivis inter se concurrentibus, Vesperæ semper dividi debent, nec considerandа est ratio dignitatis (4).

(1) S. R. C. 20 Jul. 1686, n. 1774; 19 Dec. 1829, n. 2672, 4.
(2) Rub. gen. hoc tit. XI, n. 2; Cuppinus de vesp. solemnibus n. 23.
(3) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, 2.
(4) S. R. C. 22 Maji 1896, n. 3908, 1.

Digitized by Google

Notandum in fine quæ in occurrentia dicta fuerunt de præcedentia cæteris paribus festi fixi præ mobili et festi magis proprii præ minus proprio, non extendenda esse ad concurrentiam, ideoque hujusmodi festa non eadem præcedentia gaudere in concurrentia (1).

306. Quomodo ordinandæ sunt vesperæ, si dies octava in dominica privilegiata occurrat?

R. Si officium in sabbato de eadem octava fiat, vesperæ recitandæ sunt cum psalmis sabbati, et a capitulo de dominica privilegiata cum commemoratione diei octavæ ut in primis vesperis festi, omissis tamen suffragiis communibus in vesperis et laudibus, atque precibus ad completorium et primam propter octavam (2). Ratio est, quia officium diei septimæ infra octavam finitur post nonam, et dies octava, quæ sequente die non habet officium, nec primas potest habere vesperas. Vid. n. 263, ubi habetur, quomodo in casu orationes ordinandæ sint, item vesperæ, si duplex aut semiduplex in subbato occurrat. Aliud est, si dies infra octavam in dominica privilegiata occurrat : tunc enim si in sabbato fiat de octava, vesperæ dicuntur de octava, et a capitulo de dominica cum commemoratione octavæ.

307. Quomodo vesperæ ordinandæ sunt, dum duo officia B. M. V. vel alia de eodem objecto simul concurrunt?

Si utrumque officium sit de B. M. V., vesperæ integræ fieri debent de alterutro sine commemoratione alterius (3), uti S. R. C. decrevit de festo s. nominis B. M. V. infra octavam nativitatis (4), de festo annuntiationis concurrente cum officio septem dolorum (5), de festis patrocinii B. M. V. et expectationis partus (6); si ritus sit diversus, vesperæ fiunt de illo, quod est majoris ritus; si sint ejusdem ritus et solemnitatis, integræ sunt de præcedente, de quo factum est

(1) S. R. C. 6 Maji 1899, n. 4021.
(2) Gavantus sect. 3, c. 8, n. 13.
(3) Rub. brev. tit. VIII, n. 3.
(4) 23 Sept. 1684, n. 1739.
(5) 2 Sept. 1741, n. 2565, 5.
(6) 27 Mart. 1779, n. 2514, 2.

Digitized by Google

officium, et nihil de sequente (1). Idem S. R. C. declaravit de octava Corporis Christi et festo ss. Cordis sub ritu dup. 1 cl., scilicet vesperas integras esse recitandas de die octava sine commemoratione ss. Cordis (2); item si in die octava occurrat duplex 1 cl., in vesperis tantum fieri commemorationem diei octavæ, et non sequentis festi ss. Cordis (3). In Vesperis Festorum Dominicæ Passionis infra quadragesimam occurrentium, nempe spineæ Coronæ, Lanceæ et Clavorum etc., non fit commemoratio Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, si de eo recitatum sit officium votivum ferea præcedenti (4). Ratio est, quia duplex commemoratio, vel officium simul et commemoratio de eodem objecto ex rubricarum præscripto fieri nequit : quæ ratio cum afficiat non tantum officia citata, sed omnia alia ejusdem rationis, idem de illis in concursu dicendum est, ut de festo s. Francisci et impressione stigmatum (5).

Si autem concursus locum habeat inter festum et octavam ejusdem sancti, Vesperæ erunt de festo, cum solemnius esse soleat, et nil de octava (6).

Quando dedicatio propriæ ecclesiæ occurrit vel concurrit cum festo titulari ipsius ecclesiæ, et festum titulare est transfiguratio Domini vel ss. Redemptor, quum enuntiatus titulus sit festum Domini, in occursu festum titulare præferendum est dedicationi; in concursu autem Vesperæ dividuntur (7).

Occurrente die octava alicujus festi B. M. V. cum altero festo mobili ejusdem B. M. V. ritus duplicis majoris, agi debet de die octava translato festo mobili occurrente (8).

308. Quænam regulæ servandæ sunt quum octavæ inter se vel cum festis concurrunt?

(1) S. R. C. 27 Mart. 1779, n. cit.
(2) S. R. C. 27 Jun. 1896, n. 3919, 11.
(3) 27 Mart. 1824, n. 2632, 2.
(4) S. R. C. 18 Julii 1884, n. 3612, II.
(5) Vid. Cavalieri tom. 2, cap. 32, dec. 1
(6) S. R. C. 25 Sept. 1684, n. 1739; 2 Sept. 1741, n. 2365, 5; 27 Mart. 1779, n. 2514, 2.
(7) S. R. C. 4 Mart. 1901, Utinen., II.
(8) S. R. C. 20 Aug. 1901, Utinen., II.

Digitized by Google

Prænotato quod dies infra octavam quamcumque tanquam secundarii habendi sint, cedantque cuicumque duplici occurrenti; prænotato insuper quod dies octava sit primaria vel secundaria, prout festum ad quod illa pertinet, sit primarium vel secundarium (1), respondetur :

I. Die infra octavam non privilegiatam concurrente cum festo semiduplici, sive primario sive secundario, Vesperæ integræ erunt de festo, cum commemoratione diei infra octavam. Concurrente vero die infra octavam vel altero festo semiduplici cum Dominica, dimidiantur Vesperæ; Dominica autem concurrente cum sequenti die infra octavam, vel alio semiduplici, Vesperæ sunt integræ de dominica, cum commemoratione sequentis.

II. *a*) Dies octava si concurrit cum alia die octava, ceteris paribus, a capitulo fit de sequenti cum commemoratione præcedentis, excepta octava Corporis Christi, concurrente cum octava S. Joannis Baptistæ, in qua de sequenti fit commemoratio, etiam occurrente festo duplici primæ classis ss. Cordis Jesu, et quando aliter in propriis locis notatur.

b) Dies octava si concurrit cum alio festo duplici minori, etiam translato, ceteris paribus, a capitulo fit de sequenti cum commemoratione alterius, exceptis sequentibus octavis : 1° In primis Vesperis diei octavæ ascensionis et Corporis Christi, aliorumque festorum primariorum Domini, totum officium fit de octava cum commemoratione præcedentis festi duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, aut primæ vel secundæ classis; quia tunc de festo fierent Vesperæ et commemoratio de octava. 2° In secundis Vesperis diei octavæ festorum Domini, si primaria fuerint et solemniora, de sequenti duplici, si concurrat, fit tantum commemoratio, nisi hoc fuerit primæ vel secundæ classis; quia tunc de eo fieret officium et de octava commemoratio. Die octava Corporis Christi in 2 vesperis nulla fit commemoratio sequentis, nisi concurrat cum die octava s. Joannis Baptistæ : proinde

(1) S. R. C. 21 Febr. 1896, n. 3886.

Digitized by Google

nihil fit de ss. Corde Jesu, nequidem in ecclesia, ubi festum istud est titulus et ideo primarium per accidens (1).

Ubi autem festum ss. Trinitatis cum octava recolitur, ejus octava in utrisque Vesperis præfertur duplici majori (2). In concursu diei octavæ dedicationis propriæ ecclesiæ cum festis Transfigurationis Domini vel dedicationis Basilicarum ss. Salvatoris et ss. Apostolorum Petri et Pauli, octava dedicationis ecclesiæ propriæ non cedit juxta Rubricas, nisi duplici 2 classis (3). Hic tamen animadvertatur anniversarium dedicationis omnium ecclesiarum esse festum secundarium pro illis ecclesiis quæ consecratæ non sunt (4).

c) Si dies octava alicujus Festi habentis octavam incidat in aliam octavam quæ ita sit privilegiata, ut sola duplicia classica admittat, illa celebrari non potest per integrum officium, sed per solam commemorationem (5).

3° Diebus octavis festorum primariorum B. Mariæ V., etiam particularium alicujus religionis, Angelorum, s. Joannis Baptistæ, s. Joseph et Sanctorum Apostolorum, de præcedenti vel sequenti duplici minori fit tantum commemoratio (6). Festum primarium duplex minus concurrens cum 1 Vesperis diei octavæ apostolorum Petri et Pauli, Vesperæ erunt de sequenti cum commemoratione præcedentis; in concursu vero duplicis minoris primarii cum die octava omnium sanctorum, Vesperæ dimidiantur (7). Quoad integritatem Vesperarum diei octavæ festi primarii s. Joannis Apost. et Evang. in concursu cum die octava s. Stephani protomartyris, S. R. C. interrogata respondit servandam esse in casu rubricam specialem Breviarii romani, i. e. Vesperas esse a capitulo de sequenti (8).

In primis Vesperis festi duplicis 1ae classis commemoratio

(1) S. R. C. 27 Jun. 1896, n. 3919, 11.
(2) S. R. C. 13 Sept. 1704, n. 2145.
(3) S. R. C. 24 Maji 1901, Dubiorum, 1, 2, 7.
(4) S. R. C. 24 Maji 1901, Dubiorum, 1 et 2.
(5) Ib. 4.
(6) S. R. C. 22 Maji 1896, n. 3908, 2.
(7) S. R. C. 27 Jun. 1896, n. 3919, 10.
(8) S. R. C. 13 Jan. 1899, n. 4006, 1.

Digitized by Google

diei octavæ dedicationis propriæ ecclesiæ, cujus officium mane persolutum fuit, facienda est (1).

III. Ceteris non paribus, fiant omnia juxta rubr. gen. tit. XI, n. 7, ex qua sequentia inferuntur : 1° Dies octava festi secundarii, sive sanctorum, sive B. Mariæ V., sive Domini, concurrens cum duplici primario quocumque, sive minori sive majori, sola gaudet commemoratione. 2° Die octava festi secundarii concurrente cum duplici minori pariter secundario, in paritate dignitatis dividuntur Vesperæ; in disparitate dignitatis prævalet concurrens dignius. 3° Diebus octavis festorum secundariorum inter se concurrentibus, in disparitate classis, prævalet dies octava festi superioris classis; in paritate ejusdem classis, Vesperæ dividuntur, nisi addit disparitas dignitatis, quo in casu concurrens dignius prævalet et integris gaudet Vesperis cum commemoratione alterius.

Titulus XII.

309. DE ORDINANDO OFFICIO EX PRÆDICTIS RUBRICIS.

Rub. *Si quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei, videat in Kalendario et in tabula Festorum mobilium, de quo fiat Officium sequenti die, et ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis et aliis Horis nocturnis et diurnis.*

2. *Si ordinandum sit Officium de Tempore, id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinate ponitur quod est commune Officii de Tempore, cum distributione Psalmorum, et ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones et Responsoria, quædam Antiphonæ et Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium,*

(1) S. R. C. 24 Maji 1901, Dubiorum, IX.

Digitized by Google

Hymni, Capitula, Versus, Responsoria brevia et Antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in Proprio, dicuntur loco eorum quæ sunt in Psalterio : cum vero propria non fuerint, dicuntur ut in Psalterio.

3. *Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum (nisi proprium habeat in Proprio Sanctorum) : ubi pro qualitate Festi, si novem Lectionum, id est, duplex, vel semiduplex fuerit, omnia ordinate ponuntur, illis exceptis, quæ propria suis locis habentur. Si festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriæ et Lectionibus exceptis) omnia sumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, et prima et secunda Lectio, vel prima tantum in Festis trium Lectionum, sumuntur de Scriptura in Officio de Tempore, nisi aliæ in propriis locis ponantur.*

4. *In majoribus Solemnitatibus et Festis per annum, totum Officium ordinatur ut in propriis locis ponitur.*

5. *In Festis Beatæ Mariæ (exceptis iis quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, et alia quædam requirenda sunt ex communi ejus Officio, circa finem Breviarii, quod inscribitur : in Festis beatæ Mariæ Virginis per annum.*

6. *Modus inchoandi Officium, dicendi Invitatorium, Hymnos, Antiphonas et Versus, habetur in principio Psalterii. Cum vero Antiphonæ duplicandæ sunt, dicuntur integræ ante Psalmos, sicut in fine Psalmorum.*

7. *Modus dicendi Absolutiones et Benedictiones ante Lectiones, legendi et terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, ac Responsoria brevia post Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.*

8. *Quomodo sit inchoandum et terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio : quomodo terminandum per Antiphonas beatæ Mariæ, habetur in fine Completorii.*

9. *Sed ut hæc omnia facilius habeantur, positæ sunt sequentes Rubricæ de singulis Horis, earumque partibus distincte cognoscendis.*

Digitized by Google

Juxta has rubricas et decretum S. R. C. (1), « quando in officiis adsunt hymni proprii et particulares, responsoria, antiphonæ etc., propria omnia dicenda sunt, et ex præcepto » nisi propria et approbata non habeantur, nec facile haberi possint. Vid. num. 232 et 233.

Quandocumque dies aliqua privilegiata occurrit, vel particularis aliqua dispositio in proprio sanctorum aut de tempore reperitur, cessant generales rubricarum regulæ.

Titulus XIII.

310. DE MATUTINO.

Rub. 1. *Ad Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundum diversitatem Officii, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur :* Pater noster, Ave Maria, Credo, *omnia secreto : deinde clara voce Hebdomadarius dicit,* Domine labia mea, *etc., pollice signando sibi os signo Crucis,* Deus in adjutorium, *etc., manu extensa signando se signo Crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dexterum (quod servatur in principio omnium Horarum, cum dicitur,* Deus in adjutorium) *cum* Gloria Patri *et aliis, ut in principio Psalterii. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore, vel de sancto, quod dicitur cum Psalmo* Venite exultemus, *eo modo quo in principio Psalterii describitur. Dicto Psalmo et repetito Invitatorio, dicitur Hymnus, qui Officio de Tempore, vel de Sancto, convenit.*

2. *Postea in Duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Psalmi (sed in Dominicis plures, ut in Psalterio) cum suis Antiphonis et Versibus, quæ Tempori vel Festo conveniunt, et totidem Lectiones cum octo Responsoriis, aliquando cum novem, ut suis locis ponitur, per tres Nocturnos distinctos, hoc modo.*

(1) 23 Jun. 1736, n. 2319, reliqua du' la, 19.

Digitized by Google

3. *In primo Nocturno dicuntur tres Psalmi cum tribus Antiphonis, post singulos Psalmos una Antiphona : sed tempore Paschali, id est, a Dominica in Albis usque ad Pentecosten (præterquam in Officio Ascensionis Domini) tres Psalmi cujusque Nocturni dicuntur sub una Antiphona : et in fine Psalmorum post ultimam Antiphonam cujusque Nocturni dicitur Versus; postea* Pater noster. Et ne nos, *Absolutio* Exaudi, *Benedictio* Benedictione perpetua, *et aliæ ad singulas Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ordinantur. Deinde leguntur tres Lectiones de Scriptura, quæ per ordinem in Officio de Tempore occurrunt (nisi aliæ assignentur), et ad singulas Lectiones dicitur unum Responsorium conveniens Officio : si de Tempore, ut in Proprio Temporis : si de Sancto, ut in Proprio Sanctorum; alioquin ut in Communi, etiam si Lectiones primi Nocturni sint de scriptura Officii de Tempore.*

4. *In fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni dicitur* Gloria Patri, *cum repetitione partis Responsorii, eo modo quo notatur in tertio Responsorio primæ Dominicæ de Adventu, nisi aliter in propriis locis signetur.*

5. *In secundo Nocturno dicuntur alii tres Psalmi, Antiphonæ, Versus* Pater noster, *Absolutio* Ipsius pietas, *et ei consequentes Benedictiones, ut in dicta Dominica prima de Adventu : tres Lectiones de aliquo Sermone, aut de vita illius Sancti, de quo fit Officium, et ad quamlibet Lectionem unum Responsorium.*

6. *In tertio nocturno alii tres Psalmi cum Antiphonis, ut supra : post tertiam Antiphonam, Versus,* Pater noster, *Absolutio* A vinculis, *et Benedictiones consequentes ad singulas Lectiones, quæ erunt de Homilia Evangelii de Tempore, vel de Festo, secundum qualitatem Officii, ut in eadem prima Dominica de Adventu ponuntur. Post septimam et octavam Lectionem dicitur Responsorium Officio conveniens, id est, post quamlibet unum : aliquando autem dicitur etiam post nonam Lectionem, ut suis locis notatur : in fine ultimi Responsorii, aut octavi, aut noni dicitur* Gloria Patri, *ut supra nisi aliter signetur. Si non dicitur nonum Responsorium, post ultimam Lectionem dicitur Hymnus* Te Deum.

Digitized by Google

7. *In Officio trium Lectionum ad Matutinum* Pater noster, Ave Maria, Credo, Domine labia, *etc., Invitatorium et Hymnus in feriali Officio de Feria, si non sint in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio : in Festis de Festo, ut in Communi Sanctorum : deinde Nocturnum Feriæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmi cum sex Antiphonis, et tempore Paschali cum una Antiphona* Alleluja : *qui dicuntur tam in Officio feriali, quam in Festis simplicibus.*

8. *Post Psalmos et Antiphonas dicitur Versus, in feriali Officio, ut in Psalterio : in Festis, ut in Communi Sanctorum : qui in Festis sumitur secundum Ferias ex Nocturno Communis, unde sumuntur Responsoria, ut dicetur infra in Rubricis de Versibus et Responsoriis. Post Versum dicitur* Pater noster, *Absolutio et Benedictiones, ut habetur infra in Rubrica de Absolutionibus et Benedictionibus. Tres Lectiones (si non adsit Homilia) singulæ in Officio feriali dicuntur de Scriptura, quæ eo die occurrit in Proprio de Tempore : si adsit Homilia, singulæ tres de Homilia. In Festis, prima et secunda de eadem Scriptura, tertia de Sancto. Si fuerint duæ Lectiones de Sancto, prima tantum erit de Scriptura, reliquæ de Sancto.*

9. *Post singulas Lectiones in Feriis extra tempus Paschale dicitur unum Responsorium, ita ut dicantur tria Responsoria; tempore vero Paschali, et in Festis, duo tantum Responsoria dicuntur, scilicet post primam et secundam Lectionem tantum. In fine ultimi Responsorii, secundi scilicet, aut tertii, dicitur* Gloria Patri, *cum repetitione partis Responsorii, nisi aliud notetur. Quæ Responsoria in Officio de Sanctis sumuntur ex Communi Sanctorum; in feriali Officio ex Dominicis, quando propria per Ferias non distribuuntur, ordine descripto in Rubrica de Responsoriis. Quando non dicitur tertium Responsorium, post tertiam Lectionem, dicitur Hymnus* Te Deum.

---

311. Nocturnum officium ita dictum fuit, quia de nocte recitabatur; solet autem plerumque matutinum vocari, quia

Digitized by Google

laudibus, quæ mane recitantur, conjunctum est, et hodiedum matutino tempore etiam recitari solet. Matutinum distinguitur in tria nocturna ad ratam primarum trium noctis vigiliarum, quibus veteres ad officium surgebant.

312. Quando matutinum a laudibus separatur, post *Te Deum* vel post ultimum responsorium additur oratio officii propria ex laudibus, sed sine aliis commemorationibus, deinde *Dominus vobiscum*, *Benedicamus* et *Fidelium*. Hæc dispositio, fundata in speciali Rubrica officii Nativitatis Domini, jam a pluribus liturgicis auctoribus antea admissa (1), indubia nunc est post decretum S. R. C. in Marianopolitana, 18 Maji 1883, cujus tenor est : « Dubium II. Si contingat in recitatione privata separari matutinum a laudibus, quæritur quomodo concludendum sit matutinum, præsertim in feriis majoribus, in quibus preces flexis genibus addendæ sunt ad horas omnes? et quomodo inchoandæ sint laudes? » S. C. rescribere rata est : « Ad II. Matutinum in casu concludendum oratione de officio diei, Laudes autem inchoandas ut in psalterio (2). » Si cuidam circa ea, quæ præscribuntur dicenda post Orationem Officii, difficultatem moveret silentium Sacræ Congregationis, quæ in decreto nihil de his dicit, et tantum præscribit Matutinum in casu esse concludendum cum oratione de Officio diei, referre juvat sequens decretum : « A sacra Rituum Congregatione quum exquisitum fuerit, an quoties in privata recitatione separentur Laudes a Matutino, hoc semper concludendum sit, post respectivam Orationem, per v. *Dominus vobiscum*, v. *Benedicamus*, et v. *Fidelium animæ*, etc. Sacra Congregatio respondit : Affirmative. Die 1 Februarii 1886 » (3).

313. Quamvis matutinum tribus constet nocturnis, dicendum tamen est unum tantum officium seu hora canonica; ita ut nocturna sine aliqua ratione separanda non sint, præsertim hoc tempore, quo unico tractu in choro persolvuntur, et in breviario conjunctim præscribuntur : habita tamen aliqua

(1) Ita Gavantus sect. 4, c. 2, n. 3; Cavalieri tom. 2, dec. 297, X, aliique.
(2) S. R. C. n. 3574.
(3) S. R. C. n. 3655.

Digitized by Google

ratione bene separari possunt, quia sunt partes distinctæ. In casu separationis opus non est, ut nocturnum collecta concludatur : quia tamen tunc ut horæ distinctæ recitantur, hæc apposite adjungitur (1). Quænam autem mora inter unum et alterum nocturnum interponi potest? Spatium trium horarum juxta antiquam consuetudinem communiter assignatur : tuto tamen extenditur, quamdiu durat causa, ob quam mora fuit interposita, et in hac re scrupulose nequaquam procedendum est (2).

Titulus XIV.

314. DE LAUDIBUS.

Rub. 1. *Ad Laudes, dicto Hymno* Te Deum, *vel ultimo Responsorio, Hebdomadarius absolute dicit:* Deus in adjutorium, *etc. ut supra, et dicuntur Psalmi, et Canticum* Benedicite, *vel aliud, ut habetur in feriali Officio, extra tempus Paschale, cum Antiphonis Officio convenientibus. Qui Psalmi et Canticum in Dominicis per annum (exceptis Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive) et in feriali Officio temporis Paschalis, ac in Festis tam novem, quam trium Lectionum, dicuntur de Dominica, ut in Psalterio. In prædictis vero Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, dicuntur ut suis locis ponitur. In feriali Officio per annum, extra tempus Paschale dicuntur ut in Psalterio.*

2. *Antiphonæ in Dominicis, quando propriæ non assignantur, dicuntur ut in Psalterio. In festis novem et trium Lectionum, si non adsint propriæ, dicuntur de Communi. Post Psalmos dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad Canticum* Benedictus, *cum eodem Cantico, et Oratio: omnia pro qualitate Officii de Tempore, vel de Festo.*

(1) Cavalieri tom. 2, dec. 297, X.
(2) Cavalieri ibidem n. 9.

Digitized by Google

3. *Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante primam Orationem. Commemorationes vero de Cruce, de sancta Maria, de sancto Joseph, de Apostolis, de Patrono, et de Pace, similiter quando dicendæ sunt, dicuntur post Orationem, nisi alia commemoratio Festi simplicis vel ad instar Simplicis occurrat, quæ semper prædictas commemorationes præcedit, de quibus in propriis Rubricis dicitur.*

4. *Ante orationem dicitur* Dominus vobiscum *et* Oremus : *post ultimam Orationem repetitur* Dominus vobiscum ; *deinde,* Benedicamus Domino, *et Versus* Fidelium animæ, Pater noster, Dominus det nobis suam pacem, *et Antiphona beatæ Mariæ, ut habetur in fine Completorii, si tunc discedendum sit a Choro : alioquin in fine ultimæ Horæ, nisi sequatur Missa, vel Officium Defunctorum, vel Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, ut in propria Rubrica dicetur.*

Laudes ita dicuntur, quia Dei laudem specialiter continent.

Laudes, dum separatim recitantur, inchoantur, omissis *Pater noster* et *Ave Maria,* per versum *Deus in adjutorium,* ut indicatur in psalterio (1).

Titulus XV.

—

315. DE PRIMA.

Rub. 1. *Ad Primam,* Pater noster, Ave Maria, Credo, *secreto :* Deus in adjutorium, *etc. Hymnus* Jam lucis orto sidere : *deinde inchoatur Antiphona, quæ convenit. Sumuntur autem Antiphonæ in Festis ad omnes Horas ex Laudibus per ordinem quarta prætermissa, ut dicetur infra in Rubrica de Antiphonis. Postea dicuntur Psalmi, qui in Dominicis et Feriis*

(1) S. R. C. Decret. 18 Maji 1883, n. 3574, II.

Digitized by Google

dicuntur, ut in Psalterio. In Festis autem, et tempore Paschali, tres tantum, ut etiam ibi annotatur.

2. *Post Antiphonam dicitur Capitulum* Regi sæculorum. *In feriali Officio extra tempus Paschale dicitur Capitulum* Pacem. *Deinde Responsorium breve* Christe Filii Dei vivi, *etc. Post Responsorium breve in Officio duplici, et infra Octavas, statim dicitur Oratio* Domine Deus omnipotens. *In alio officio dicitur* Kyrie eleison *cum reliquis Precibus : omnia ut in Psalterio. Ad Versum autem* Adjutorium, *Hebdomadarius signat se signo Crucis a fronte ad pectus. Quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit* Confiteor, *omissis illis verbis,* tibi pater, *vel* vobis fratres, *et* te pater, *vel* vos fratres, *et similiter dicit* Misereatur nostri... peccatis nostris, perducat nos, *quod etiam servatur ad Completorium. In feriali Officio, quando dictæ sunt Preces ad Laudes, adduntur aliæ Preces, ut ibidem in Psalterio.*

3. *Post Orationem Primæ, vel, si dicatur Officium beatæ Mariæ, post illius Orationem, dicto* Benedicamus, *in Choro legitur Martyrologium : deinde dicitur* Pretiosa *cum reliquis : quæ etiam dicuntur ab iis, qui extra Chorum non legerint Martyrologium. In fine ad Absolutionem Capituli, in Festis et aliquibus diebus, pro Lectione brevi dicitur Capitulum Nonæ, si adsit proprium, alioquin de Communi : alio tempore, tam in Dominicis, quam Feriis, Lectio brevis Officio illius temporis in Psalterio assignata.*

Prima ita dicitur a tempore seu hora, qua legenda est, vel quia est prima hora canonica diurna.

Quando aliquis solus recitat officium, *Confiteor* dicit ut supra in rubricis n. 2 notatur. Moniales *Confiteor* recitare debent ut in breviario, dicendo *tibi pater, vobis fratres* etc., non autem *tibi mater*, et *vobis sorores* (1).

---

(1) S. R. C. 18 Aug. 1629, n. 512.

Digitized by Google

316. DE MARTYROLOGIO.

Rubricæ Martyrologii. *Lectio Martyrologii recitatur quotidie in Choro ad Primam ante versum* Pretiosa, *excepto triduo ante Pascha, quibus diebus omittitur.*

Legitur autem semper præcedenti die lectio illa, quæ memorias Sanctorum sequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, et quantitatem Lunæ ejusdem sequentis diei.

Lector non petit benedictionem, sed absolute incipit a Kalendis ut supra : qui etiam in fine leget Lectionem brevem ad absolutionem Capituli.

Festa, de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur : quod etiam servandum erit et in Festis mobilibus, quæ pronuntianda sunt, ut infra dicetur; et in Sanctis propriis particularium Ecclesiarum in hoc Martyrologio non appositis, qui in iis tantum Ecclesiis et locis, ubi præcipue memoria eorum celebris habetur, legi poterunt etiam primo loco, si de illis ibidem agatur Officium : si vero non agatur, post Sanctos in hoc Martyrologio descriptos, ordine suo, videlicet Martyres post Martyres, Confessores post Confessores, et Virgines post Virgines.

In fine cujuslibet diei semper additur : Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, et Confessorum atque sanctarum Virginum. *Et respondetur a Choro* Deo gratias.

Festa mobilia cum singulis annis mutentur, non potuerunt in Martyrologio adscribi : sed hoc loco posita sunt, ut unumquodque post Kalendarum et Lunæ pronuntiationem, immediate præponatur Lectioni Martyrologii illius diei, in qua eo anno celebrabitur, hoc modo etc.

Martyrologium ita vocatur, quia continet catalogum sanctorum, præcipue martyrum.

Martyrologium in choro legendum, rubrica præcipit : extra chorum autem in prima legi non debet; laudabiliter

Digitized by Google

tamen legitur, prout Gregorius XIII iis, qui in horis ecclesiasticis privatim martyrologio uti voluerint, hoc magnopere commendat (1).

Festa, de quibus eo die fit officium, semper primo loco ponuntur, et secundo loco (2) illi sancti, de quibus commemoratio facienda est.

Sancti, qui in Martyrologio non nominantur, et ratione officii quod de illis fit, exprimendi sunt, paucis verbis pronuntiandi sunt, et præter nomen sancti, qualitatem martyris, episcopi, confessoris, abbatis, aut virginis, et locum obitus non sunt alia addenda (3).

Officia votiva annuntianda sunt (4). Dies octavæ annuntiari possunt (5), sicut in martyrologio quoad dies octavas festorum non mobilium servatur. Annuntiari autem non debet officium feriale, dominicæ, nec dierum infra octavam, ut patet ex usu ipsius martyrologii (6).

Translata vigilia in sabbatum, non anticipatur lectio vigiliæ in martyrologio, licet anticipetur officium cum jejunio (7).

Si festa transferantur, in martyrologio tamen annuntianda sunt iisdem diebus et verbis, quibus in martyrologio sunt descripta, ita ut suis diebus notatis omittenda non sint, quamvis quoad officium transferantur; iterumque pronuntianda sunt pridie quam celebrentur, sive perpetuo transferantur (8), uti in martyrologio servatur de s. Paulo Eremita 10 et 15 Jan. et de s. Hilario 13 et 14 Jan., sive accidentaliter pro hac aut altera vice; verba enim rubricæ *Festa de quibus eo die fit Officium, semper primo loco ponuntur*, generalia sunt (9). Si festum a die natali in martyrologio perpetuo sit

(1) 14 Jan. 1584, initio martyrol.
(2) Lohner, rub. brev. p. 5, tit. 15, litt. c.
(3) Vid. Guyetus lib. 2, c. 6, 7, 14 et 15.
(4) S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 2735, 4.
(5) Merati sect. V, c. 21, n. 3, et Cavalieri tom. 2, dec. 328, n. XI.
(6) Cavalieri loco cit. n. VIII.
(7) Gavantus sect. 5, c. 21, n. 11; Cavalieri loco cit. n. 8.
(8) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2519, alia dub. n. 11, et 2 Sept. 1741, n. 2365, 4.
(9) S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 2735, 5.

Digitized by Google

translatum, uti festum s. Thomæ a Villanova ab octava Septembris in 22 ejusdem mensis, et in aliqua ecclesia illa die, qua celebratur in Ecclesia universali et annuntiatur in martyrologio, perpetuo sit impeditum, martyrologium tamen in particulari illa ecclesia equidem legendum est, uti jacet, etiam in die translationis, qua celebratur in Ecclesia universali; et pridie, quam in ecclesia particulari celebretur, festum denuo annuntiari potest (1).

Beati non canonizati in martyrologio imprimi seu adscribi nequeunt (2). Plures tamen (3) censent beatos posse nominari, et quidem primo loco, si de iis fiat officium, quia de quibus permittitur officium, certo permittitur quidquid ad officium spectat. Si autem officium non permittatur, nec etiam permittitur sine speciali facultate eorum nomina in martyrologio exprimere, quia cultus beatorum totaliter est reservatus.

Titulus XVI.

317. DE HORIS TERTIA, SEXTA ET NONA.

Rub. 1. *Ad Tertiam, Sextam et Nonam, ante singulas Horas dicitur* Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium, *Hymnus, et Psalmi, ut in Psalterio: Antiphonæ secundum Officii qualitatem, ordine quo supra. Dictis Psalmis et Antiphona, dicitur Capitulum et Responsorium breve pro qualitate Officii: quæ in Dominicis et Feriis, quando non habentur propria in Proprio de Tempore, dicuntur ut in Psalterio: in Festis, si in Proprio Sanctorum non sint propria, sumuntur de Communi. Post responsorium breve dicitur* Dominus Vobiscum, *et*

(1) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2872, 5.

(2) Dec. gen. 31 Aug. 1680, n. 1631.

(3) Guyetus lib. 2, c. 14, q. 7; Merati sect. V, c. XXI, n. III, et Cavalieri tom. 2, dec. 328, n. XII.

Digitized by Google

Oratio, quæ habetur in Proprio de Tempore : si autem fit de Sancto, ut in Proprio Sanctorum : alioquin ut in Communi.

2. *Post Orationem repetitur* Dominus vobiscum, *et dicitur* Benedicamus Domino, Fidelium animæ, *et* Pater noster, *secreto, ut infra in Rubrica de Oratione Dominica explicatur.*

Tertia, sexta et nona ita dicuntur ab hora qua recitari debent.

Titulus XVII.

—

318. DE VESPERIS.

Rub. 1. *Ad Vesperas,* Pater noster, Ave Maria, Deus in adjutorium, *etc. Deinde dicuntur quinque Psalmi cum quinque Antiphonis, ut in Proprio aut Communi Sanctorum signantur. In Dominicis autem et Feriis, Antiphonæ et Psalmi semper dicuntur ut in Psalterio (ubi etiam tempore Paschali Psalmi dicuntur sub una Antiphona* Alleluja) *nisi aliæ propriæ Antiphonæ vel Psalmi (ut in Dominicis Adventus et triduo ante Pascha) assignentur.*

2. *Post Psalmos et Antiphonas dicitur Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad* Magnificat *cum eodem Cantico, et Oratio; omnia de Tempore, vel de Sancto, pro qualitate Officii.*

3. *Preces, quando dicendæ sunt, dicuntur ante Orationem; Commemorationes vero de Cruce, sancta Maria, sancto Joseph, Apostolis, Patrono, et Pace, post Orationem, ut in propriis Rubricis habetur. Terminatur autem Officium Vesperarum ut in aliis horis.*

Vesperæ ita dicuntur a tempore vespertino, quo recitantur.

Digitized by Google

Vesperæ, si completorium immediate non sequatur, terminantur ut aliæ horæ, recitando *Pater noster*, ut dicitur in fine vesperarum in sabbato, et tit. XXXII, n. 1.

Titulus XVIII.

319. DE COMPLETORIO.

Rub. 1. *Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio : deinde* Pater noster, Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Converte, Deus in adjutorium, *Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in fine Psalterii; et post Antiphonam in Duplicibus et infra Octavas dicitur Oratio; in alio autem Officio ante Orationem dicitur* Kyrie eleison, *cum reliquis precibus, ut ibidem in Psalterio.*

2. *Post Versum* Benedicat et custodiat nos, *etc. dicitur una ex Antiphonis beatæ Mariæ, cum Versiculo et Oratione, ut ibidem : et dicto Versu* Divinum auxilium, *dicitur secreto* Pater noster, Ave Maria *et* Credo.

Completorium ita dicitur, quia eo ipsamet dies vel officium divinum completur.

Dum completorium separatim a vesperis recitatur, ei non præponitur oratio dominica, nec salutatio angelica, ut clare patet ex hoc tit. n. 1, et tit. XXXII, n. 1.

Moniales dicere debent ad lectionem brevem *Jube, domne, etc.* et *Fratres, Sobrii estote* (1).

(1) S. R. C. 16 Sept. 1673, n. 1490, 7.

Digitized by Google

Titulus XIX.

320. DE INVITATORIO.

Rub. 1. *Invitatorium semper dicitur in omni Officio ad Matutinum cum Psalmo* Venite exultemus, *ordine in principio Psalterii descripto : sed variatur pro Officii qualitate, ut in Psalterio et Proprio de Tempore, ac in Proprio et Communi Sanctorum.*

2. *Non dicitur in die Epiphaniæ, nec in triduo ante Pascha, ut suis locis notatur, nec in Officio Defunctorum per annum, excepto die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, ac in die obitus seu depositionis Defuncti, et quandocumque dicuntur tres Nocturni.*

Invitatorium ita dicitur, quia per illud homines invitantur ad laudandum et adorandum Deum.

Usus ecclesiarum est, ut post *Gloria Patri* chorus partem invitatorii de more respondeat; cantores deinde dicant primam partem, et chorus alteram partem absolvat. Si vero cantores soli integrum invitatorium in fine decantent, absque responsione chori, usus servari potest (1).

De invitatorio tempore passionis vid. tom. III, n. 21.

Titulus XX.

321. DE HYMNIS.

Rub. 1. *Hymni semper dicuntur in qualibet Hora, præterquam a triduo ante Pascha, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum.*

(1) S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3468.

Digitized by Google

2. *Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum* Venite, *repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ. Ad Laudes et Vesperas dicitur post Capitulum : ad Horas, ante Psalmos; ad Completorium, post Psalmos et Antiphonam.*

3. *Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt : qui Hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati, dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ exclusive. In Officio de Sanctis, dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur. Quando in aliquo Festo adsint tres hymni proprii historici, et hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic hymnus dicitur ad matutinum, Hymnus matutini ad Laudes ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas : si vero secundæ Vesperæ non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum conjungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione.*

4. *In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quandocumque fit Officium Beatæ Mariæ tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni* Ave maris stella, *et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, atque Hymnorum in Festo septem Dolorum beatæ Mariæ Virginæ mense Septembris qui habent ultimum versum proprium) dicitur* Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de virgine, *ut in ejus Officio per annum, etiam si dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus sanctæ Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.*

5. *In Epiphania Domini, et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur,* Jesu, tibi sit Gloria, Qui apparuisti Gentibus.

6. *A Dominica in Albis usque ad Ascensionem, in Pentecoste, et per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur* Deo Patri sit gloria, et Filio, qui a mortuis; *etiam in Festis*

Digitized by Google

Sanctorum eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem metri, nec habeant ultimum Versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

7. *In Ascensione autem usque ad Pentecosten (præterquam in Hymno* Salutis humanæ Sator) *dicitur* Jesu, tibi sit gloria, Qui victor in Cœlum redis; *similiter etiam in Festis tunc occurrentibus.*

8. *In Transfiguratione Domini dicitur* Jesu, tibi sit gloria, Qui te revelas parvulis. *Aliis temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur.*

Hymnus est vox græca, latine significans *canticum*, et ita vocatur, quia laudem Dei concinit.

Not. Urbanum VIII hymnos emendasse, et ad latinitatis metrique regulas restituisse, exceptis tribus de ss. Sacramento, quos s. Thomas composuit, hymno *Ave maris stella* et paucis aliis.

322. Cum tempore paschali et infra plures octavas conclusiones hymnorum, qui sunt ejusdem metri et non habent conclusionem propriam, juxta præfatas rubricas mutandæ sint, notari potest, omnes hymnos in communi sanctorum ejusdem esse metri, exceptis : 1° hymno vesperarum de communi plurimorum martyrum, 2° hymno vesperarum de communi confessorum, 3° hymno matutini de communi virginum et non virginum, 4° utroque hymno de communi dedicationis, 5° hymno *Ave maris stella;* item conclusionem propriam tantum habere in communi sanctorum hymnum matutini de communi plurimorum martyrum, et in proprio hymnum vesperarum s. crucis, hymnos s. Venantii, et plerosque alios in proprio sanctorum.

Circa mutationem conclusionis hymnorum notanda sunt sequentia : 1° hæc mutatio ratione temporis vel octavæ semper fit, etiam in festis 1 et 2 cl., quamvis de tempore vel octava nulla fiat commemoratio, nisi hymni propriam conclusionem habeant (1). 2° Quando duo officia concurrunt, et

(1) S. R. C. 29 Nov. 1755, n. 2439, 2.

Digitized by Google

utrumque propriam hymnorum conclusionem habet, hymnus completorii concludendus est conclusione illius officii, de quo vesperæ integræ vel a capitulo fiunt. 3° Si in vesperis duo officia concurrant, quorum alterutrum exigit mutationem conclusionis hymnorum, ut officium votivum conceptionis B. M. V. aut ss. Sacramenti cum officio alicujus sancti, tunc, modo officii, quod exigit conclusionem propriam, fiat commemoratio, hymni in vesperis et completorio sunt variandi (1); si autem hoc officium in vesperis commemorationem non habeat, fines hymnorum non mutantur. Attamen quando officium votivum de ss. Sacramento feria V celebratum est, et ob sequens officium de Passione Domini in primis vesperis commemoratio ss. Sacramenti omitti debet, conclusio hymni ad completorium dicitur : *Jesu, tibi sit gloria* (2). Expresse declaravit S. R. C. hymnum in vesperis debere concludi cum doxologia *Jesu, tibi sit gloria*, si in eisdem vesperis facienda sit commemoratio officii votivi de ss. Eucharistiæ Sacramento, vel de Immaculata conceptione B. M. V. in crastina die celebrandi (3). 4° Conclusiones hymnorum infra octavas B. M. V. mutantur ~~etiam in dominicis adventus~~ exc. Dom. Adventus (4). 5° Hæc mutatio conclusionis hymnorum tantum locum habet in temporibus expressis supra in rubricis; ita ut hymni non mutentur tempore passionis, dicendo *Jesu, tibi sit gloria, Qui passus es pro servulis* (5), nisi occurrat festum B. M. V., in quo, sicut etiam in festo septem dolorum, concluduntur *Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine :* et etiam tantum locum habet in festis Domini et B. M. V., non autem in aliis festis, ut ss. angelorum custodum, licet in propriis hymnis conclusionem propriam habeant (6). 6° Hymnus *Veni, Creator Spiritus* concludendus est semper hoc modo (7) *: Deo Patri*

(1) Rub. ad completorium in officio B. M. V. in sabbato; S. R. C. 11 Mart. 1871, n. 3241, 1.

(2) S. R. C. 5 Febr. 1895, n. 3844, VII.

(3) S. R. C. 2 Jul. 1901, *Lauret.* II.

C (30.XII.911 ad I)

(4) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2519, alia dub. ad 9; 3 Jul. 1896, n. 3924, XI.

(5) S. R. C. 21 Jan. 1662, n. 1222.

(6) S. R. C. 19 Junii 1700, n. 2059, 3, et 12 Nov. 1831, n. 2682, 51.

(7) S. R. C. 20 Jun. 1899, n. 4056.

Digitized by Google

sit gloria, et Filio, qui a mortuis, ac nunquam quocumque tempore vel quocumque occurrente festo, in alia mutanda est conclusio.

Inter festa B. M. V. excipitur festum expectationis partus, in quo omnes hymni, etiam *Verbum supernum* in matutino, concluduntur non *Jesu, tibi sit gloria,* sed *Virtus, honor, laus, gloria,* ut in dominica prima adventus (1), et festum septem dolorum, dominica tertia Septembris, in quo hymni ad completorium et horas concluduntur *Jesu, tibi sit gloria, Qui passus es pro servulis,* non autem feria sexta post dominicam passionis, in qua ut alias concluduntur *Jesu... Qui natus es de Virgine* (2).

323. Notandum circa hymnum *Iste Confessor.* Si officium confessoris pontificis vel non pontificis celebretur in die obitus sancti, dicitur in hymno *Beatas scandere sedes,* etiam per totam octavam, si hæc de illo sancto celebretur; si autem officium fiat extra diem natalitium, etiam in casu perpetuæ translationis, dicitur *Supremos laudis honores* (3). In breviario in proprio sanctorum notari solet, quando hic versus mutari debeat; ita ut, si nihil notetur, et officium non sit translatum, dicendum sit *Beatas scandere sedes;* si autem dubium oriatur, satius est dicere *Supremos laudis honores,* quia hoc semper verificatur et si in Breviario indicatio hujus mutationis deficiat, in calendarii redactione suppleatur (4). Si tamen officium transferatur a die obitus in diem immediate sequentem, tunc si saltem a capitulo fiat de s. confessore translato, dicitur non tantum in primis vesperis, quæ recitantur in ipso die obitus, sed etiam in matutino et secundis vesperis *Beatas scandere sedes,* quia officium continuatur eo modo, quo incipitur; si autem de sequente non fiat a capitulo, sed tantum commemoratio, in matutino et secundis vesperis dicitur *Meruit supremos,* ut in festo s. Hyacinthi

(1) S. R. C. 21 Jun. 1670, n. 1404, 1, et 29 Nov. 1738, n. 2340, 5.
(2) Brev. edit. typica.
(3) Vid. n. 269. S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, 1; 13 Jun. 1899, n. 4033.
(4) S. R. C. 13 Febr. 1892, n. 3767, XX.

Digitized by Google

16 Aug. præscribitur. Si festum habens octavam, a die obitus non ultra octavam transferatur, in festo et reliquis octavæ diebus, qui supersunt, retinetur *Meruit beatas*, quia tota octava nihil aliud est, quam ipsius festi extensio (1); si autem festum ultra totam suam octavam transferatur, dicitur *Meruit supremos*. In festis s. Petri Damiani et s. Alphonsi Mariæ de Ligorio tertius versus non mutatur. Debet autem mutari in festo B. Nicolai de Flue, quando incidit in feriam II post aliquam Dominicam quadragesimæ vel Dominicam Passionis (2).

In casu translationis festi stigmatum s. Francisci in hymno nulla est facienda mutatio, et quovis in casu dicendum est : *Meruit beata vulnera Christi* (3).

324. Si quis hymnus proprius neque in vesperis, neque in laudibus recitari possit, hymno matutini, si est historicus, uniri debet, ut in festo s. Martinæ 30 Jan. et s. Venantii 18 Maji, secus non (4). Hymnus proprius vesperarum, si Festum primis vesperis caret, conjungendus est cum altero ad matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi; nisi aliter cautum sit in ipsa Rubrica speciali Breviarii Romani (5). Cfr. textus rubricæ tit. XX, n. 3.

Titulus XXI.

325. DE ANTIPHONIS.

Rub. 1. *Ad omnes Horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur Antiphonæ, vel una, vel plures, pro diversitate Officii et Horarum.*

(1) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2565, 3.
(2) S. R. C. 14 Mart. 1896, n. 3892, 1 et 2.
(3) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2565, 3; 7 Aug. 1871, n. 3254, V.
(4) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 45.
(5) S. R. C. 5 Febr. 1895, n. 3844, 3.

Digitized by Google

2. *Si de tempore fiat Officium, id est, de Dominica aut Feria, dicuntur Antiphonæ ut in Psalterio, quæ cum Psalmis positæ in Vesperis Dominicæ et Feriarum, in Completorio, et in Nocturnis (etiam quando fit Officium de Festo trium Lectionum, id est, Simplici), numquam mutantur, nisi tempore Paschali, in quo dicitur una tantum Antiphona* Alleluja; *excepto etiam tempore Adventus, in quo ad Vesperas et Nocturnos Dominicæ, ponuntur Antiphonæ propriæ. In laudibus et aliis Horis mutantur pro diversitate temporum, ut in Proprio de Tempore habentur : cum vero non assignantur propriæ, semper dicuntur quæ positæ sunt in Psalterio.*

3. *Antiphonæ, quæ in Proprio de Tempore in Sabbatis ponuntur ad* Magnificat *pro prima Dominica alicujus mensis, sumendæ sunt ex ea Dominica, quæ est proximior Kalendis, vel est in Kalendis illius mensis, ut dictum est supra in Rubrica de Dominicis, ac etiam in Rubrica mensis Augusti; et semper in Sabbato ponitur Antiphona ad* Magnificat, *quæ contigua est libro Scripturæ in Dominica ponendo.*

4. *In Festis novem Lectionum ad Vesperas dicuntur Antiphonæ de Laudibus, nisi propriæ in Vesperis assignentur. Ad Horas similiter tam in officio de Tempore, quam de sanctis, quando habentur propriæ in Laudibus, et aliæ propriæ non fuerint ad Horas, sumuntur ex Laudibus, quarta prætermissa, hoc ordine : ad Primam, prima; ad Tertiam, secunda; ad Sextam, tertia; ad Nonam, quinta.*

5. *In feriis Adventus, quæ non habent in Laudibus Antiphonas proprias, sumuntur ad Horas ex Laudibus Dominicæ præcedentis. Ubi vero in Laudibus Feriarum fuerint propriæ, sumuntur ex ipsis Laudibus.*

6. *Tempore Paschali, in Officio tam novem, quam trium Lectionum, Psalmi cujuslibet Nocturni dicuntur sub unica Antiphona, quæ Officio convenit, ut suis locis ponitur : et in fine omnium Antiphonarum additur* Alleluja, *quando in illis non habetur. A Septuagesima usque ad Pascha, ubi habetur* Alleluja, *tacetur; neque aliud ejus loco dicitur.*

7. *In Duplicibus ad Vesperas, Matutinum et Laudes tantum, Antiphonæ dicuntur ante Psalmos, vel Cantica*

Digitized by Google

integræ, et post Psalmos, vel Cantica, integræ repetuntur : in aliis Horis, et in Officio non duplici, in principio Psalmi, vel Cantici inchoatur tantum antiphona, deinde in fine integra dicitur. Et quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi, vel Cantici, et incipit sicut Psalmus, vel Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi, vel Cantici, sed continuatur quod sequitur in Psalmo, vel Cantico, ab eo loco, ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, nisi discontinuetur per Alleluja.

8. *Antiphonis propriis, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, semper cedunt quæ habentur in Psalterio et in Communi Sanctorum.*

9. *Quando fit aliqua commemoratio, semper dicitur Antiphona ante Orationem cum Versu, quæ sumitur ex Officio, quod convenit ei, de quo fit commemoratio; ita ut in Vesperis sumatur Antiphona, quæ assignatur ad* Magnificat; *in Laudibus quæ ad* Benedictus, *cum Versibus qui habentur post Hymnum.*

10. *Antiphonæ sanctæ Mariæ positæ in fine Completorii, dicuntur ut inferius in propria Rubrica disponitur.*

Antiphona, vox græca, latine significat *vox contra sonans*, et ita dicitur respective ad psalmodiam, cui respondet (1).

Num. 7. in rubricis dicitur : *In Officio non duplici, in principio Psalmi... inchoatur tantum Antiphona*, circa quod cavendum est, ne initium sit unius syllabæ, neque ejusmodi ut sensum absurde præcidat. Quapropter optandum foret, ut in breviariis, mediante asterisco notaretur, ubi frangenda sit antiphona : quo medio in lectione officii, et præcipue in illius cantu haberetur uniformitas.

Item ibidem dicitur : *Quando Antiphona sumitur ex principio Psalmi... et incipit sicut Psalmus etc.* Id locum habet : 1° in officio duplici, quando antiphona et primus versus

(1) Durandus rat. div. off. lib. 5, c. 2, n. 26 et seq.

Digitized by Google

psalmi constant iisdem verbis, quo casu, dicta antiphona, psalmus a secundo versu incipitur, ut in communi dedicationis ad primum psalmum tertii nocturni notatur; 2° etiam locum habet in officio non duplici, quamvis verba totius antiphonæ non eædem sint cum principio psalmi, modo illa verba, quæ ante psalmum dicuntur, eadem sint cum principio psalmi; uti satis exprimitur in hac rubrica, dum dicit: *quando Antiphona... incipit sicut psalmus,* et etiam expresse præscribitur in rubrica ante tertium psalmum secundi nocturni dominicæ *Diligam te.* Sic in officio semiduplici de communi confessoris ad primum psalmum primi nocturni repeti non debet *Beatus vir,* neque in secundo nocturno ad tertium psalmum *Domine Dominus noster.* Quamvis autem verba etiam totius antiphonæ eadem sint cum principio psalmi, si tamen addatur *Alleluja,* ut tempore paschali, tunc psalmus ab initio est incipiendus, quia illud *Alleluja* continuationem tollit (1).

Not. Antiphonæ et psalmi quandoque differunt, ut antiphona secunda matutini dominicæ et versus 12ᵘˢ psalmi septimi, unde eadem antiphona desumpta est, quia tempore s. Pii V, qui vulgatam versionem s. Scripturæ breviario inseri voluit, psalmi tantum et lectiones juxta eamdem versionem inserta fuerunt; antiphonæ vero juxta versionem, secundum quam autem legebantur, retentæ fuerunt (2).

Titulus XXII.

326. DE PSALMIS.

Rub. 1. *Psalmi in Officio de Tempore per omnes Horas in Dominicis et Feriis dicuntur eo modo, quo distributi sunt in Psalterio, nisi aliquando aliter in Proprio de Tempore sig-*

(1) Vid. Cavalieri tom. 2, dec. 299, n. 2.
(2) Grancolas comm. hist. in brev. lib. 2, c. 1.

Digitized by Google

nentur. In Festis autem dicuntur, ut in propriis locis signantur : alioquin, ut in Communi Sanctorum.

2. *Psalmi ad Laudes de Dominica, cum Cantico* Benedicite, *dicuntur in omnibus Festis per annum, et in Feriis Temporis Paschalis.*

3. *Psalmus* Confitemini *dicitur ad Primam cum aliis Psalmis in Psalterio assignatis, in omnibus Dominicis (quando Officium fit de Dominica, ut in Psalterio; etiam in Dominicis quæ occurrunt infra Octavas Sanctorum) a tertia Dominica post Pentecosten inclusive, usque ad Nativitatem Domini exclusive : et a secunda Dominica post Epiphaniam inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive : a Septuagesima autem usque ad Pascha, ejus loco dicitur Psalmus* Dominus regnavit, *quia Psalmus* Confitemini *tunc dicitur ad Laudes post Psalmum* Miserere, *ut suo loco ponitur. In Dominicis vero temporis Paschalis, a Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, dicuntur tantum tres Psalmi sicut in Festis, addito Symbolo S. Athanasii. Alii Psalmi per singulas Ferias distributi ad Primam, dicuntur singuli loco Psalmi* Confitemini, *in feriali tantum Officio, quando de Feria agitur extra tempus Paschale. In Feriis vero temporis Paschalis, in Festis per annum, et in Sabbato, sive de S. Maria, sive de Feria fiat Officium, dicuntur tantum tres Psalmi, scilicet :* Deus in nomine tuo, Beati immaculati, *et* Retribue; *etiam si Festum duplex celebretur in Dominica.*

4. *In Dominicis autem, quando Officium fit de Dominica ut in Psalterio, post Psalmos additur semper Symbolum sancti Athanasii* Quicumque, *ut infra in propria Rubrica dicitur.*

5. *Psalmi Horarum, scilicet ad Tertiam, Sextam et Nonam, et ad Completorium, numquam mutantur, ut in Psalterio, sive de Sanctis, sive de Tempore fiat Officium.*

6. *Psalmi de Dominica ad Vesperas, ut plurimum dicuntur in Vesperis Festorum, excepto ultimo, qui mutatur; cum vero aliter fieri debet, suis locis notatur. In Vesperis infra Octavam dicuntur Psalmi ut in secundis Vesperis Festi; sed in primis Vesperis diei Octavæ dicuntur ut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur.*

Digitized by Google

7. *In fine Psalmorum semper dicitur* Gloria Patri, *præterquam in Psalmo* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, *et in Psalmo* Laudate Dominum de cœlis, *qui conjunguntur cum aliis Psalmis, et in fine ultimi tantum dicitur* Gloria Patri *ut suis locis notatur. Præterea non dicitur in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, nec in Officio Defunctorum, cujus loco pro Defunctis dicitur* Requiem æternam dona eis Domine, *etiamsi fiat Officium pro uno tantum.*

8. *Ut sacræ Vulgatæ editionis puritas inconfusa et illibata servetur, etiam quoad interpunctiones et distinctiones in sacris Bibliis appositas, additus est Asteriscus*, ut sit nota musicæ partitionis in medio Versu.*

Psalmus, vox græca, latine significat cantum sive sonum qui fit manibus, pulsato psalterio.

Psalterium in divino officio ita distribuitur, ut, si de tempore fiat officium, integrum in qualibet hebdomada recitetur.

Titulus XXIII.

327. DE CANTICIS.

Rub. 1. *Cantica dicuntur in Officio de Tempore, tam de Dominicis, quam Feriis, ad Laudes, Vesperas et Completorium, ut in Psalterio distribuuntur.*

2. *In Festis et tempore Paschali, ad Laudes semper dicitur Canticum* Benedicite, *ut in Dominica; et in fine ejus non dicitur* Gloria Patri, *sicut in aliis Canticis dicitur, nec respondetur* Amen. *Alia Cantica ferialia, ut in Psalterio, ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit Officium de Feria extra tempus Paschale.*

3. *Cantica* Benedictus, Magnificat *et* Nunc dimittis, *semper dicuntur suo loco, ut in Psalterio.*

Digitized by Google

Canticum et psalmus ab Euthymio distinguuntur in eo, quod psalmus sit carmen cum instrumento psalterii, canticum vero vox musica cum harmonia solo ore prolata.

In fine cantici *Benedicite* non dicitur *Gloria Patri* ob duos versus præcedentes, in quibus eadem glorificatio exprimitur.

Titulus XXIV.

328. DE VERSIBUS.

Rub. 1. *Versus semper dicuntur ad Matutinum post ultimum Psalmum et Antiphonam Nocturnorum : sive in officio dicantur tres Nocturni, sive unus. Ad Laudes et Vesperas Versus dicitur post Hymnum : ad Horas dicitur in Responsorio brevi, post repetitionem partis Responsorii, dicto* Gloria Patri.

2. *In Pascha Resurrectionis, et per Octavam usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive in Nocturno tantum dicitur Versus; in aliis Horis non dicitur, ut ibidem.*

3. *Quando fit aliqua commemoratio, semper post Antiphonam ejus, de quo fit commemoratio, dicitur Versus, qui in ejus Officio ponitur post Hymnum Vesperarum et Laudum, nisi aliter noletur.*

4. *Versibus prædictis tempore Paschali semper additur* Alleluia; *non autem Versibus Precum, nec in* Pretiosa *ad Primam, neque in Versibus Responsoriorum Matutini.*

5. *In Officio Festi trium Lectionum, post omnes Psalmos feriales cum Antiphonis, dicitur Versus de Communi Sanctorum, hoc ordine : Feria secunda et quinta, Versus primi Nocturni : Feria tertia et sexta, Versus secundi Nocturni : Feria quarta, Versus tertii Nocturni.*

6. *Versus positi in Psalterio ad Laudes et Vesperas semper dicuntur, quando alii proprii non assignantur in Proprio de Tempore.*

Digitized by Google

Versus sic dicitur a vertendo, vel quia a psalmis ad lectiones aut ad alia vertimur; vel quia versum cantantes, faciem ad altare vertunt juxta cærem. Ep. lib. 2, c. III, n. 10, ut eo mediante, omnes mente revertantur ad Deum.

Quid, si ob occursum vel concursum aliorum officiorum versus sit mutandus, vide n. 262.

Titulus XXV.

329. DE ABSOLUTIONIBUS ET BENEDICTIONIBUS ANTE LECTIONES.

Rub. 1. *Absolutiones et Benedictiones dicuntur per ordinem in Officio novem Lectionum ante Lectiones, ut in prima Dominica de Adventu ponuntur, scilicet, post Versum, dicto* Pater noster. Et ne nos, *dicitur Absolutio et Benedictiones, ut ibi, præterquam in Matutinis Tenebrarum majoris Hebdomadæ, et in Officio Defunctorum, in quibus Absolutio, et Benedictiones non dicuntur.*

2. *Si fiat Officium trium Lectionum, et sit de Feria, in qua singulæ tres Lectiones sunt de Scriptura, Absolutio et Benedictiones sumuntur ex prima Dominica de Adventu, hoc ordine : Feria secunda et quinta dicuntur Absolutio et Benedictiones primi Nocturni; Feria tertia et sexta, secundi Nocturni; Feria quarta et Sabbato, tertii Nocturni.*

3. *Si autem singulæ tres Lectiones sint de Homilia super Evangelium, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra : Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, scilicet : prima Benedictio erit* Evangelica lectio : *secunda,* Divinum auxilium : *tertia,* Ad societatem. *Si fit de Sancto trium Lectionum, Absolutio dicitur secundum Ferias, ut supra : Benedictiones vero semper dicuntur ut in tertio Nocturno, hoc modo : prima.* Ille nos benedicat : *secunda,* Cujus, *vel* Quorum, *vel* Quarum Festum colimus : *tertia,* Ad societatem.

Digitized by Google

4. *Quando fit Officium sanctæ Mariæ in Sabbato, Absolutio, et Benedictiones dicuntur ut habentur in ejus Officio parvo circa finem Breviarii.*

Absolutio ita dicitur ab absolutis psalmis, vel a tertia absolutione, quæ incipit : *A vinculis peccatorum nostrorum absolvat* etc.

Benedictio ex parte legentis est species petitionis licentiæ legendi, et ex parte benedicentis est species missionis juxta illud Apostoli ad Rom. X, 14 : *Quomodo... prædicabunt nisi mittantur*. Dicitur benedictio a gratia seu benedictione, quæ petitur et conceditur.

Lecturus dicit *Jube, domne* tanquam ad superiorem, cujus est non tantum permittere et mittere sed et jubere ex larga potestate, quam a Deo accepit. Benedicens tamen non per semetipsum benedictionem dare præsumit, sed a Deo, qui est fons omnis benedictionis, eamdem erogari exposcit.

330. In publica officii recitatione, seu in recitatione cum aliis, semper dicitur *Jube, domne,* etiam ad ultimam lectionem, quam legit superior, quisquis ille sit (1); cui secundus in choro respondet *Ad societatem;* similiter dicitur *Jube domne,* quamvis benedicens sit Episcopus; eo tamen casu excipitur benedictio ad nonam lectionem, quam ipse legit Episcopus, ad quam hic, si major se in choro non adsit, dicit *Jube, Domine,* cui, omissa benedictione *Ad societatem*, per chorum absolute respondetur *Amen* (2).

Dubitatur autem, an in privata recitatione sit dicendum *Jube, Domne,* quod ad hominem dirigitur, estque appellatio hominis præclari, uti Summus Pontifex in litaniis vocatur *domnus Apostolicus;* vel sit dicendum *Jube, Domine*, quod ad Deum dirigitur : quidam (3) censent dicendum esse *Jube,*

(1) S. R. C. 15 Feb. 1659, n. 1108.

(2) Cærem. ep. lib. 2, c. 5, n. 9.

(3) Lohner de horis can. p. 2, tit. I, § VIII, et Romsée tom. 3, art. 23, n. 7.

Digitized by Google

Domine, ut in missa privata ante evangelium, quia par est ratio; sed contra Gavantus (1) dicit, eumdem equidem non esse usum. Unde cum rubricæ eam mutationem quoad privatam officii recitationem non præscribant sicuti quoad missam privatam, cumque in officii recitatione nulla mutatio propria auctoritate fieri possit, præferendum est, quod dicatur *Jube, domne* tam in privata, quam in publica officii recitatione (2). Sic s. Petrus Damianus (3) agens de nonnullis dubitantibus, an cum soli officium recitarent, deberent dicere *Jube, Domine*, opinatur officium, cum singulatim dicitur, eodem semper pacto recitandum esse, ac si in communi orantes psallerent: ille enim, inquit, qui officium canonicum recitat, totius Ecclesiæ nomine orat atque loquitur, eamque repræsentat : alias omnia, quæ plurali numero pronuntiantur, essent mutanda, cum tamen rubrica contrarium præscribat quoad *Dominus vobiscum* tit. XXX, n. 3. Accedit, quod ad *Jube, Domine, benedicere* non convenienter respondeatur *Cujus Festum colimus, Evangelica lectio* etc. Adeoque sicut solus recitans, et dicens *Dominus vobiscum*, loquitur ad membra Ecclesiæ; sic dicens *Jube domne* alloquitur Ecclesiæ superiores, in quorum nomine sibimet respondet : recitans namque officium, se loqui cum Ecclesia intendere debet (4).

331. In officio sanctorum octava benedictio semper est, *Cujus Festum colimus*, etiam per totam octavam, quia octava non est nisi festi continuatio; et similiter in officio translationis et votivo per mensem aut hebdomadam, ita ut numquam dicatur *Cujus translationem*, aut *commemorationem colimus*, sed semper *Cujus Festum colimus* (5).

In officio ss. angelorum, si oratio sit communis omnium ss. angelorum, ut in Festis s. Michaelis et s. angeli custodis, octava benedictio est *Quorum Festum;* si autem oratio sit

(1) Sect. V, c. XI, n. 4.
(2) Cavalieri tom. 2, dec. 301, n. 2.
(3) Lib. 3, de virgin.
(4) Navar. in misal. 67, de orat. n. 5.
(5) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, ad tit. de bened. n. 1.

Digitized by Google

singularis et propria, ut in festis s. Gabrielis et s. Raphaelis, *Cujus Festum* (1).

Titulus XXVI.

332. DE LECTIONIBUS.

Rub. 1. *Lectiones leguntur ad Matutinum, dictis Psalmis Nocturnorum cum Antiphonis, Versibus, Absolutionibus quoque, et Benedictionibus, ut supra. In duplicibus et Semiduplicibus dicuntur novem Lectiones, id est, in quolibet Nocturno tres : in Feriis et in Festis simplicibus leguntur tantum tres Lectiones.*

2. *In Officio novem Lectionum dicuntur hoc modo. In primo Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Scriptura : quæ, quando suis locis propriæ, aut de Communi Sanctorum non assignantur, semper leguntur ut in officio de Tempore; quæ sua quaque die occurrunt legendæ. In secundo Nocturno, si fit de Sancto, tres Lectiones leguntur de vita Sancti, vel de aliquo Sermone aut Tractatu, qui ei convenit : quæ, si non adsint propriæ, leguntur ex Communi Sanctorum. Ex quo etiam Communi completur numerus trium Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias. Si fit de Dominica, vel de alio Officio novem Lectionum per annum, etiam de Octava, leguntur tres Lectiones de Sermone, aut Tractatu, qui in illis ponitur. In tertio Nocturno semper leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium, positæ in proprio, aut ex Communi assignatæ; et primæ Lectioni de Homilia semper præponitur principium Evangelii, de quo est Homilia, etiam infra Octavas. Excipiuntur ab hoc ordinario Lectionum Matutina Tenebrarum ante Pascha, et Defunctorum, ut in suis Officiis ponitur.*

(1) S. R. C. 13 Sept. 1692, n. 1885, 2.

Digitized by Google

3. *Si in Officio novem Lectionum, in quo non dicitur nonum Responsorium, contingat fieri commemorationem de aliquo Sancto, qui propriam habet Lectionem, nona Lectio legitur de Sancto : si habuerit duas Lectiones, ex duabus fiat una Lectio, omissa nona Lectione in dicto Officio novem Lectionum, vel octavæ Lectioni adjuncta. Item de Festo Duplici aut Semiduplici, si fiat tamquam simplex, legitur nona Lectio composita ex omnibus Sancti Lectionibus historicis secundi Nocturni, ut supra dictum est in Rubrica de Commemorationibus num.* 10. *Quod si eodem die occurrat Dominica, vel Feria, quæ habet Homiliam, nona Lectio Sancti omittitur, et ejus loco legitur Homilia Dominicæ vel Feriæ, scilicet vel prima Lectio de Homilia, vel tres simul in unam Lectionem conjunctæ. Similiter si plures occurrant nonæ Lectiones propriæ de Sanctis, legitur tantum illa dignioris.*

4. *In Officio trium Lectionum, si fit de Feria, tres Lectiones leguntur de Scriptura, nisi tres sint de Homilia, quia tunc omissis Lectionibus de Scriptura, leguntur de Homilia. Si fit de Sancto, qui habet duas lectiones, prima tantum erit de Scriptura, ut vel legatur una, vel ex tribus simul junctis fiat una; secunda et tertia de Sancto. Si unam tantum habuerit, vel propriam, vel ex Communi assignatam, prima et secunda erunt de Scriptura, tertia de sancto : quod etiam servatur in Officio beatæ Mariæ in Sabbato.*

5. *Lectiones autem de Scriptura in Officio de Tempore sic distributæ sunt per annum, ut quotidie aliquid ex ea legatur, etiam in Officio de Sanctis, quando aliæ (ut dictum est) non assignantur.*

6. *Initia librorum sacræ Scripturæ (qui fere semper in Dominicis inchoantur) eo die ponuntur, quo notata sunt, etiam si fiat Officium de Sancto, nisi in Festo aliæ propriæ Lectiones Scripturæ, vel de Communi assignentur : tunc enim initium lectionis de Scriptura transfertur in sequentem diem similiter non impeditam; et Lectiones illi diei de eadem Scriptura assignatæ vel cum superioribus Lectionibus legantur, vel omittantur; ita ut non oporteat eas amplius in alio sequenti die resumere, sed illæ legantur, quæ sua quaque die*

Digitized by Google

occurrunt, aut, cum eisdem jungantur. Quod semper servetur, quando Lectiones occurrentes de Scriptura aliquo die omittuntur.

7. *Cum autem initium alicujus Epistolæ Catholicæ tempore Paschali, aut alicujus Prophetæ minoris mense Novembri, infra Hebdomadam illorum Temporum impeditur aliquo Festo novem Lectionum habente proprias Lectiones de Scriptura, dictum initium Epistolæ et Prophetæ, quoad commode fieri poterit, ponatur in sequenti Feria, alio simili initio Scripturæ ponendo, vel Festo non impedita; alioquin in præcedenti similiter non impedita, ita ut aliquo modo ponatur, etiam si plura initia eodem die poni oporteat.*

8. *De Scriptura quoque tantum est positum, quantum satis videtur pro numero Hebdomadarum, quæ esse possunt inter Epiphaniam et Septuagesimam, et inter Pentecosten et Adventum. Ubi vero contingit minui numerum Dominicarum et Hebdomadarum post Epiphaniam, adveniente Dominica Septuagesimæ, quod superest de Epistolis beati Pauli, quæ distributæ sunt pro numero dictarum Dominicarum et Hebdomadarum, eo anno omittitur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum. Quod etiam fit de Scriptura ex libris Regum (de quibus legitur ab Octava Pentecostes usque ad Dominicam primam Augusti), cum non expletur numerus Dominicarum post Pentecosten de eis libris annotatus usque ad mensem Augusti; quia tunc Lectionibus de his libris omissis, legitur de Scriptura, quæ ponitur mense Augusti. Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipate in Feria, eo modo quo dictum est de Dominicis num. 4 et 5, tunc post Officium Dominicæ anticipatæ in sequentibus diebus legatur de Epistolis sancti Pauli assignatis Dominicæ anticipatæ et sequentibus Feriis, omissis aliis, quæ sunt assignatæ præcedenti Hebdomadæ. Quid autem observandum sit, cum mensis, cui quinque Dominicæ assignantur, non habuerit nisi quatuor, in propriis locis notatur.*

9. *Lectiones de Scriptura positæ in Communi Sanctorum leguntur in Festis, ubi assignantur in Proprio Sanctorum per annum. Rursus, quando aliquod Festum in propria*

Digitized by Google

Ecclesia solemniter celebratur; item, quando aliquod Festum novem Lectionum occurrit in Quadragesima et Quatuor Temporibus, in secunda Feria Rogationum, et in Vigilia Ascensionis, in quibus Feriis in Officio de Tempore non assignantur Lectiones de Scriptura, sed de Homilia : tunc enim in Festis recurrendum est ad Lectiones de Scriptura positas in Communi Sanctorum. Quod si in aliquibus ex supradictis Feriis occurrat dies Octava alicujus Festi habentis Octavam, tunc in primo Nocturno diei Octavæ repetantur Lectiones, quæ in primo Nocturno Festi lectæ fuerunt : si vero occurrat dies infra Octavam, tunc sumantur de Communi. Aliæ Lectiones secundi et tertii Nocturni positæ in Communi Sanctorum similiter leguntur, quando in Proprio Sanctorum assignantur, et quando in aliqua Ecclesia aliquod Festum celebratur cum novem Lectionibus (quia in ea est solemne, aut consuetum in ea celebrari) quod proprias et approbatas de Festo Lectiones non habuerit.

10. *Lectiones primi Nocturni leguntur cum titulo libri ex quo sumuntur, nisi aliter in propriis locis notetur. Lectiones etiam secundi Nocturni, quando sunt ex aliquo Sermone vel Tractatu, leguntur cum titulo et nomine auctoris : alias minime. Et similiter in tertio Nocturno præponitur titulus auctoris, cujus est Homilia.*

11. *In fine cujusque Lectionis dicitur* Tu autem Domine miserere nobis, *et respondetur* Deo gratias. *Quod etiam fit in Lectionibus brevibus in principio Completorii, et in fine Primæ post* Pretiosa ; *præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha, et in Officio Defunctorum, ut suis locis ponitur.*

Lectionum mos originem ducit a synagoga judæorum, qui singulis sabbatis ex lege et prophetis legebant (1). Hinc patet significatio vocis lectionis, quia per se non cantatur in Dei laudem, ut psalmus, sed legitur instructionis gratia.

333. In rubricis n. 2 dicitur : *Ex Communi completur*

(1) Act. XIII, 15.

Digitized by Google

numerus Lectionum, quando Officium fit novem Lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas Lectiones proprias : ita ut, si officium tantum unam lectionem propriam habeat, prima lectio ex communi sit secunda in officio; et secunda in communi sit tertia in officio; tertia autem in communi omittatur, vel ad libitum secundæ, quæ nunc est tertia in officio, conjungatur : et si officium duas lectiones proprias habeat; prima ex communi sit tertia in officio, secunda autem et tertia in communi omittatur, vel primæ, quæ nunc in officio est tertia, conjungantur.

334. Quod dicitur in rubricis n. 8 de observandis, cum mensis, cui quinque dominicæ assignantur, non habuerit nisi quatuor, intelligitur tantum de mensibus Augusti, Septembris, Octobris, et Novembris. Si Augustus tantum quatuor hebdomadas habeat, quinta omittitur, ut dicitur in rubrica ante dominicam quintam Augusti; si sit Septembris, lectiones dominicæ quintæ leguntur in feria quinta hebdomadæ quartæ, juxta rubricam positam in hac feria quinta; si sit October, lectiones dominicæ quintæ recitantur in feria quinta hebdomadæ quartæ, ut num. 341 dicetur; si November, hebdomada secunda omittitur juxta rubricam ante dominicam 2 Novembris. Quæ sit dominica prima mensis, in qua lectiones mensis incipiuntur, vide num. 236.

335. Lectiones de vitis sanctorum aliisque historiis leguntur sine titulo (1), nisi sint auctoris classici, ut s. Hieronymi etc.

336. Si quandoque dubium oriatur circa lectiones : 1° notandum est responsum S. R. C. (2) scilicet « legenda esse evangelia et homilias, quæ in breviario assignantur. »

2° Si quandoque assignentur lectiones homiliæ, quæ non habentur (et pari ratione lectiones 2 nocturni), tunc homilia desumenda est ex proprio sanctorum, si habeatur respondens evangelio, quod legitur in missa, vel ex octavario Romano. Quod si in illo non reperiatur, istud vero desit, legenda in

(1) S. R. C. 1 Mart. 1698, n. 1991, 2.
(2) 22 Aug. 1818, n. 2587, 5.

Digitized by Google

officio homilia evangelii, quæ habetur in communi, in missa vero idem evangelium, cujus homilia recitata est in officio.

DE INITIIS S. SCRIPTURÆ ET LECTIONIBUS I NOCTURNI.

337. Initia librorum s. Scripturæ semper leguntur in die, qua assignantur, vel si tunc impediantur, in alia die, in quam transferuntur, exceptis his tribus casibus : 1° epistolæ beati Pauli, adveniente dominica septuagesimæ omittuntur, quamvis de aliquibus epistolis nihil lectum fuerit; 2° pariter libri regum, adveniente dominica prima Augusti, omittuntur; 3° si fiat de aliqua dominica anticipata post epiphaniam in feria sabbatum præcedente, tunc ab hac feria omittuntur initia aliæque lectiones, huic hebdomadæ assignatæ, et in sequentibus diebus legitur de epistolis assignatis dominicæ anticipatæ et sequentibus feriis (1).

338. Certum est, quæcumque initia librorum s. Scripturæ, etiam omnium epistolarum s. Pauli, secundæ quoque ad Corinthios etc., secundæ s. Petri, secundæ et tertiæ s. Joannis, præter excepta in tribus casibus præcedentibus, si impediantur in die, qua assignantur, transferri vel anticipari debere, ut infra dicetur. Rubrica enim hoc tit. XXVI, n. 6, generalis est. Quamvis rubrica n. 7 tantum agat de epistolis catholicis tempore paschali et de prophetis minoribus in mense Novembri, quia quoad horum initia casus frequenter occurrit, certum tamen est, idem dicendum esse de omnibus aliis initiis, et etiam de omnibus epistolis s. Pauli, scilicet, quod, si extra tres casus supra exceptos impediantur, possint et debeant poni in sequentem feriam, et si hæc sit impedita, in feriam præcedentem, ita ut aliquo modo ponantur, etiamsi plura initia eodem die poni oporteat, ut mox dicetur, quia eadem est ratio et usus; si dicta initia nec transferri, nec anticipari, nec plura eadem die dici possint, sæpius forent omittenda, et quandoque continuatio libri seu epistolæ ante

(1) Rub. n. 8. Vid. n. 237, ad 2 in not.

Digitized by Google

ejusdem initium esset legenda; S. R. Congregatio (1) id videtur præscribere; et hoc plures etiam tenent auctores (2).

Item S. R. Congregatio decrevit (3) : Lectiones 1 nocturni dominicarum sexagesimæ, quinquagesimæ, secundæ, tertiæ et quartæ quadragesimæ, occurrente in iisdem Dominicis festo duplici 1 cl., resumendæ sunt infra illam hebdomadam quando fit de festo occurrente carente lectionibus 1 nocturni propriis, vel quando desumerentur de Scriptura occurrente, si festum illud extra quadragesimam incidisset. Quia, licet lectiones harum dominicarum non sint initia, continent tamen insignes et ab aliis distinctas historias Nohemi, Abrahami, Jacobi, Josephi et Moysis.

De dominica anticipata ante septuagesimam vel ante dominicam 24 post pentecosten vide n. 237.

339. Initium in die assignata impeditur festo habente lectiones proprias, et feria majori seu vigilia, de qua fit officium cum tribus lectionibus homiliæ.

1° Initium ita impeditum in sequentem ejusdem hebdomadæ feriam poni debet, ita ut in præcedentem feriam numquam sit ponendum, nisi in sequenti non detur locus illud legendi ut mox dicetur. 2° Si dies in eadem hebdomada non supersit, aut in sequenti feria aliud initium occurrat, vel sequens dies similiter sit impedita festo habente lectiones proprias, aut feria majori, de qua fit officium cum lectionibus homiliæ, tunc initium in præcedentem ejusdem hebdomadæ feriam similiter non impeditam est anticipandum, ne, quoad fieri potest, initium a die assignata longius removeatur. 3° Si in præcedente feria æque ac in sequente aliud ponatur initium, tunc initium impeditum transferendum est in sequentem feriam, in qua primo ponatur initium translatum præcedentis feriæ, et deinde occurrens in eadem feria, ut infra n. 340 ad 4 dicetur. Ita est faciendum, licet in aliquo ex sequentibus feriis aliud initium non occurrat, quia rubrica n. 7 præ-

(1) 4 Sept. 1745, n. 2387.

(2) Merati sect. 5, c. 12, n. 7; Guyetus lib. 4, c. 16, q. 2; Cavalieri tom. 2, dec. 309. Halden p. 1, tit. 5.

(3) S. R. C. 9 Jun. 1899, n. 4028.

Digitized by Google

scribit initium impeditum ponendum esse in sequentem feriam, et alioquin in præcedentem, licet plura initia eodem die poni oporteat. 4° Si sequens dies impedita sit per festum habens lectiones proprias, et in præcedenti ponatur aliud initium, tunc initium impeditum collocandum est, non in ulteriorem diem sequentem, sed in præcedentem, in qua pro tertia lectione legendum est (1). 5° Si præcedens æque ac sequens aut etiam ulterior feria sit impedita festo habente lectiones proprias aut feria majori, de qua fit officium cum lectionibus homiliæ; tunc quoad commode fieri potest, initium impeditum transferendum est in primam similiter non impeditam ex sequentibus feriis, et alioquin ex præcedentibus, licet plura initia eodem die poni oporteat; nunquam tamen poni possunt duo initia pro una lectione seu sub una conclusione *Tu autem Domine*, neque unquam plura tribus. 6° Si infra hebdomadam ob officia habentia lectiones proprias non remaneant dies ad recitanda omnia initia, quamvis tria uno die ponantur; nullum equidem initium omitti potest, sed, sive unum sive plura impediantur, reponenda sunt in officio habente lectiones proprias, quod est præ reliquis inferioris ritus, minoris dignitatis ac solemnitatis (2); et si festa sint undequaque paria, initium recitandum est in die, in qua occurrit (3).

340. Notanda sunt sequentia : 1° initia non leguntur extra propriam hebdomadam, ut ex rubrica n. 7 deduci potest (4). 2° Initia non anticipantur neque transferuntur in dominicam, juxta rubricam n. 7, in qua in feriam tantum transferri dicuntur (5). 3° Initium transfertur aut anticipatur cum titulo et omnibus tribus lectionibus; ita ut lectiones assignatæ in die, in quam transfertur, vel omittantur, vel lectionibus translatis ad libitum conjungantur juxta rubricam

(1) Cavalieri tom. 2, dec. 312, n. 2.

(2) Dec. 5 Maji 1736, n. 2319, ad tit. 25, dub. 2, in fine; 27 Mart. 1779, n. 2514, 3; 11 Mart. 1871, n. 3237, III.

(3) Cavalieri tom. 2, dec. 312, n. IV.

(4) Gavantus sect. V, c. 12, n. 12; Cavalieri tom. 2, dec. 312, n. 1.

(5) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, ad tit. 25, dub. 3.

Digitized by Google

n. 6, scilicet pro prima lectione recitando omnes tres lectiones initii per modum unius, pro secunda duas priores diei currentis, et pro tertia ultimam diei (1). 4° Si tria initia dici oporteat, unica lectio cujusque initii de præcepto tantum dicenda est (2); aliæ autem lectiones ad libitum omitti, vel dicendis adjungi possunt. Si duo initia dicenda sint, prius initium pro prima lectione ponitur, et alterum pro secunda, ita ut secunda lectio posterioris initii pro tertia lectione recitetur; vel quia rubricæ nihil determinant, secunda lectio prioris initii ad libitum pro secunda lectione sumi potest, et pro tertia lectione posterius initium, nisi secundam vel tertiam lectionem sumere placeat a die viciniori vel propria, in qua legitur (3). 5° Dum initium transfertur, non ideo reliquæ sequentium feriarum lectiones, quæ non sunt initia, transferuntur, sed leguntur quæ in sua quaque die assignantur.

341. Aliæ lectiones, quæ non sunt initia, numquam transferuntur aut anticipantur; sed illæ leguntur, quæ sua quaque die occurrunt, exceptis : 1° illis, quæ ponuntur in dominicis sexagesimæ, quinquagesimæ, secunda, tertia et quarta quadragesimæ, ut dictum est supra; et 2° excepta historia Machabæorum in mense Octobri, de qua vide rubricam positam feria quinta infra hebdomadam quartam Octobris, circa quam notanda sunt sequentia : si October tantum quatuor hebdomadas habeat, ita ut in quarta hebdomada feriis quinta, sexta et sabbato, historia Machabæorum sit legenda; non possunt tamen hæ lectiones anticipari ante feriam quintam, nec poni post sabbatum, et si in dictis diebus impediantur, tunc eo anno omittuntur. Si vero feria quinta dumtaxat impedita sit, tunc in feria sexta ponuntur lectiones dominicæ quintæ, et proximo sabbato lectiones feriæ secundæ. At ubi una tantum dies fuerit libera, in ea poni debent lectiones dominicæ quintæ. Servandus quippe semper est ordo historiæ. Verum si October contineat quidem hebdomadas quinque, sed

(1) Guyetus lib. 4, c. 16, q. 5.
(2) S. R. C. 5 Jul. 1698, n. 2002, 7.
(3) Cavalieri tom. 2, dec. 309, n. 5.

Digitized by Google

in dominica quinta ac duobus proximis diebus recitari nequiverint lectiones ibi consignatæ, ipsæ transferuntur in ferias sequentes ejusdem hebdomadæ quintæ item juxta ordinem historiæ et martyrii Machabæorum, ita ut prima die non impedita infra hebdomadam legantur lectiones dominicæ, secunda die lectiones feriæ secundæ, tertia die lectiones feriæ tertiæ; reliquis autem feriis non impeditis, si supersint, illæ quæ iisdem feriis assignantur. Si autem tres dies liberi infra hebdomadam non occurrant, tunc omittuntur omnes, vel ultimæ, pro quibus ponendis dies libera deest, cum privilegio careant repositionis in festis obtinentibus lectiones primi nocturni proprias vel de communi assignatas (1).

342. Quæ lectiones dicendæ sunt in primo nocturno officii novem lectionum?

R. 1° In semiduplici et duplici tum majori, tum minori leguntur de s. Scriptura occurrente, etiamsi solemniter celebrentur, nisi : 1° occurrant in quadragesima, quatuor temporibus, feria secunda rogationum et vigiliis, in quibus lectiones de Scriptura non assignantur; in his casibus lectiones 1 nocturni de communi sumuntur, nisi supersit aliquod initium s. Scripturæ, quod in die assignata fuit impeditum, et in hoc casu reponendum et recitandum est in festo, ut præscribit rubrica posita 26 Ap. in festo ss. Cleti et Marcellini. 2° Nisi expresse constet de concessione, ut propriæ vel de communi legantur (2), uti in omnibus festis, in quibus propria habentur responsoria, lectiones in primo nocturno semper de communi sunt sumendæ (3).

R. 2° In duplici 1ae vel 2ae classis semper sunt propriæ vel de communi, non autem de Scriptura occurrente. Etenim S. R. C. sequens dedit decretum : « Lectiones 1 nocturni propriæ vel de communi Sanctorum sunt in posterum adhibendæ tantum in duplicibus I vel II classis; illis Lectionibus exceptis,

(1) S. R. C. 17 Jan. 1887, n. 3667, I. — A Carpo, Bibliotheca liturg. P. III, cap. XIV, art. 3, n. 232.

(2) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 44; 27 Aug. 1836, n. 2748, 5, 6, 7.

(3) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. cit. ad 9.

Digitized by Google

quæ approbatæ jam fuerint vel in Breviario habentur pro duplicibus seu majoribus seu minoribus; vel aliis, quas pro specialibus rationibus aut adjunctis S. R. C. approbare deinceps censuerit » (1). Notandum autem, si ob occurrentia plura festa lectiones proprias vel de communi habentia, non remaneant dies ad recitanda omnia initia s. Scripturæ, quamvis tria uno die ponantur, tunc lectiones proprias vel de communi omittendas esse in officio ritus inferioris, minoris dignitatis, ac solemnitatis, et earum loco initia s. Scripturæ recitanda esse, ut dictum est supra in fine num. 339.

343. An lectiones, quæ in 1 nocturno legendæ sunt de communi, sumendæ sunt de primo vel secundo loco, vel ad libitum?

R. Si lectiones in breviario assignentur, eædem legendæ sunt; si autem non assignentur, tunc regula in casu desumatur ex lectionibus tertii nocturni ita ut, ex quo loco lectiones tertii nocturni sumuntur, de eodem in primo nocturno sumendæ sint; si lectiones tertii nocturni non sint de communi, regula desumenda est ex oratione, quæ si sit de communi, indicat, utrum etiam lectiones ex primo vel secundo loco sint recitandæ (2). Si neque evangelium, neque oratio sit de communi, lectiones sumi possunt ex primo vel secundo loco, prout festo magis convenientes et accommodatæ videntur (3).

DE LECTIONIBUS 2 ET 3 NOCTURNI, NONA LECTIONE HOMILIÆ ET SIMPLICIS.

344. Quæ lectiones recitandæ sunt in festis particularibus patroni, insignis reliquiæ, et similibus?

R. Quoad lectiones primi nocturni vide num. 342. In secundo et tertio nocturno, si propriæ et pro hac ecclesia approbatæ lectiones non habeantur, recitandæ sunt de com-

(1) S. R. C. 30 Jun. 1896, n. 3923.
(2) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2839, VI.
(3) S. R. C. 23 Jun. 1736, n. 2319, 17.

Digitized by Google

muni, de primo vel secundo loco, prout festo magis convenire videntur (1). Ex quo autem loco lectiones tertii nocturni sumuntur, ex eodem illæ secundi nocturni sumendæ sunt. Dicitur *pro hac ecclesia approbatæ lectiones* juxta rubricam hujus tit. XXVI, n. 9 in fine, et quia S. R. Congregatio sæpius negavit approbata pro certo loco extendi posse ad alia loca : quæ enim justis de causis alicui loco concedit, alii negat (2). Lectiones II nocturni in die octava alicujus sancti, quæ non reperiuntur in Breviario, sumi debent de die festi, deficiente Octavario Romano (3).

345. Quando pro nona lectione legenda est homilia dominicæ vel feriæ vel vigiliæ?

R. Quando officium in iisdem diebus fit de festo cum commemoratione dominicæ, feriæ vel vigiliæ, quæ propriam homiliam habent, id est : 1° in omnibus dominicis, nisi sit dominica vacans; 2° in omnibus feriis quadragesimæ, quatuor temporum, et feria secunda rogationum, etiamsi duplex 1 cl. occurrat; et 3° in omnibus vigiliis sive cum jejunio sive sine eo, sive habeant homiliam propriam sive de communi assignatam, exceptis vigiliis, quæ occurrunt in adventu, quadragesima et quatuor temporibus, in quibus nihil fit de vigilia in officio, sed in missa tantum (de quo vide tom. I, n. 22 et 94); et exceptis vigiliis in festis 1 cl. in quibus nihil fit de vigilia, præterquam de vigilia epiphaniæ Domini, de qua vide n. 239.

Nona autem lectio : 1° non legitur de feriis adventus extra quatuor tempora, quia feriæ adventus homiliam propriam non habent; nec 2° de feria sexta post octavam ascensionis Domini, quia licet habeat homiliam propriam, non tamen evangelium, quod est de dominica præcedente; et æquiparatur diei infra octavam, de qua nona lectio nunquam legitur; nec 3° unquam legitur, si evangelium festi idem sit, ac evangelium dominicæ, feriæ aut vigiliæ (4). Utra in hoc ultimo

(1) Cavalieri tom. 1, dec. 68, n. 7.
(2) 7 Dec. 1844, n. 2870; Gavantus sect. 3, c. 12, n. 14.
(3) S. R. C. 13 Dec. 1895, n. 3876, 9.
(4) S. R. C. 4 Sept. 1773, n. 2496.

Digitized by Google

casu legenda sit homilia, ex indulto concessionis inquirendum est (1).

346. Quando nona lectio de festo simplici in alio occurrente officio legenda vel omittenda est?

R. Semper legenda est, nisi in sequentibus casibus, in quibus omittitur: 1° quando de eo fit commemoratio in dominica, quæ habet nonum responsorium, quia nonum responsorium lectioni homiliæ convenit, et lectioni de sancto minus congrue conjungitur; 2° quando pro nona lectione legenda est homilia dominicæ, feriæ vel vigiliæ; 3° quando tres tantum lectiones in officio diei leguntur, ut infra octavam paschatis et pentecostes, atque in feriis et vigiliis; 4° infra octavam Corporis Christi, quando fit officium de eadem octava vel de dominica infra eam octavam, ut dictum est num. 244; 5° quando lectio simplicis non est propria et historica, sed de communi, quæ quidem legitur, dum de simplici fit officium, non vero, dum de eo in alio officio fit commemoratio (2). Notandum tamen lectionem censeri propriam, quæ est de sermone proprio, ut de ss. Machabæis 1 Aug. et de s. Felicitate 23 Nov. 6° Omittitur in festis duplicibus 1 classis. Legitur autem in dominica in albis (3), et omnibus festis duplicibus 2 classis, item in feria sexta post octavam ascensionis, et in vigilia pentecostes (4).

De die octava, etiam ss. apostolorum Petri et Pauli, aut de die infra octavam nona lectio numquam legitur, dum de eis fit commemoratio, quamvis etiam habeant evangelium et homiliam propriam (5). Qui celebrant aliquod festum cum octava, præter ea quæ describuntur in Breviario Romano, ita privilegiata ut duplicia tantum 1 et 2 classis admittant, debent recitare IX lectionem de simplici occurrente (6).

(1) S. R. C. 4 Sept. 1773, n. 2496; 16 Sept. 1865, n. 3136, 1; contra rubrica posita in festo expectationis partus B. M. V.
(2) Rubrica hoc tit. XXVI, n. 3, tit. IX, n. 10, et tit. X, n. 9.
(3) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, XXV, 3.
(4) Merati sect. VI, cap. 17, n. 4. S. R. C. 5 Febr. 1895, VIII.
(5) Rub. tit. IX, n. 10, et S. R. C. 3 Jan. 1657, n. 1017.
(6) S. R. C. 9 Jun. 1899, n. 4026, II.

Digitized by Google

347. Quomodo lectiones tertii nocturni disponendæ sunt in occursu dominicæ, feriæ vigiliæ, aut simplicis, de quibus nona legenda est?

R. Nona lectio festi ad libitum communiter omitti, vel octavæ lectioni per modum unius et sub eadem conclusione adjungi potest; numquam autem octavæ lectioni de præcepto adjungi debet, ut clare patet ex rubricis hoc tit. XXVI, n. 3, nisi lectiones sint historicæ, in quo casu nona lectio octavæ est adjungenda (1). Item aliquando nonam lectionem octavæ adjungere convenit, scilicet, si laus propria sancti, cujus fit officium, in nona lectione contineatur (2).

Quoad lectionem, quæ pro nona legenda est, si sit homilia dominicæ, feriæ aut vigiliæ, de præcepto tantum legenda est prima lectio de homilia cum evangelio, vel ad libitum dici possunt tres lectiones simul in unam conjunctæ (3); si autem sit lectio simplicis, non potest, quamvis duas habeat, alterutra omitti, sed de præcepto ex duabus una est facienda, et tota legenda (4).

Not. 1° Si aliquod festum, in quo nona lectio dominicæ, feriæ, vigiliæ aut simplicis est legenda, transferatur in diem, in qua similis nona lectio non occurrit, vel si nona lectio vigiliæ aut simplicis in festo 1 cl. sit omittenda, nona lectio festi ex communi supplenda est, si ibidem habeatur, ut in festo s. Clementis 23 Nov. de communi conf. pont. 2 loco; si autem homilia festi propria sit, et in communi correspondens non habeatur, nec in officio notetur quid sit agendum, tunc octava lectio in duas dividenda est, vel juxta Gaventum (5) de septima et octava lectione tres faciendæ sunt.

Not. 2. Quamvis in die octava dedicationis ecclesiæ, lectiones tertii nocturni assigentur ut in die festo, id tamen intelligendum est de casu, quo omnes lectiones homiliæ per octavam lectæ fuerunt; quando vero aliquæ lectiones homiliæ

(1) Idem dec. cit.
(2) S. R. C. 8 Aug. 1835, n. 2735, 2.
(3) Rub. tit. IX, n. 9, et hoc tit. XXVI, n. 3.
(4) Rub. hujus tit. XXVI, n. 3.
(5) Sect. VII, c. XI, ad 8 Sept.

Digitized by Google

infra octavam ob occurrentia festa non sunt lectæ, in die octava legi possunt illæ lectiones homiliæ, quæ primo post diem festum infra octavam impeditæ et omissæ fuerunt. Idem dicendum est de die octava ss. angelorum custodum.

348. Quoad lectiones 2 et 3 nocturni Gavantus, qui adfuit recognitioni breviarii sub Clemente VIII et Urbano VIII, notat sequentia. « Quas nunc habemus secundas lectiones ex historiis sanctorum, eæ fuerunt a Cardinalibus Bellarmino et Baronio recognitæ et approbatæ sub Clemente VIII, qui rejecerunt ea omnia quæ jure merito revocari poterant in dubium. Qua in re perdifficili, visum est illis ad historiæ veritatem bona fide restituere sanctorum lectiones, idque minima qua fieri potuit mutatione : imo quæ controversa erant, alicujus tamen gravis auctoris testimonio suffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo quo erant, cum falsitatis argui non possint : quamvis fortasse altera sententia sit a pluribus recepta. Porro in enumerandis Romanorum Pontificum annis, a Cardinali Baronio non discesserunt, qui omnium exactissimus in hac re habetur. In ordinationibus secuti sunt librum *Pontificale* inscriptum, quod nomine Damasi circumfertur : cum aliunde nihil certi haberi queat. Textus item sanctorum Patrum collati sunt proxime cum auctorum libris, et manuscriptis et melioris notæ impressis : ita ut in hoc genere emendatius nihil edi posse videatur... Lectiones autem secundi et tertii nocturni ex ss. Patribus desumptas recognovimus postremo, ut concordent cum emendatioribus eorum textibus, sive impressis, sive manuscriptis codicibus Vaticanis, in translationibus græcorum Patrum, si varietas contingit, breviarii Romani lectio cæteris paribus retenta fuit (1). » Attamen post Cardinalium Bellarmini et Baronii tempora ars critica longius progressa est : a multo autem tempore Ecclesia in novis officiis ita caute procedit, ut omne erroris periculum removeatur. Ex decreto S. R. C. 2 Julii 1883, a SS. D. N. Leone Papa XIII adprobato, prodierunt emendationes quarumdam lectionum historicarum in festis :

(1) Sect. 5, c. 12, n. 16. Vid. Merati hoc loco.

Digitized by Google

s. Marcelli, papæ et martyris, 16 Januarii; ss. Cleti et Marcellini, Pontificum et Martyrum, 26 Aprilis; s. Silverii Pontificis et Martyris, 20 Junii; s. Pii, Papæ et Martyris, 11 Julii; ss. Proti et Hyacinthi, Martyrum, 11 Septembris; s. Silvestri, Papæ et Confessoris, 31 Decembris. Istæ mutationes editæ fuerunt, ut in novis breviarii editionibus inseri debeant; ad eas assumendas tamen non obligantur, qui horas canonicas recitant juxta editiones jam existentes (1).

Demum, decreto 28 Novembris 1902, creata fuit a S. R. C., probante ss. Dno Leone papa XIII, peculiaris commissio historico-liturgica cujus erit multiplices historicas quæstiones revolvere, dilucidare, enodare quæ Hagiographiam et Liturgiam tangunt, ac illas præcipue quæ eventualem respicere possunt emendationem aut reformationem liturgicorum codicum, scilicet martyrologii, Breviarii, missalis, Ritualis et similium.

Titulus XXVII.

349. DE RESPONSORIIS POST LECTIONES.

Rub. 1. *Responsoria dicuntur ad Matutinum post Lectiones : id est, post quamlibet Lectionem dicitur unum Responsorium, ut infra.*

2. *In Festis novem Lectionum (præterquam in Festo sanctorum Innocentium, quando non venerit in Dominica), et in Dominicis ab Octava Paschæ inclusive, usque ad Adventum exclusive, et a Dominica infra Octavam Nativitatis inclusive, usque ad Septuagesimam exclusive, dicuntur octo tantum Responsoria; et in fine tertii, et sexti, et octavi, dicitur* Gloria Patri, *cum repetitione partis Responsorii : quod regulare est in fine ultimi Responsorii cujuslibet Nocturni, tam in Officio*

(1) Monitum S. R. C. 14 Dec. 1883.

Digitized by Google

novem quam trium Lectionum, excepto tempore Passionis : quo tempore loco Gloria Patri *repetitur Responsorium a principio : excepto etiam Officio Defunctorum, in quo illius loco dicitur* Requiem æternam, *etc. Qui versus* Gloria Patri *quibusdam diebus dicitur in primo Responsorio, ut in propriis locis annotatur. Post nonam Lectionem prædictis diebus, quando octo tantum dicuntur Responsoria, immediate dicitur Hymnus* Te Deum.

3. *In Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, et in triduo ante Pascha, dicuntur novem Responsoria, quia tunc non dicitur* Te Deum.

4. *In Officio autem trium Lectionum, quando fit de Festo, et in Feriis temporis Paschalis, quod est inter Dominicam in Albis et Ascensionem (excepta Feria secunda Rogationum, in qua ponitur tertium Responsorium) dicuntur duo Responsoria, quia post tertiam Lectionem dicitur* Te Deum. *Quæ Responsoria in Festis sumuntur de Communi sanctorum : et in dictis Feriis Temporis Paschalis, quando alia propria non assignantur, sumuntur de Dominica, in qua primo sunt posita, hoc ordine : secunda et quinta Feria, primum et secundum Responsorium primi Nocturni : Feria tertia et sexta, primum et secundum Responsorium secundi Nocturni : Feria quarta, primum et secundum Responsorium tertii Nocturni.*

5. *In aliis Feriis extra tempus Paschale dicuntur tria Responsoria (quia in illis non dicitur* Te Deum) *hoc ordine : Feria secunda et quinta, tria Responsoria primi Nocturni : Feria tertia et sexta, tria Responsoria secundi Nocturni : Feria quarta et Sabbato, quando in eo fit de Feria tria Responsoria tertii Nocturni Dominicæ præcedentis, in qua primo sunt posita. Verum quia in tertio Nocturno Dominicarum a tertia post Pentecosten inclusive, usque ad Adventum exclusive, non habetur nisi unum Responsorium dicendum infra Hebdomadam, quod est septimum in Dominica (propterea quod Responsorium* Duo Seraphim *non dicitur, nisi in prædictis Dominicis) : ideo Feria quarta et Sabbato, quando Responsoria sumenda erunt ex tertio Nocturno, primum Res-*

Digitized by Google

ponsorium erit quod est septimum Dominicæ : secundo et tertio loco dicitur secundum et tertium sequentis Feriæ; id est post secundam et tertiam Lectionem dicitur secundum et tertium Responsorium, quod est secundum et tertium secundæ sequentis Feriæ, si propria Responsoria hobuerit; alioquin si non habuerit propria, dicitur secundum et tertium Responsorium primi Nocturni ejusdem Dominicæ. Ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam habentur Responsoria propria in singulis Feriis, excepto Sabbato; in quo, quando fit de Feria, dicuntur Responsoria Feriæ quartæ.

6. *Sumuntur autem Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita, in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis, in quibus alia non assignantur, vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quæ autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominicæ sumuntur dicto ordine.*

7. *Si responsoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter Festum duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, et omittantur alia, quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero in tota Hebdomada non occurrat dies, in quo fiat de Feria, illa Responsoria ponantur in sequenti Hebdomada, vel Dominica similiter non impedita, et dummodo in ea alia Responsoria non sint primo ponenda; alioquin eo anno omittuntur. Responsoria etiam, quæ in aliquibus Feriis per Hebdomadam habentur, si eo die quo posita sunt, non possunt dici propter Festum occurrens, non sunt transferenda in aliam diem, sed omittuntur.*

8. *Tempore Paschali in fine Responsorii, ante Versum, additur* Alleluja.

Responsoria sunt cantica spiritualia, ad mentem infra lectiones elevandam instituta. Ita dicuntur, quia respondent

Digitized by Google

lectionibus, vel quia uno vel pluribus responsoria cantantibus, chorus consonando respondet.

350. Asteriscus in responsoriis designat partem repetendam post versum et iterum post *Gloria Patri* si dicatur. In nonnullis autem responsoriis duo ponuntur asterisci, et quandoque etiam tres; sed sive duo sive tres dentur asterisci, repetitiones tamen tantum fieri debent ab uno ad alterum asteriscum, non autem usque ad versum : ita ut, si duo ponantur asterisci, prima repetitio post versum fiat a primo ad secundum asteriscum, servatis verbis a secundo asterisco ad versum pro secunda repetitione (1), prout responsorium *Libera me* in officio defunctorum disponitur in rituali Romano (2) et S. R. C. (3) idem recitari mandavit; et si tres habeantur asterisci, prima repetitio fiat a primo asterisco usque ad secundum tantum, secunda repetitio a secundo asterisco usque ad tertium, et tertia repetitio a tertio asterisco usque ad versum, licet etiam sensus aliud exigere videatur. Id clare probat responsorium primum dominicæ primæ adventus, quod, prout recitandum est, in breviario impressum est, et ad cujus modum juxta rubricas tit. XII, n. 7 responsoria dicenda sunt.

351. Responsoria primi nocturni dominicæ, in qua primo ponuntur, etiam in adventu et a septuagesima usque ad pascha (4), si in dominica propter festum occurrens impediantur, in alia die recitanda sunt ante alia responsoria, uti rubrica n. 7 clare disponit, eadem ratione, qua initium libri legendum est ante alias ejusdem libri lectiones : quæ vero poni nequeunt, omittuntur; neque ideo semiduplex transfertur, neque simplex supprimitur, ut officium de feria cum recitatione primorum responsoriorum fiat.

In casu translationis primorum responsoriorum dominicæ, nihil mutandum est, licet tunc forte sequente die eadem

(1) S. R. C. 6 Sept. 1834, n. 2718, et 7 Dec. 1844, n. 2872, 3; 2 Jun. 1883, n. 3576, 13.

(2) Edit. typica, Ratisbonæ 1884.

(3) 12 Sept. 1840, n. 2820.

(4) Guyetus lib. 4, c. 17, q. 2.

Digitized by Google

responsoria dicenda sint : eadem enim responsoria duobus insequentibus diebus recitare in rubricis permittitur, cum præscribant feria secunda repetenda esse responsoria primi nocturni dominicæ, et uti breviarium infra hebdomadam post dominicam tertiam Septembris disponit.

352. Responsorium *Hæc est vera fraternitas* in communi plurium Martyrum, quod extra tempus paschale recitatur post octavam lectionem in officio novem lectionum, et post secundam in officio simplici, dicitur, dum fit officium de fratribus secundum carnem, non autem dum fit de fratribus secundum institutum ordinis regularis, nisi speciale habeatur privilegium, quali fruuntur fratres minores s. Francisci ex eorum rubrica n. 196, et quale etiam privilegium concessum est in officiis diœcesanis archidiœcesis Mechliniensis quoad festum sanctorum martyrum Gorcomiensium 9 Julii (1). Si cum fratribus carnalibus alii non fratres celebrentur, tunc juxta Guyetum et Cavalieri (2) responsorium *Hæc est* dicitur, si fratres sint plures quam non fratres, ut in breviario 10 Julii notatur pro festo ss. septem Fratrum et ss. Rufinæ et Secundæ : item si sint numero pares, modo de fratribus potissimum agatur, ut si primo loco in festo nominentur, uti in festo ss. Nerei et sociorum, si horum festum post tempus paschale transferatur, in quorum missa hic versus *Hæc est vera fraternitas* ad graduale dicitur, et in quorum officio consequenter idem legitur responsorium, quia eadem est ratio. Si autem non fratres fuerint plures, aut si pares, de non fratribus tamen potissimum agatur; responsorium *Hæc est* non dicitur, ut in festo ss. Eustachii et sociorum 20 Sept.

353. Responsorium *Domine, prævenisti* in communi unius martyris dicendum est in quocumque officio martyrum, qui obierunt non effuso sanguine (3), scilicet in officio novem lectionum post octavam lectionem, et in officio simplici post secundam, quacumque feria celebretur.

(1) Vid. Gardellini in dec. 2587, 1, vol. IV decr., p. 177.
(2) Guyetus lib. 3, c. 11, q. 3; Cavalieri tom. 2, dec. 320, n. 5.
(3) S. R. C. 10 Jan. 1693, n. 1890, 2.

Digitized by Google

Titulus XXVIII.

354. DE RESPONSORIIS BREVIBUS HORARUM.

Rub. 1. *Responsoria brevia dicuntur post Capitulum ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, et ad Completorium, præterquam in triduo ante Pascha usque ad Nonam Sabbati in Albis inclusive, quibus diebus non dicuntur. Ad Primam et Completorium semper dicuntur eodem modo, ut in Psalterio. In aliis Horis, quando fit Officium de Dominica, vel Feria per annum, dicuntur ut habentur in Psalterio. In Adventu autem, Quadragesima, tempore Passionis et Paschali, ut suis locis habentur propria. In Festis similiter, quando non habentur propria, dicuntur ut in Communi Sanctorum.*

2. *In fine Responsorii brevis dicitur* Gloria Patri *cum repetitione Responsorii, eo modo quo ordinatur ad Primam in Psalterio, præterquam tempore Passionis : tunc enim non dicitur* Gloria Patri *in Officio de Tempore, sed solum repetitur Responsorium breve a principio.*

3. *In Responsorio brevi ad Primam, loco versus* Qui sedes *etc., in Adventu dicitur* Qui venturus es in mundum, *tam in Dominicis et Feriis, quam in Festis; excepto Festo Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ et per Octavam. In nativitate Domini usque ad Epiphaniam, etiam in Festis occurrentibus; in Festo Corporis Christi et per Octavam, et in omni Officio beatæ Mariæ, tam novem quam trium Lectionum, etiam si infra ejusdem Octavas fiat de Festo vel de Dominica, dicitur* Qui natus es de Maria Virgine. *In Epiphania et per Octavam, et in Festo Transfigurationis, dicitur* Qui apparuisti hodie. *A Dominica in Albis inclusive, usque ad Ascensionem exclusive, tam in Officio de Tempore quam de Sanctis (excepto Officio beatæ Mariæ) semper dicitur* Qui surrexisti a mortuis. *In Ascensione usque ad Pentecosten exclusive dicitur* Qui scandis super sidera. *In Pentecoste et reliquo anni tempore, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, dicitur* Qui sedes

Digitized by Google

ad dexteram Patris, *ut in Psalterio. Aliqua præterea sunt propria Officia, veluti Pretiosissimi sanguinis, et Sacratissimi cordis D. N. J. C. ac Septem dolorum B. M. V., in quibus proprius versus assignatur, ut suis locis ponitur.*

4. *Responsoria brevia aliarum Horarum, quæ ponuntur in prima Dominica de Adventu, dicuntur per totum Adventum, quando fit Officium de Tempore. Similiter quæ ponuntur in prima Dominica Quadragesimæ, dicuntur usque ad Dominicam Passionis exclusive. Et quæ ponuntur in Dominica Passionis, dicuntur usque ad Feriam quintam in Cœna Domini exclusive. Item quæ ponuntur in Dominica in Albis, dicuntur usque ad Ascensionem exclusive. Quæ vero ponuntur in aliquo Festo habente Octavam, dicuntur per totam Octavam, quando fit de Octava. In Officio autem beatæ Mariæ, tam novem quam trium Lectionum exceptis festis quæ habent propria, dicuntur semper Responsoria brevia de Communi Virginum.*

5. *Tempore Paschali, a Dominica in Octava Paschæ usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusive, in fine Responsorii brevis ante primum Versum dicuntur duo* Alleluja, *quæ etiam post dictum primum Versum repetuntur pro parte Responsorii; et in fine secundi Versus unum tantum* Alleluja, *tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, ut dicitur in Rubrica, quæ est in Sabbato in Albis. Extra tempus Paschale, quamvis in aliquibus Festis ad Tertiam, Sextam et Nonam, Responsoriis brevibus addantur* Alleluja, *non ideo adduntur ad Primam et Completorium.*

Responsoria brevia ita dicuntur, quia quodammodo respondent capitulo, quod præcessit; brevia autem, quia sunt breviora illis, quæ post lectiones matutini dicuntur.

355. Concurrentibus in prima duobus versibus propriis, uno ratione temporis, et altero ratione festi aut octavæ, præfertur : 1° ratio festi, si hoc proprium habeat; 2° ratio octavæ, et ita in festo immaculatæ conceptionis B. M. V., per ejus octavam, et etiam in dominica infra octavam dicitur *Qui*

Digitized by Google

natus es, non autem *Qui venturus es;* et 3° habetur ratio temporis.

Mutatio versus in responsorio primæ ratione temporis aut octavæ semper fit, etiam in festis 1 et 2 cl., quamvis de tempore aut octava nulla fiat commemoratio.

Inter festa B. M. V. excipitur festum expectationis partus, in cujus responsorio brevi ad primam dicitur *Qui venturus es in mundum* (1), et festum septem dolorum, in quo feria sexta post dominicam passionis dicitur *Qui passus es pro homine*, et dominica tertia Semptembris *Qui passus es propter nostram salutem.*

356. Tempore paschali in responsoriis brevibus adduntur duo *Alleluja*, etiam in responsorio brevi ad primam et completorium : rubricæ n. 5 enim id generaliter præscribunt de omnibus responsoriis brevibus.

Titulus XXIX.

357. DE CAPITULIS.

Rub. 1. *Capitula semper dicuntur (præterquam a Feria quinta in Cœna Domini, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, et præterquam in Officio Defunctorum) ad Vesperas, Laudes et alias Horas, dictis Psalmis et Antiphonis; ad Completorium vero dicto etiam Hymno.*

2. *Capitula Dominicalia posita in Psalterio in primis et secundis Vesperis, in Laudibus et Horis, dicuntur a tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, et a secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam. Capitula autem ferialia dicuntur post Octavam Pentecostes usque ad Adventum, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ. Aliis temporibus dicuntur ut in proprio de Tempore : si fit de Sanctis, ut in Proprio de Sanctis, cum*

(1) S. R. C. 3 Jul. 1896, n. 3924, 11.

Digitized by Google

propria adsint; alioquin de Communi Sanctorum. Capitulum Primæ et Completorii (quando Capitula dicuntur) numquam mutatur, ut in Psalterio.

3. *In Dominicis ab Adventu usque ad Octavam Epiphaniæ, et a Septuagesima usque ad tertiam post Pentecosten, et in Feriis temporis Paschalis, et in omnibus Festis regulariter Capitulum positum in primis Vesperis dicitur in Laudibus, ad Tertiam, et in secundis Vesperis, quibusdam exceptis, quæ suis locis assignantur.*

4. *In Feriis tempore Paschali ad Primam dicitur Capitulum* Regi sæculorum, *sicut in Dominicis et Festis. Post Capitulum semper respondetur* Deo gratias.

Capitula ita dicuntur, quia sunt tanquam brevia capita, desumpta præcipue ex epistolis missæ, vel etiam ex aliis s. Scripturæ locis, officio diei vel tempori convenientibus.

Capitula aliquando discordant a textu vulgato, cujus ratio est, quod Ecclesia in his capitulis aliquando utatur versione itala s. Scripturæ, sicut ex eadem versione introitus et quædam alia, quæ in missa dicuntur, desumpsit (1).

Titulus XXX.

358. DE ORATIONE.

Rub. 1. *Oratio in Vesperis et Laudibus dicitur post Antiphonas ad* Magnificat *et* Benedictus *immediate, nisi quando dicendæ sunt Preces : quæ dicuntur post Antiphonam, et in fine illarum Oratio. Ad Primam et alias Horas Oratio dicitur post Responsorium breve, nisi dicendæ sint Preces : tunc enim Oratio dicitur post Preces. Ad Completorium Oratio dicitur post Antiphonam* Salva nos, *nisi dicendæ sint Preces; et tunc dicitur post illas.*

(1) Merati sect. V, cap. XV.

Digitized by Google

2. *Ad Primam et Completorium numquam mutantur Orationes quæ habentur in Psalterio, præterquam in triduo ante Pascha; in quo triduo ad omnes Horas usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive post Psalmum* Miserere, *dicitur Oratio diei ut suo loco ponitur. In aliis Horis regulariter dicitur Oratio quæ dicta est in primis Vesperis. In Quadragesima autem, Quatuor Temporibus, Vigiliis et Feria secunda Rogationum, Oratio, quæ dicta est in Laudibus, dicitur tantum ad Tertiam, Sextam et Nonam. In Vesperis autem sequentibus, si fit de Feria, dicitur vel alia propria, ut in Quadragesima, vel Dominicæ præcedentis, ut in aliis Feriis. Quæ Oratio præcedentis Dominicæ semper dicitur in feriali Officio per Hebdomadam, quando propria non assignatur. Infra Octavas dicitur Oratio ut in die Festi : similiter et in die Octava, nisi alia propria assignetur.*

3. *Ante Orationem, etiam quando aliquis solus recitat Officium, semper dicitur Versus* Dominus vobiscum, *et respondetur* Et cum spiritu tuo. *Qui versus non dicitur ab eo, qui non est saltem in Ordine Diaconatus, nec a Diacono, præsente Sacerdote, nisi de illius licentia. Si quis autem ad Diaconatus ordinem non pervenerit, ejus loco dicat* Domine exaudi orationem meam; *et respondetur* Et clamor meus ad te veniat. *Deinde dicitur* Oremus, *postea Oratio : quæ si unica tantum dicatur, Versus* Dominus vobiscum, *vel* Domine exaudi *repetitur finita Oratione, postquam fuerit responsum* Amen. *Sin autem plures Orationes dicendæ sint, ante quamlibet Orationem dicitur Antiphona et Versus, deinde* Oremus; *et post ultimam Orationem repetitur* Dominus vobiscum : *postea dicitur* Benedicamus Domino, *respondetur* Deo gratias, *Deinde dicitur Versus* Fidelium animæ : *qui Versus non dicitur post* Benedicamus Domino, *ad Primam ante* Pretiosa, *neque ad Completorium ante Versum* Benedicat, *nec quando post aliquam Horam immediate sequitur Officium parvum beatæ Mariæ, vel Officium Defunctorum, aut septem Psalmi Pœnitentiales, vel solæ Litaniæ.*

4. *Si Oratio dirigatur ad Patrem, concluditur* Per Dominum; *si ad Filium,* Qui vivis et regnas. *Si in principio*

Digitized by Google

Orationis fiat mentio Filii, dicatur Per eumdem; *si in fine Orationis, dicatur* Qui tecum vivit et regnat. *Si fiat mentio Spiritus sancti, dicatur* In unitate ejusdem Spiritus sancti, *etc.*

5. *Quando plures Orationes dicuntur, prima tantum dicitur sub sua conclusione* Per Dominum, *vel aliter, ut supra : aliæ non concluduntur, nisi in ultima Oratione; sed unicuique Orationi semper præponitur* Oremus, *præterquam in Officio Defunctorum, in quo, alio modo quam ut supra, Orationes dicuntur; item in Litaniis, Orationes omnes dicuntur conjunctim sub uno* Oremus, *ut suis locis habetur.*

I. Ante et post orationem dicitur *Dominus vobiscum*, sicut Christus Dominus apostolis semel et iterum dixit *Pax vobis :* scilicet ante orationem, ad impetrandam gratiam et spiritum orationis; post eam, ad gratiam acceptam conservandam. Qua ratione solus recitans officium dicat *Dominus vobiscum* vide num. 330. Non dicitur *Dominus vobiscum* ab illo, qui non est in ordine diaconatus, neque ab excommunicato quia importat communicationem cum aliis, sed *Domine, exaudi.*

II. In orationibus tam officii, quam missæ, dum officium sive accidentaliter sive perpetuo transfertur, verba *hunc diem* vel *hodiernum diem*, aut *præsentem diem*, inconsulta Sacra Rituum Congregatione, neque immutanda neque omittenda sunt (1).

III. Prima oratio in vesperis et laudibus concluditur, quia est principalis, ad quam totum dirigitur officium; et ultima tantum, quia colligit intermedias, et sua conclusione confirmat.

IV. Si oratio commemorationis eadem sit cum oratione principali vel alia præcedente, illa quæ posterior dicitur, in aliam de communi mutatur. Vid. tom. I, n. 70.

V. Versus *Fidelium animæ*, licet supra in rubricis n. 3

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 10.

Digitized by Google

præscribatur omittendus, quando immediate sequitur officium parvum B. M. V. etc., non est tamen omittendus in fine cujusque horæ, quando post eam missa immediate dicitur; sed servandus adamussim textus rubricæ 30 Breviarii Romani (1).

Titulus XXXI.

359. DE HYMNO TE DEUM.

Rub. 1. *Hymnus* Te Deum *dicitur in omnibus Festis per annum, tam trium quam novem Lectionum, et per eorum Octavas, excepto Festo sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica; dicitur tamen in ejus die Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis, a Pascha Resurrectionis inclusive, usque ad Adventum exclusive; et a Nativitate Domini inclusive, usque ad septuagesimam exclusive : et in omnibus Feriis Temporis Paschalis, scilicet a Dominica in albis usque ad Ascensionem, excepta Feria secunda Rogationum, in qua non dicitur.*

2. *Non dicitur autem in Dominicis adventus, et a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive, neque in Feriis extra tempus Paschale.*

3. *Cum dicitur, omittitur semper nonum vel tertium Responsorium : et statim dicitur post ultimam Lectionem.*

4. *Cum non dicitur, ejus loco ponitur nonum vel tertium Responsorium : quo dicto statim inchoantur Laudes. Similiter quando dicitur* Te Deum, *eo hymno dicto statim inchoantur Laudes, præterquam in nocte Nativitatis Domini; quia tunc dicitur Oratio, postea celebratur Missa, ut suo loco notatur.*

(1) S. R. C. 14 Ap. 1742, n. 2366.

Digitized by Google

Multum disputatur de auctore hymni *Te Deum*, qui communiter inscribitur ss. Ambrosii et Augustini (1). Certum autem est illum esse valde antiquum. Ut ex verbis patet, compositus esse debuit in gratiarum actionem, si non pro conversione s. Augustini, ut plures asserunt, saltem pro insigni aliquo benedicio : unde sicut olim, sic etiam nunc extra officium in gratiarum actionem publice decantari solet. Quomodo et in quo colore hic hymnus sit decantandus, vide tom. I, n. 153.

Titulus XXXII.

360. DE ORATIONE DOMINICA ET SALUTATIONE ANGELICA.

Rub. 1. *Oratio Dominica* Pater noster, *et Salutatio Angelica* Ave Maria, *semper dicuntur secreto ante omnes Horas, præterquam ad Completorium, in cujus principio post Lectionem brevem* Fratres sobrii, *dicto Versu* Adjutorium nostrum, *dicitur tantum* Pater noster *secreto; et in fine Completorii, statim post Orationem beatæ Mariæ dicitur* Pater noster, Ave Maria *et* Credo, *totum similiter secreto. Finitis Horis, et dicto Versu* Fidelium animæ, *dicitur similiter secreto* Pater noster *tantum, nisi sequatur Officium beatæ Mariæ, quia tunc post illud dicitur* Pater noster, *ut supra, et nisi alia Hora subsequatur : tunc enim dicitur semel tantum* Pater noster *cum* Ave Maria *pro principio sequentis Horæ; qua finita, dicitur* Pater noster : *ita ut semper dicatur in fine ultimæ Horæ. Si autem post Vesperas immediate sequatur Completorium, dicto* Fidelium animæ, *incipitur Versus* Jube domne benedicere.

2. *Quando in fine Orationis Dominicæ proferendum est clara voce* Et ne nos inducas, *semper in principio eadem voce proferuntur hæc duo verba* Pater noster *ut in Precibus, et*

(1) Vid. Merati sect. V, c. 19; Fornici part. 2, c. p. 27, aliique.

Digitized by Google

similibus; alias numquam proferuntur, sed dicitur totum secreto. Ad Laudes vero et Vesperas, quando in feriali Officio dicuntur Preces, totum dicitur clara voce ab Hebdomadario.

3. *Salutatio Angelica semper dicitur ante Officium beatæ Mariæ, quando non conjungitur cum Officio Domini; quia tunc sufficit dixisse eam in principio cum Oratione Dominica.*

Si matutinum immediate post completorium sequatur, bis dicuntur *Pater, Ave et Credo,* ut in rubricis post completorium præscribitur.

361. *Pater noster* in fine horæ non dicitur, dum sequitur officium B. M. V. ut in rubricis n. 1 dicitur, neque etiam dum sequitur officium defunctorum, aut septem psalmi pœnitentiales, vel solæ litaniæ omnium sanctorum, quia tunc, juxta rubricas tit. XXX, n. 3, omittitur versus *Fidelium animæ,* et consequenter etiam oratio dominica, quæ alias post dictum versum dicitur. Dicendum autem est *Pater noster,* dum sequitur missa, quia tunc, ut dictum est in fine num. 358, versus *Fidelium animæ* etiam additur, et insuper rubricæ hunc casum non excipiunt.

Licet *Pater noster* in fine horæ omittatur, dum sequitur officium B. M. V., officium defunctorum, aut psalmi pœnitentiales vel litaniæ, dici tamen debet in fine officii B. M. V. ut alias post horam juxta rubricas n. 1; et idem dicendum existimat Guyetus (1) in fine officii defunctorum; idemque faciendum esse videtur, in fine septem psalmorum et litaniarum, quando cum officio diei conjunguntur.

362. *Pater, Ave et Credo* ante et post horas, item *Pater noster* in initio completorii, semper totaliter dicuntur secreto, et cum *Amen* in fine. Infra horam *Pater noster* semper dicitur sine *Amen,* et totaliter alta voce in precibus laudum et vesperarum, dum hæ dicuntur in feriis; alibi autem semper clara voce tantum *Pater noster* cum *Et ne nos inducas* etc., et

(1) Lib. 4, c. 23, q. 21.

Digitized by Google

voces intermediæ secreto leguntur. *Pater noster* in officio defuntorum ante lectiones, et similiter in triduo ante pascha, totum secreto dicitur.

Titulus XXXIII.

363. DE SYMBOLO APOST. ET SYMBOLO S. ATHANASII.

Rub. 1. *Symbolum Apostolorum semper dicitur ante Matutinum et Primam, et finito Completorio post Orationem Angelicam, totum secreto : etiam si ad Primam et Completorium iterum dicendum sit cum Precibus. Quando vero dicitur cum Precibus ad Primam et Completorium, clara voce profertur,* Credo in Deum, *et in fine,* Carnis resurrectionem : *reliquum dicitur secreto : alias totum secreto dicitur, ut supra.*

2. *Symbolum sancti Athanasii dicitur ad Primam post Psalmum* Retribue, *in omnibus Dominicis per annum, quando Officium fit de Dominica, exceptis Dominicis infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi, ac Dominica Resurrectionis et Pentecostes, in quibus dicuntur tantum tres Psalmi consueti, ut in Festis. In Dominicis infra alias Octavas, et in Dominica Trinitatis dicitur; alias numquam, neque si aliquod Festum duplex celebretur in Dominica. Et in fine illius dicitur* Gloria Patri.

De symbolo s. Athanasii, ejusque auctore vid. Merati (1).

Ubi ss. Trinitas est titularis, symbolum s. Athanasii tantum in festo ss. Trinitatis et in ejus die octava, non autem in diebus infra octavam recitatur (2).

(1) Sect. V, c. XX.
(2) S. R. C. 5 Maji 1736, n. 2319, alia dubia ad 10.

Digitized by Google

Titulus XXXIV.

364. DE PRECIBUS.

Rub. 1. *Preces sunt aliquot Versus, qui aliquando dicuntur ante Orationem, incipientes a* Kyrie eleison, *vel a* Pater noster.

2. *Preces Dominicales ad Primam et Completorium, ut in Psalterio, non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas, nec in Vigilia Epiphaniæ, et Feria sexta et Sabbato post Octavam Ascensionis, etiam si infra Octavam fiat Officium de Dominica, vel alio Festo Semiduplici, quia tunc ratione Octavæ non dicuntur : alias autem semper dicuntur.*

3. *Preces feriales ad Laudes et per Horas distinctæ, ut in Psalterio, dicuntur tantum in Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et Vigiliarum quæ jejunantur (exceptis Vigilia Nativitatis Domini ac Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes) et tunc dicuntur flexis genibus. In aliis Feriis per annum numquam dicuntur nisi Dominicales, et in illis non flectuntur genua.*

4. *In feriis Adventus, Quadragesimæ, et Quatuor Temporum, dicuntur Preces feriales etiam ad Vesperas, si non sequatur Festum : ad Completorium dicuntur consuetæ de Dominica, sed flexis genibus. Dicuntur autem Preces flexis genibus, ab Hebdomadario usque ad Versum* Dominus vobiscum *ante primam Orationem : a circumstantibus autem, usque ad Versum* Benedicamus Domino *post ultimam Orationem.*

5. *In Vigiliis, preces feriales dicuntur tantum ad Matutinum, et per Horas : ad Vesperas vero sequentes non dicuntur, quia inde fit de Festo. Quod si post Vigiliam sancti Mathiæ sequatur primus dies Quadragesimæ, in Vesperis dicuntur Preces feriales, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, et non Vigiliæ. Quod etiam servatur quando in Feria sexta et Sabbato Quatuor Temporum Septembris fit*

Digitized by Google

Officium de Feria, cum in eis non occurrat Festum novem Lectionum : tunc enim in Vesperis Feriæ sextæ dicuntur Preces, quamvis dicenda sit Oratio Dominicæ præcedentis, non autem Feriæ Quatuor Temporum.

6. *Psalmus* Miserere *dicitur cum Precibus ad Vesperas tantum, et Psalmus* De Profundis *ad Laudes. In Officio Defunctorum dicuntur Psalmi, qui in eo Officio designantur.*

Preces sunt duplicis generis, scilicet dominicales et feriales, quæ sic se habent ad invicem, ut dum dicuntur dominicales, non semper dicantur feriales; sed dum dicuntur feriales, semper etiam dicantur dominicales.

365. Preces dominicales, scilicet quæ ponuntur in prima dominicæ et in completorio, numquam dicuntur in duplicibus, sed in omnibus dominicis, in quibus fit de ea, festis semiduplicibus, simplicibus, et omnibus feriis et vigiliis, dum fit de eis etiam tempore paschali : exceptis dominicis, quæ ritu duplici coluntur; dominicis, etiam 1 et 2 cl., quæ infra octavam aut in die octava occurrunt; festis semiduplicibus et diebus infra octavam; vigiliis nativitatis Domini, epiphaniæ et pentecostes, ac feria sexta post octavam ascensionis. Dicuntur autem in vigilia ascensionis, ut etiam in præcedentibus feriis rogationum.

366. Preces feriales dicuntur, quando fit officium feriale, in omnibus feriis adventus, quadragesimæ (excepto triduo sacro), quatuor temporum, et in omnibus vigiliis, exceptis vigiliis nativitatis Domini, epiphaniæ, ascensionis et pentecostes, ac feriis quatuor temporum pentecostes. Neque etiam dicuntur feria secunda et tertia rogationum, nec in aliis feriis per annum.

Not. 1° dici in *omnibus vigiliis*, quia rubrica n. 3 intelligenda est de vigiliis, quæ jejunantur, vel de jure jejunari deberent (1). 2° Preces dominicales dici etiam in dominicis,

(1) S. R. C. 11 Mart. 1820, n. 2602, 4. Vid. num. 239.

Digitized by Google

et feriales in feriis, in quibus festum duplex simplificatur, ut notatum est n. 282.

367. Preces feriales ad omnes horas, etiam ad completorium, in choro flexis genibus juxta rubricas recitari debent, non autem in privata recitatione (1), licet tamen ad majorem humiliationem tunc etiam conveniat, ut flexis genibus recitentur, si commode fieri possit.

Infra preces feriales juxta rubricas n. 4 genuflectendum est usque ad *Benedicamus*, sed exclusive juxta Gavantum (2), nisi addenda sit antiphona finalis B. M. V. ne rursus statim sit genuflectendum. Precibus ferialibus expletis Hebdomadarius in recitandis orationibus debet surgere et stare (3). Quotiescumque recitantur in Choro preces feriales tempore quadragesimæ, debent omnes, hebdomadario excepto, genuflexi manere etiam in commemorationibus sanctorum simplicium et in orationibus suffragiorum (4).

Preces feriales, si cantentur, ad vesperas et laudes in diebus jejuniorum voce uniformi sunt cantandæ, non autem per depressionem vocis a *fa* ad *re* (5).

In Matutini fine, quando separatur a Laudibus in feriis, preces feriales non addendæ sunt (6).

Titulus XXXV.

368. DE COMMEMORATIONIBUS COMMUNIBUS SEU SUFFRAGIIS SANCTORUM.

Rub. 1. *Commemorationes communes, seu Suffragia de Sanctis, quæ habentur in Psalterio post Vesperas Sabbati,*

(1) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, 41.
(2) Sect. 5, c. 17, n. 8.
(3) S. R. C. 22 Mart. 1862, n. 3110, 9.
(4) S. R. C. 4 Mart. 1902, Romana, II.
(5) S. R. C. 9 Maji 1739, n. 2343; 22 Mart. 1862, n. 3110, 8.
(6) S. R. C. 27 Jan. 1899, n. 4011, 1.

Digitized by Google

dicuntur in fine Vesperarum et Laudum ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Passionis exclusive, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive in Dominicis, Feriis et Festis (nisi Officium sit duplex, vel infra Octavas, etiam si de Dominica, vel Semiduplici infra eas fiat) et illis adjungitur commemoratio de Patrono vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post Commemorationem de sancta Maria, de sancto Joseph, et de Apostolis, pro dignitate illius; ita tamen, ut semper ultimo loco ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in feriali Officio fit commemoratio de Cruce, quæ habetur in Psalterio post Laudes Feriæ secundæ.

2. *Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriæ secundæ post Dominicam in Albis, et ea solum tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas, neque in Officio votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, aut de Passione Domini.*

3. *Si facienda sit commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa Suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce.*

4. *Commemoratio de sancta Maria non fit cum aliis, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quandocumque fit Officium de ea.*

1° Commemoratio s. Mariæ non fit inter suffragia, quando dicitur ejus officium parvum juxta rubricas n. 4, sive conjungatur officio diei, sive separatim recitetur; sive ex devotione tantum, sive ex obligatione dicatur (1) : nisi s. Maria sit titularis seu patrona, in quo casu consueta ejus commemoratio fit inter suffragia, licet ejus officium parvum dicatur. 2° Neque ejus commemoratio fit, quandocumque ejus fit officium aut commemoratio specialis, ne bis fiat de eadem. Notandum, ubi s. Maria est titularis sub quocumque mysterio aut titulo, ut assumptionis, nativitatis etc., ejus commemo-

(1) Guyetus lib. 3, c. 17, q. 13, et Cavalieri tom. 2, dec. 291.

Digitized by Google

rationem in suffragiis non faciendam esse cum antiphona, versu et oratione propriæ festivitatis, sed sufficere communem antiphonam cum versu et oratione inter suffragia positam, aliamque commemorationem non esse faciendam (1). Post commemorationem B. M. V. et ante quoscumque alios, exceptis Angelis et s. Joanne Baptista, facienda est commemoratio s. Joseph juxta litteras Apostolicas 7 Julii 1871 (2).

369. Commemoratio de cruce non fit in vesperis sabbati, quia a capitulo fit de dominica, in qua non fit commemoratio de cruce; neque etiam in officio simplici de sancto, quia, licet psalmi matutini sint de feria, non est tamen officium feriale.

In officio votivo de ss. Sacramento fieri nequit commemorales de cruce (3), neque in officio votivo de Passione Domini tempore Paschali (4).

370. Quoad commemorationem patroni vel tituli ecclesiæ inquirendum est : 1° de quo, 2° a quibus, 3° quo ordine et 4° quo modo facienda sit hæc commemoratio.

1° Certum est de præcepto in suffragiis fieri debere commemorationem titularis, in cujus honorem ecclesia est dedicata vel saltem benedicta (5), sive sit sanctus, sive persona divina, seu aliquod mysterium, ut ss. Trinitas, Spiritus Sanctus, Corpus Christi, ss. Salvator etc. etiamsi contraria vigeat consuetudo aut commemoratio in suffragiis fiat de patrono loci vel religionis. Item quamvis ejus memoria habeatur in commemoratione omnium sanctorum ordinis; specialis tamen commemoratio facienda est de patrono vel titulo ecclesiæ : sed eo casu ejus nomen in commemoratione sanctorum ordinis, si ibi exprimatur, omittendum est. Si tamen s. crux, s. Joseph et ss. apostoli Petrus et Paulus sint ecclesiæ titulares, non est facienda specialis de iis commemoratio, sed ordinaria sufficit; ut supra de B. M. V. dictum

(1) S. R. C. 2 Ap. 1667, n. 1354, 2.
(2) N. 3252.
(3) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4043, 2.
(4) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4043, 2 et 29 Apr. 1887, n. 3675 ad 3.
(5) S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3255, II, 2.

Digitized by Google

est (1). Notandum autem, si s. crux sit titularis, ejus commemorationem fieri non tantum in officio feriali, sed quandocumque consueta fiunt suffragia. Omittenda tantum est commemoratio titularis in ejus vigilia, si ejus festum illam habeat, et dum de eodem fit specialis commemoratio aut officium semiduplex inventionis, translationis etc. ne bis fiat de eodem. In ecclesiis dicatis ss. Salvatori, de eo facienda est commemoratio, non omissa commemoratione crucis in feriali officio, quia æquivalere non censentur : fit autem tunc post commemorationem crucis (2).

Dum plures sunt ecclesiæ patroni seu titulares, commemoratio de unico tantum principaliori fieri debet, nisi plures tanquam æque principales patroni per modum unius in uno officio sint juncti, ut ss. Fabianus et Sebastianus.

Quoad patronum loci, regni aut diœcesis, certum est illius commemorationem in suffragiis fieri, non debere, nisi contraria vigeat consuetudo, præter commemorationem titularis ecclesiæ (3). Rubricæ hujus tituli et particulares positæ post laudes dominicæ et vesperas sabbati loquuntur tantum de uno, de quo facienda est commemoratio, ut constat ex verbis *pro dignitate illius*, non *illorum :* verba enim *Patronus vel Titulus Ecclesiæ* intelligenda sunt disjunctive, prout ecclesiæ competit vel qualitas patroni, si dedicata sit alicui sancto, vel qualitas tituli, si dedicata sit personæ divinæ vel alicui mysterio : ita ut utroque casu facienda sit commemoratio patroni vel tituli, sed ecclesiæ tantum, non autem patroni loci, qui in rubricis non comprehenditur. Si tamen adsit consuetudo faciendi commemorationem patroni loci, regni, aut diœcesis, hæc servanda est (4).

2° A quibus commemoratio patroni vel tituli fit in suffragiis?

R. Generaliter dicendum est, eam commemorationem fieri

(1) S. R. C. 30 Mart. 1621, n. 386, et 16 Oct. 1743, n. 2374.
(2) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4043, IV.
(3) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4043, VIII.
(4) S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4043, VIII.

Digitized by Google

ab iisdem, a quibus officium festi patroni vel tituli recitatur; hæc enim sunt correlativa, et rubricæ æque ad utrumque obligant. Adeoque commemoratio patroni seu tituli ecclesiæ tantum fieri potest et debet ab illis, qui ecclesiæ stricte sunt adscripti, in ea beneficium possident, seu quibus ecclesia vere est propria, ut num. 220 dictum est (1). Et proinde suffragium titularis ecclesiæ cathedralis tantum faciendum est a clero ejus servitio addicto (2). Nulli ecclesiæ adscriptus, vel illam commemorationem omittit (3), vel illam facere potest de patrono loci, et si adsit consuetudo, eamdem etiam facere tenetur (4). Regulares tenentur ad commemorationem tituli propriæ ecclesiæ (5); et clerici seminarii ad illam titularis ecclesiæ seminarii, dummodo sit publica, et alias ad commemorationem patroni loci (6).

Quoad illum, qui officiis alterius ecclesiæ assistit, vid. num. 228; et quoad illum, qui pluribus ecclesiis est adscriptus vel plura habet beneficia, num. 222 : in decreto tamen (7) dicitur; « Beneficiatos non teneri quotidie facere commemorationem de sancto seu sanctis titularibus utriusque beneficii simplicis » adeoque tantum ad unam tenentur commemorationem vel patroni residentiæ, vel cujus ecclesiæ officia frequentant, aut alias titularis principalioris.

3° Quis ordo servandus est in suffragiis?

R. In feriali officio semper primo loco fit de cruce, etiam ante commemorationem ss. Trinitatis, Sancti Spiritus, etc. ubi sunt titulares (8); deinde de s. Maria, tum de s. Joseph, post eum de ss. apostolis Petro et Paulo, et post apostolos de patrono vel titulo, nisi hic præ dignitate apostolos aut etiam s. Mariam præcedere debeat : quotquot autem fiunt

(1) S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3255, II, q. 1.
(2) S. R. C. 2 Sept. 1871, ib.
(3) S. R. C. 2 Sept. 1871, ib. 4.
(4) S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3255, II, 4.
(5) S. R. C. 18 Sept. 1877, n. 3456, I.
(6) S. R. C. 27 Maji 1876, n. 3401, II, 1.
(7) 2 Ap. 1667, n. 1354, 1.
(8) Rub. hujus tit. n. 1.

Digitized by Google

commemorationem, sive de solo titulari ecclesiæ, sive etiam de patrono loci, regni, diœcesis; ultimo tamen semper loco fieri debet de pace.

Si titularis sit persona divina, ut ss. Trinitas, Salvator, vel mysterium divinum, ut Corpus Christi, ss. cor Jesu, ss. nomen Jesu; hæc commemoratio ob dignitatem facienda est ante commemorationem s. Mariæ, sed in feriali officio post illam de cruce; item si crux sit titularis, ejus commemoratio semper fit ante illam de s. Maria. Si titularis sit angelus, aut s. Joannes Baptista, post s. Mariam, sed ante s. Joseph et apostolos Petrum et Paulum; de aliis sanctis sive apostolis sive aliis novi aut etiam veteris testamenti post commemorationem ss. Petri et Pauli. Si plures fiant commemorationes, scilicet de titulari, et insuper de patrono loci, tunc servandus est ordo litaniarum, et si sint ejusdem ordinis, titularis ecclesiæ patronum loci præcedit, ut dictum est num. 267. Si ecclesia dedicata sit omnibus sanctis, hæc commemoratio fit post ss. apostolos, ut patet ex officio parvo B. M. V. (1).

4° Quomodo fit commemoratio patroni vel tituli?

R. Fit per antiphonam, versum et orationem, quæ in ipso festo patroni vel tituli dicuntur propria, et alioquin de communi, si propria desint vel non conveniant: scilicet in laudibus per antiphonam et versum ad *Benedictus*, et in vesperis per antiphonam et versum ad *Magnificat* ex secundis vesperis, etiam dum festi occurrentis recitantur primæ vesperæ, nisi ob aliorum occurrentiam vel concurrentiam variari debeant, quod vide num. 262. In oratione autem mutantur *nativitatem, natalitia, solemnitatem* et similia in *commemorationem* et omittuntur *hanc, hodierna, annua dies* etc. (2).

In communi orationem magis accommodatam sumere convenit, uti est pro martyre pont. *Infirmitatem*, ultima pro martyre tantum *Præsta... ut intercedente* etc.; in communi virginum pro virgine et martyre *Indulgentiam*. Si ob aliorum

(1) Vid. Guyetus lib. 3, c. 17, q. XI. S. R. C. 27 Jun. 1899, n. 4043, VIII.
(2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, 1; Gavantus sect. V, c. 18, n. 10.

Digitized by Google

festorum occurrentiam vel concurrentiam, alia sumenda sit, pro martyre et pontifice secunda dicenda est hoc modo : *Deus, qui nos b. mart. tui atque p. commemoratione lætificas, concede propitius, ut cujus memoriam colimus* etc.; similiter prima pro confessore non pont. hoc modo : *Deus, qui nos b... conf. tui commemoratione lætificas, concede propitius, ut cujus memoriam colimus* etc. In aliis orationibus de communi substituitur *commemoratio* loco *natalitia, solemnitas, festa, festivitas;* omittitur vox *annua;* retineri autem potest *veneranda.*

Si oratio ob aliorum occurrentiam vel concurrentiam mutanda sit, et una tantum in communi habeatur, ut pro doctoribus, abbatibus, virginibus et non virginibus, adhiberi potest pro doctoribus et abbatibus alia de communi confessoris; *Indulgentiam* pro solis virginibus tacita qualitate martyris, et etiam pro ss. mulieribus tacitis qualitatibus virginis et martyris. Vid. tom. 1, n. 70, ad 5.

Titulus XXXVI.

371. DE ANTIPHONIS BEATÆ MARIÆ IN FINE OFFICII.

Rub. 1. *Antiphonæ beatæ Mariæ positæ in fine Psalterii post Completorium, singulæ dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris Hebdomadæ ante Pascha.*

2. *Dicuntur autem extra Chorum tantum in fine Completorii, et in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin, si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quandocumque terminata aliqua Hora discedendum est a Choro.*

3. *Numquam vero dicuntur post aliquam Horam, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litaniæ, præterquam post*

Digitized by Google

Completorium, in quo semper dicuntur, etiamsi prædicta subsequantur : neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediate subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis, a primis Vesperis Sabbati et toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem surgente.

---

1. Antiphona *Alma Redemptoris* dicitur *a vesperis ante dominicam primam adventus usque ad purificationem inclusive :* ita ut, si antiphona B. M. V. post vesperas ante dominicam primam adventus dicenda sit, vel quia discedítur a choro, vel quia laudes, parvæ horæ, et vesperæ simul recitantur sine completorio subsequente, non amplius dicendum sit *Salve regina,* sed *Alma Redemptoris.* Idem post primas vesperas nativitatis Domini quoad versum et orationem servandum est.

2. Antiphona *Ave Regina cœlorum* dicitur a fine completorii diei secundæ Februarii inclusive, etiam quando festum purificationis transfertur, aut cum octava celebratur (1), usque ad feriam quintam in cœna Dòmini exclusive : ita ut si antiphona B. M. V. dicenda sit die secunda Februarii post vesperas ut supra, dicenda sit antiphona *Alma Redemptoris.*

3. Antiphona *Regina cœli* dicitur *a completorio sabbati sancti usque ad nonam sabbati post pentecosten inclusive.* Et proinde numquam dicitur post vesperas sabbati sancti, neque amplius post primas vesperas festi ss. Trinitatis, quamvis conjunctim cum reliquo officio sabbati octavæ pentecostes recitentur; sed si antiphona post has vesperas dicenda sit, dicitur sequens *Salve Regina.*

4. Antiphona *Salve Regina* dicitur *a primis vesperis festi Trinitatis usque ad nonam sabbati ante adventum.*

372. Antiphonæ finales B. M. V. semper dicuntur post completorium, sive subsequantur officium defunctorum, psalmi pœnitentiales aut litaniæ, sive terminandum sit offi-

(1) S. R. C. 11 Jan. 1681, n. 1658, et 10 Jan. 1693, n. 1890, 3.

Digitized by Google

cium, aut discedendum a choro, sive prosequendum sit matutinum sequentis diei. Si autem post aliam horam, præterquam post completorium, subsequantur officium defunctorum, psalmi pœnitentiales, litaniæ, missa conventualis; numquam dicuntur, neque post finitam horam, quamvis alias dicendæ essent, neque post officium defunctorum, psalmos pœnitentiales, litanias aut missam, ut clare patet ex verbis rubricarum n. 3 *Numquam dicuntur :* si tamen recitentur post missam, laudabilis potest esse consuetudo, nec improbanda, quæ cedit in laudem B. M. V. (1). Si quid aliud post divinum officium sequatur, ut oratio mentalis, antiphonæ finales B. M. V. in fine horæ semper dicendæ sunt licet non sit discedendum a choro (2).

373. Antiphonæ finales B. M. V. stando dicuntur toto tempore paschali et omnibus dominicis a primis vesperis sabbati, etiam si in quadragesima ante meridiem persolvantur (3), usque ad crepusculum vespertinum ipsius dominicæ. etsi non recitetur officium dominicæ, sed vel sabbati, vel matutinum sequentis feriæ secundæ, modo sit infra dictum spatium, quia hic ritus servatur non ratione officii, sed ratione diei dominicæ ob resurrectionem Domini (4). Standum tamen etiam est, dum officium dominicæ post solis occasum recitatur (5). Aliis omnibus diebus genuflectitur, etiamsi officium de dominica fiat, ut infra octavam nativitatis Domini et epiphaniæ, aut dum anticipatur officium dominicæ ante septuagesimam et dominicam 24 post pentecosten.

Hæc genuflexio per rubricas tantum in choro præscripta est (6); laudabiliter tamen etiam servatur in privata officii recitatione, si commode fieri possit.

(1) Gavantus sect. V, c. 22, n. 16.

(2) S. R. C. 9 Jul. 1695, n. 1926.

(3) S. R. C. 16 Ap. 1853, n. 3009, 8.

(4) S. R. C. 7 Sept. 1816, n. 2572, 1; 22 Aug. 1818, n. 2587, 7; 12 Nov. 1831, n. 2682, 42.

(5) Dec. cit. 12 Nov. 1831, quæst. 4.

(6) Dec. cit. 12 Nov. 1831, ad 41.

Digitized by Google

374. Not. quoad orationem *Sacrosanctæ :* 1° quod semel dicta sive post quamlibet horam seorsum, sive post omnes simul persolutas, et adhuc post matutinum sequentis diei suum æque effectum sortiatur (1); 2° quod ad lucrandam indulgentiam flexis genibus sit recitanda (2), præterquam ab iis, *qui legitime impediti fuerint, infirmitatis tantum causa* (3).

Titulus XXXVII.

375. DE OFFICIO PARVO BEATÆ MARIÆ ET ALIIS.

Rub. 1. *De Officio parvo beatæ Mariæ, de Officio defunctorum, de septem Psalmis Pœnitentialibus et litaniis, et de Psalmis Gradualibus, quando et quomodo, tam in Choro quam extra Chorum, dicenda sint, habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarii.*

2. *Tempore Paschali, in Officio parvo beatæ Mariæ, quod dicitur in Choro, non additur* Alleluja *Antiphonis, neque Versibus, neque Responsoriis.*

De officio defunctorum in solemni commemoratione fidelium defunctorum 2ª Novembris, agetur tom. 3, n. 109 et 127, et de litaniis in festo s. Marci et tribus diebus rogationum, ibidem n. 74.

His autem exceptis, nulla iis, qui breviario romano utuntur (4) datur obligatio, privatim seu extra chorum recitandi officium parvum B. M. V., officium defunctorum, psalmos

(1) Cavalieri tom. 2, dec. 338, n. 8.
(2) Rub. ad hanc orationem posita, et S. C. Indulg. 5 Mart. 1655, n. 652.
(3) S. C. Indulg. 7 Jan. 1856, n. 654.
(4) Cavalieri tom. 2, dec. 401, n. 2.

Digitized by Google

graduales, pœnitentiales et litanias, juxta bullam s. Pii V breviario præpositam; nisi obligatio aliunde oriatur, uti ex voluntate testatorum, ex beneficio pensionarii, ex peculiari consuetudine, aut ex lege ordinis. Quamvis autem non sit obligatio, idem tamen s. Pontifex hortatur, ut eadem recitentur, propositis indulgentiis, quæ in eadem bulla s. Pii V enumerantur.

In choro, si eo tempore, quo eadem bulla data est, esset consuetudo eadem recitandi, obligatio adhuc manet, non tantum recitandi officium parvum B. M. V., cujus recitandi consuetudinem bulla s. Pii V solummodo retinere et confirmare videtur (1), sed etiam officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales (2); licet quacumque ex causa, etiam ex suppressione capituli, consuetudo fuerit interrupta (3). Quinimo a S. R. Congregatione (4) declaratur consuetudinem omittendi officium parvum B. M. V., officium defunctorum, psalmos graduales et pœnitentiales temporibus in rubricis breviarii romani præscriptis, *post bullam s. Pii esse abusum impræscriptibilem.* Præterea non obstante rubrica breviarii posita ante officium parvum B. M. V. a S. R. C. approbatur consuetudo, officium illud parvum in choro recitandi in dominicis et festis semiduplicibus, et etiam in duplicibus per annum (5).

Si non habeatur consuetudo prædicta in choro recitandi, etiam non datur obligatio (6). Et quamvis sit obligatio eadem in choro recitandi, declaravit tamen S. R. C. (7) « extra chorum excusari, si psalmos graduales et pœnitentiales, et officia B. M. et defunctorum non recitent. »

Not. seclusa peculiari consuetudine, prædicta non esse

(1) Cavalieri tom. 2, dec. 401, n. 2.
(2) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, 4.
(3) S. R. C. 22 Sept. 1827, n. 2657.
(4) 20 Mart. 1660, n. 1154.
(5) 1 Sept. 1607, n. 237; 22 Aug. 1818, n. 2587, 8.
(6) S. R. C. 11 Jun. 1629, n. 504, et 4 Sept. 1745, n. 2388.
(7) 2 Sept. 1741, n. 2365, 4.

Digitized by Google

anticipanda in præcedentem diem, licet etiam anticipetur matutinum officii currentis, quia sunt onus diei (1).

APPENDIX.

DE CÆREMONIIS IN OFFICIO DIVINO SERVANDIS.

376. Generaliter notanda sunt sequentia :

1° Cum missale et breviarium Romanum cæremonias divini officii parce præscribant, recurrendum esse ad cæremoniale Episcoporum, in quo ritus et cæremoniæ celebrandi missas, vesperas et alia divina officia continentur, juxta bullas Clementis VIII, Innocentii X et Benedicti XIII in principio cæremonialis positas, in quibus dicitur : « Cæremoniale Episcoporum omnibus ecclesiis, præcipue autem metropolitanis, cathedralibus et collegiatis perutile ac necessarium. » Et paulo inferius : « Quascumque personas, quæ sacerdotalia munera exercere, aut alia quæcumque in ipso cæremoniali contenta facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus cæremonialis formam et præscriptum teneri... perpetuo statuimus et ordinamus. »

2° « Proprios mores unamquamque habere ecclesiam, et laudabiles consuetudines, quas non tolli a cæremoniali Romano, neque a rubricis breviarii, sæpius declaravit S. R. C.: sed videant Episcopi, ne ita pugnent cum universali Ecclesia, ut peritorum judicio minus sint laudabiles consuetudines (2). »

3° In statione et sessione, et proinde in aliis, uniformitatem semper fore servandam.

4° Infra publicum officium divinum ad elevationem ss. Sacramenti in missis privatis, quæ ad altaria vicina celebrantur, non est genuflectendum, ne sacra... interrumpantur, sed ad evitandum scandalum, quod in populo et adstantibus causari posset ob non genuflexionem, est omittenda pulsatio campa-

(1) S. R. C. 31 Aug. 1839, n. 2801, 3.
(2) Gavantus sect. X, c. 2, n. 1.

Digitized by Google

nulæ in elevatione SS^mi in dictis missis privatis. Si autem pulsatio campanulæ omittenda sit ad elevationem, eo magis omittenda erit ad *Sanctus*, *Pater noster*, et *Domine non sum dignus*.

5° Stantes semper habere caput detectum, sedentes vero coopertum, nisi caput sit inclinandum, aut ss. Sacramentum sit expositum.

6° Quandocumque per organum aliquid suppletur, aut cantari figuratur, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntiandum esse id, quod per organum suppletur (1).

7° Regulare esse, ut primus versus seu stropha canticorum et hymnorum, item ultima stropha hymnorum, et pariter ille versus seu stropha, sub qua est genuflectendum aut solum caput inclinandum, cantentur a choro, et per solum organum non suppleantur, etiamsi versus immediate præcedens a choro pariter decantatus fuerit (2).

8° In accessu et transitu majoris altaris, si tabernaculum habeatur, omnes genuflectere debere; et si tabernaculum non habeatur, celebrantem et canonicos ecclesiæ cathedralis profundam corporis inclinationem facere, alios autem quoscumque clericos et sacerdotes genuflectere debere (3).

9° Quam maxime convenire, ut officium, si cantetur aut publice fiat, licet ex sola devotione, fiat non tantum cum attentione et devotione, sed etiam cum omnibus orationibus et commemorationibus, prout in breviario Romano et directorio diœcesano præscribitur. De festo tamen alicujus sancti, qui in loco particulari celebratur, vesperæ ex devotione cantari possunt, licet de eodem juxta rubricas non sint dicendæ; ita tamen ut per easdem vesperas oneri recitationis horarum canonicarum non satisfiat (4).

10° Ad asteriscum in recitatione horarum canonicarum etiam sine cantu, pausam omnino servandam esse, non obstante quacumque in contrarium consuetudine (5).

(1) Cærem. Ep. lib. 1, c. 28, n. 7.
(2) Cærem. ibidem, n. 6.
(3) Cærem. Ep. lib. 1, c. 18, n. 3. Vid. tom. 1, n. 119.
(4) S. R. C. 11 Sept. 1841, n. 2842.
(5) S. R. C. 9 Jul. 1864, n. 3122.

Digitized by Google

377. Quo colore et quibus paramentis in divino utendum est officio?

R. 1° Utendum est colore officii diei currentis, etiam in vesperis et completorio, si integræ vesperæ sint de eodem ; si autem vesperæ integræ vel a capitulo sint de sequente in vesperis et completorio utendum est colore officii diei sequentis.

2° Utendum est, etiam a celebrante, non Episcopo, et omnibus aliis, habitu chorali tantum, id est, superpelliceo, vel rochetto, sed hoc tantum ab iis, quibus de jure vel ex privilegio competit (1). Celebrans desuper utitur pluviali in laudibus et vesperis solemnibus (2), non autem in aliis horis, nisi in solemnioribus diebus ad lectiones tertii nocturni in matutino (3) ; alba autem uti non potest (4), nisi intra quadragesimam vesperæ immediate post missam cantentur (5).

Assistentes in vesperis et laudibus solemnibus induuntur pluvialibus (6). Diaconus et subdiaconus, qui solummodo missis inserviunt, non sunt adhibendi in vesperis (7).

378. Rubricæ quoad tempus standi, sedendi et genuflectendi in choro servandæ sunt (8).

Sedendum est in officio divino : 1° infra psalmos ab incepto primo versu primi psalmi usque ad finitam antiphonam post ultimum psalmum, nisi habeatur consuetudo standi, quæ consuetudo, cum sit laudabilis, retineri potest. Item laudabilis est consuetudo, ut symbolum *Quicumque* in prima a stantibus recitetur. 2° Sedendum est infra lectiones et responsoria matutini, excepto textu evangelii ante homiliam, ad quod omnes stant, sicut etiam ad lectiones in officio parvo B. M. V. in adventu, quia sunt ex evangelio. 3° Sedendum est infra antiphonam ante et post cantica *Magnificat* et

(1) Vid. tom. 1, n. 160.
(2) Rub. gen. missalis tit. XIX, n. 3.
(3) Cærem. Ep. lib. 2, c. 6, n. 15, et dec. 13 Junii 1676, n. 1572, 1.
(4) S. R. C. 13 Jul. 1658, n. 1077, 3.
(5) S. R. C. 8 Maji 1883, n. 3574, III.
(6) Cærem. Ep. lib. 2, c. 3, n. 1.
(7) S. R. C. 2 Jul. 1661, n. 1194.
(8) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2687, 1. Vid. Prax. Pont. tom. 1, n. 245, et seq.

Digitized by Google

Benedictus (1); 4° infra lectionem martyrologii. Si tamen expositum sit ss. Sacramentum, « conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, omnes præsentes, durante officio, starent semper, detecto capite, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ detecto capite, divinis officiis assistere (2). »

379. Standum est semper sub reliquis, sub quibus non est sedendum, nisi sit genuflectendum; scilicet standum est: 1° infra *Pater, Ave* et *Credo* ante, infra et post officium, præterquam infra preces feriales, preces in officio defunctorum, et præter illa, quæ dicuntur in fine completorii, ubi est genuflectendum, exceptis dominicis et tempore paschali quando infra illa in fine completorii est standum, sicut infra antiphonam B. M. V. (3). 2° Standum est ab initio omnium horarum usque ad inceptum primum versum primi psalmi usque ad finem, etiam sub precibus dominicalibus in prima et completorio, et sub antiphona B. M. V. in dominicis et tempore paschali, excepta antiphona ad *Magnificat* et *Benedictus*, sub qua est sedendum. 4° Standum est ad textum evangelii ante homiliam, ad *Te Deum*, ad versus post psalmos nocturnorum, ad absolutiones et benedictiones primas cujusque nocturni.

Celebrans etiam ad singulam benedictionem cujuslibet lectionis assurgere, et stans benedicere debet (4); et tunc, ut plures censent, convenit, ut omnes quoque in ejus reverentiam surgant; ita ut, illo surgente, omnes semper surgant.

Lectionem cantans, stans benedictionem petit, et lectionem recitat.

380. Genuflectendum est infra officium utroque genu: 1° infra invitatorium ad verba *Venite, adoremus et procidamus ante Deum*, a cantoribus et omnibus aliis; quibus dictis omnes surgunt et prosequuntur *Ploremus coram Domino* (5).

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 3, 5, 6, 7 et 8.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 33, n. 33; S. R. C. 28 Julii 1876, n. 3408, III.
(3) Gavantus sect. 10. c. 1, n. 4.
(4) Cærem. Ep. lib. 2, c. 6, n. 12.
(5) Cærem. Ep. lib. 2, c. 6, n. 8.

Digitized by Google

2° Infra *Te Deum* sub toto versu *Te ergo quæsumus*, et infra quatuor sequentes hymnos (1), scilicet *Veni Creator*, et *Ave maris stella* sub prima stropha integra; *Pange lingua* ad *Tantum ergo* sub integra stropha usque ad *Genitori* (2), sed tantum coram ss. Sacramento exposito vel saltem recondito in tabernaculo, si talis sit ecclesiæ consuetudo (3); item infra hymnum *Vexilla regis* sub tota stropha *O Crux ave*. His quatuor hymnis communiter additur hymnus *Verbum supernum*, infra quem est genuflectendum ad totam stropham *O salutaris hostia*, ss. Sacramento exposito vel saltem recondito in tabernaculo.

3° Genuflectendum est utroque genu infra preces feriarum adventus, quadragesimæ, quatuor temporum, et omnium vigiliarum in quibus preces feriales dicuntur. Celebrans manet genuflexus usque ad *Dominus vobiscum* exclusive ante primam orationem, et alii omnes usque ad *Benedicamus Domino* post ultimam orationem; tunc omnes surgunt, nisi addenda sit antiphona finalis B. M. V. et infra illam sit genuflectendum. Item genuflectendum est infra preces in officio defunctorum et psalmis gradualibus.

4° Infra antiphonam finalem B. M. V. exceptis toto tempore paschali et omnibus dominicis, ut dictum est num. 373. Solus officium faciens post dictum versum ante orationem surgit, et stando orationem dicit.

5° Juxta plures ad *Pater*, *Ave* et *Credo* in fine completorii, exceptis dominicis et tempore paschali.

6° Infra orationem ad altare ab omnibus, dum solemniter ad officium accedunt, aut eo finito discedunt.

7° Infra psalmos pœnitentiales et litanias omnium sanctorum, solo celebrante ad orationes surgente.

Genuflectendum est unico genu a lectore, nisi sit canonicus ecclesiæ cathedralis aut celebrans paratus, in fine lectionum matutini et lectionum brevium primæ et completorii,

(1) S. R. C. 31 Jul. 1665, n. 1322, 13.
(2) S. R. C. 14 Nov. 1676, n. 1583, 7.
(3) S. R. C. 4 Aug. 1663, n. 1280, 2.

Digitized by Google

dum dicit *Tu autem Domine miserere nobis.* 2° A celebrante in accessu et transitu altaris si ss. Sacramenti habeatur tabernaculum; et ab aliis, qui non sunt canonici ecclesiæ cathedralis, semper unico genu ante crucem est genuflectendum, etiamsi tabernaculum non habeatur.

381. Caput inclinandum est in officio : 1° infra totum versum *Gloria Patri;* 2° in fine hymnorum, in quibus ss. Trinitas nominatur (1); 3° ad nomina Jesu, Mariæ et Sancti, cujus fit officium vel specialis commemoratio; 4° ante lectiones, dum lector dicit *Jube Domne* versus officium facientem, donec benedictionem acceperit.

Profunda corporis inclinatio facienda est infra *Confiteor* in prima et completorio, usque ad *Misereatur* inclusive; 2° a celebrante in accessu altaris, et in recessu ab eodem, si tabernaculum non habeatur.

382. Os pollice signandum est initio matutini ad *Domine labia* etc. (2), et ut usus habet, ad orationem præparatoriam *Aperi Domine.* Item pectus signandum est in completorio ad *Converte nos Deus,* si talis sit consuetudo (3).

Crux manu facienda est : 1° ad initium omnium horarum, dum dicitur *Deus in adjutorium* (4) ita distribuendo verba, ut ad unumquodque tangantur partes signandæ; non autem ubi hæc verba in prima ter dicuntur, neque in precibus ferialibus primæ; 2° ad *Adjutorium* ante confessionem primæ et completorii (5); 3° ad *Indulgentiam* post confessionem primæ et completorii; 4° in fine completorii ad *Benedicat et custodiat,* dum dicitur *Pater* etc. et in fine primæ dum dicitur *Dominus nos benedicat* etc. 5° Ad *Magnificat* et *Benedictus* signum crucis ab omnibus faciendum est tam in choro quam extra eum juxta laudabilem communem praxim, ubi hæc

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. VI, n. 8; Bauldry, p. 2, c. 4, n. 2.
(2) Rub. tit. XIII, n. 1.
(3) S. R. C. 13 Ap. 1867, n. 3156.
(4) Rub. tit. XIII, n. 1.
(5) Rub. tit. XV, n. 2.

Digitized by Google

viget (1). 6° In completorio ad *Nunc dimittis,* si ea sit consuetudo (2).

Quænam in officio secreto dicenda sint, vide num. 360.

DE CÆREMONIIS IN VESPERIS, MATUTINO ET ALIIS OMNIBUS HORIS.

383. *Vesperæ.* Ad vesperas solemnes in altari accenduntur sex candelæ, ad minus autem solemnes quatuor, et ad non solemnes duæ sufficiunt (3). Idem dicendum est de laudibus. Ad parvas horas duæ ordinarie sunt accendendæ.

Ad vesperas solemnes celebrandas procedunt ad altare primo duo acolythi cum candelis accensis, deinde ceremoniarius, tum alii clerici bini et bini, mox pluvialibus parati, postremo celebrans medius inter duos ultimos pluvialibus indutos seu assistentes, qui fimbrias anteriores pluvialis celebrantis parumper elevant : soli parati cooperto capite et junctis manibus incedunt. Cum perveniunt ad altare, stant linea recta ante altare, celebrans in medio, pluvialibus induti seu assistentes ab ejus dextris et sinistris, et acolythi postremi, hinc inde a lateribus, reliqui autem omnes bini post eos : facta altari debita reverentia, celebrans et assistentes flectunt utroque genu super infimum gradum, genuflexique parumper orant (interim orationem *Aperi Domine* recitare possunt); reliqui autem omnes reverentia facta, vel ibidem genuflexi cum celebrante orant, vel mox discedunt ad chorum, ubi in locis suis genuflexi orant, donec celebrans surgit; ceroferarii vero accedunt ad latera altaris, cereos extinguunt, candelabra super gradum vel planum deponunt (4); tunc cum aliis genuflexi orant, et in chorum ad loca sua discedunt Oratione facta, celebrans et assistentes surgunt,

(1) S. R. C. 20 Dec. 1861, n. 3127.
(2) S. R. C. 13 Ap. 1867, n. 3156.
(3) Merati sect. X, c. 3, n. 4.
(4) Cærem. Ep. lib. 2, c. III, n. 1 et 2.

Digitized by Google

altari iterum debitam reverentiam faciunt et accedunt ad præparata loca in cornu epistolæ. Celebrans ibi paululum sedet, assistentes vero seu pluvialibus induti stant ante eum in plano; et cum per cæremoniarium fit signum inchoandi, surgit celebrans, surgentibus omnibus in choro. Tum stantes secreto dicunt *Pater* et *Ave :* quibus dictis celebrans cantat *Deus in adjutorium*, se signando. Incepto primo versu primi psalmi omnes sedent. Finitis psalmis, dum repetitur ultima antiphona, acolythi cum candelis iterum accensis, ad celebrantem accedunt, et hinc inde ad latus ejus in plano chori assistunt. Cantata ultima antiphona, celebrans et omnes alii surgunt. Hymno incepto, acolythi recedunt, deponunt candelabra, candelis accensis manentibus, et stant in locis suis. Hymno expleto, duo simul cantant versum in medio chori ante altare, cui chorus respondet. Incepta antiphona ad *Magnificat*, omnes sedent, si sit festum duplex, et cum inchoatur *Magnificat*, surgunt. Tum Celebrans cum assistentibus, deposito bireto et detecto capite in honorem cantici, ac junctis manibus, accedit ad altare, cui omnes debitam reverentiam faciunt : qua reverentia facta, cum duobus assistentibus ad medium altaris ascendit, illud osculatur ut alias in missa, et mox faciem vertit ad cornu epistolæ, ubi thuriferarius thuribulum illi offert : imponit thus, illud benedicit, et altare incensat eo prorsus modo, quo ad initium missæ ante introitum præscribitur. Incensato altari, reddit thuribulum in cornu epistolæ, redit ad medium altaris, eique debitam facit reverentiam, tum descendit ante infimum gradum, iterum altari debitam facit reverentiam, et redit ad locum, unde venerat : ibi triplici ductu incensatur ab assistente, vel si non adsit assistens, a thuriferario, qui deinde alios incensat duplici aut unico ductu, prout convenit, sub *Gloria Patri* subsistens et caput inclinans, semperque cessans a thurificatione, dum *Dominus vobiscum* ante orationem incipitur. Cum antiphona post *Magnificat* repetitur, omnes sedent; et interim acolythi cum candelis accensis ad celebrantem accedunt, eique assistunt ut ad capitulum. Expleta antiphona, omnes surgunt. Celebrans junctis mani-

Digitized by Google

bus cantat *Dominus vobiscum* et orationem cum sua conclusione, unam aut plures, et postea *Dominus vobiscum;* tum duo in medio chori altiori voce cantant *Benedicamus*, et celebrans remissiori voce subdit *Fidelium animæ*, sine cruce facienda. Tum si completorium subsequatur, celebrans cum assistentibus, ceroferarii, et cæremoniarius discedunt ad sacristiam ordine quo venerunt. Si vero completorium non sequatur, tunc dum *Dominus vobiscum* post orationem repetitur, ceroferarii ad altare redeunt, et candelabra suo loco reponunt (1). Dicto versu *Fidelium animæ*, stando et secreto dicitur *Pater noster;* quo finito celebrans mediocri voce dicit *Dominus det nobis*, et eadem voce incipit et prosequitur antiphonam B. M. V., versum, orationem et *Divinum auxilium*, stando aut genuflectendo, ut dictum est num. 373; si autem sit genuflectendum, solus celebrans ad orationem surgit. Deinde eodem modo et ordine, quo ad altare et chorum venerunt, discedunt. Pro brevi oratione ad altare sub genuflexione facienda, oratio *Sacrosanctæ* dici potest. *Vid. Praxis Pontif.* tom. II, n. 33-61.

Si vesperæ cantentur a solo celebrante sine assistentibus paratis, celebrans eodem modo accedit ad altare, sedet eodem loco, eadem cantat, et altare thurificat, ministrante thuriferario et pluviale elevante cum cæremoniario si adsit, vel alio acolytho si habeatur : si autem pluviali non sit paratus, incensatio est omittenda (2).

384. *Completorium.* Ad completorium semper minor luminum numerus, quam ad vesperas est accendendus, nisi immediate post vesperas cantetur : nec enim convenit, ut lumina ad vesperas accensa, ad completorium extinguantur (3).

Lector cantat *Jube, domne* cum capitis inclinatione versus celebrantem, et post cantatum a celebrante *Noctem quietam* erectus versus altare *Fratres, sobrii estote*, genuflectendo versus altare, dum in fine dicit *Tu autem Domine.* Celebrans

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. 1, n. 17.
(2) Cærem. Ep. lib. 2, c. 3, n. 17, et S. R, C. 16 Ap. 1853, n. 3009, 5.
(3) Lohner p. 3, tit. 4, n. 4.

Digitized by Google

cantat *Adjutorium*, sub quo crux formatur : tum ab omnibus dicitur *Pater noster* totum secreto ; deinde celebrans et chorus alternatim faciunt confessionem, sese inclinando, cum debitis erga se invicem reverentiis, et pectus percutiendo ad *Mea culpa*. Celebrans dicens absolutionem, crucem format. Item Celebrans cantat *Converte, Deus in adjutorium*, capitulum, *Dominus vobiscum* ante et post orationem, orationem, *Benedicamus, Benedicat et custodiat*, et antiphonam B. M. V. ut dictum est ad vesperas. Non fit altaris incensatio ad canticum *Nunc dimittis*. *Vid. Praxis Pontif.* tom. II, n. 65.

385. *Matutinum*. Si omnes simul ad officium accedant, præcedunt : 1° magister cæremoniarum, 2° duo cantores, 3° presbyter facturus officium, 4° sequuntur alii bini, primum digniores, et deinde minus digni. Cum pervenerint ad altare, omnes genuflexi aliquantum orant, et deinde accedunt ad sua respectiva loca (1). Secreto et stando dicitur *Pater*, *Ave* et *Credo*. Deinde celebrans cantat in tono competenti *Domine labia* signando os, et eodem tono *Deus in adjutorium* faciendo crucem. In invitatorio ad verba *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum*, omnes genuflectunt, et mox surgentes prosequuntur *Ploremus coram Domino*. Omnes stant ab initio usque ad primum versum primi psalmi, quo intonato omnes sedent usque ad versum post psalmos, quo incepto omnes surgunt. Deinde celebrans cantat *Pater noster*. *Et ne nos inducas*, et absolutionem. Tum cantaturus lectionem petit benedictionem, caput versus celebrantem profunde inclinans, donec benedictionem acceperit. Responso *Amen* post benedictionem, celebrans et omnes alii sedent sub lectionibus et responsoriis, excepto solo lectionem cantante, qui stat ; celebrans tamen ad singulam benedictionem assurgere, et stans benedicere debet, ut dictum est num. 379. Post lectionem cantans *Tu autem Domine*, flectit unico genu versus altare. Idem servatur in secundo et tertio nocturno, hoc excepto, quod omnes infra textum evangelii ante homiliam stare debeant. Ultimam lectionem cantat celebrans, ad quam ipse, quisquis

(1) Cærem. Ep. lib. 2, c. VI.

Digitized by Google

sit, etiam petit benedictionem, dicendo *Jube, domne* et non *Domine,* cui dignior respondet *Ad societatem,* ut dictum est n. 330. Solus Episcopus, si non adsit major se, dicit *Jube, Domine,* cui chorus absolute respondet *Amen.* Hymnus *Te Deum* stando cantatur, et infra versum *Te ergo quæsumus* genuflectitur. *Vid. Praxis Pontif.* tom. II, n. 67 et 68.

386. *Laudes* celebrantur eodem modo et ritu ac vesperæ et in illis eadem observantur quoad sessionem, incensationem, et alia, de quibus supra ad vesperas dictum est.

387. In parvis horis ordinarie nulla solemnitas adhibetur. Celebrans cantat *Deus in adjutorium,* capitulum, orationem, *Dominus vobiscum* ante et post orationem, *Benedicamus, Fidelium animæ,* antiphonam B. M. V. si dicenda sit, ut supra ad vesperas dictum est. Sedendum est ab incepto primo versu primi psalmi usque ad finitam antiphonam post psalmos; alias standum est, nisi dicendæ sint preces feriales, sub quibus est genuflectendum. *Vid. Praxis Pontif.* tom. II, n. 71.

Not. ad hebdomadarium seu celebrantem spectare privative quoad alios, non obstante quacumque contraria consuetudine, dicere *Pater noster, Domine labia mea, Deus in adjutorium,* absolutiones, benedictiones, capitula, preces, orationes, *Adjutorium nostrum,* confessionem, in prima *Dominus nos benedicat,* in completorio *Benedicat et custodiat nos, Dominus det nobis suam pacem,* et his similia (1).

DE PRIVATA OFFICII RECITATIONE, ET CUM SOCIIS.

388. Quoad privatam officii recitationem cæremoniæ præceptæ non sunt; sed quamvis cuique liberum sit infra officium genuflectere, stare, sedere vel etiam ambulare, modo modus sit honestus; quo tamen majori cum reverentia et devotione recitatio fiat, eo magis fructuosa et meritoria

(1) S. R. C. 10 Mart. 1640, n. 697; 19 Dec. 1654, n. 981; 7 Aug. 1655, n. 987; 28 Aug. 1655, n. 990.

Digitized by Google

erit oratio. Convenit servare omnes crucis signationes, et inclinationes capitis ad *Gloria Patri*, nomina Jesu, Mariæ et sancti cujus fit officium vel specialis commemoratio, et in fine hymnorum, dum nominatur ss. Trinitas : laudabiliter etiam genuflectitur infra antiphonam finalem B. M. V., dum juxta rubricas præscribitur; item infra preces feriales, si commode fieri possit, ut dum officium in ecclesia vel in cubiculo recitatur.

389. Officium, dum privatim dicitur, semper eodem modo recitandum est, ac si in communi recitetur; ita ut sicut in publico officio, sic etiam in privata recitatione omnia sint dicenda, nihil omittendum, nec immutandum, nisi sit præscriptum. Officium enim recitans repræsentat totam ecclesiam, ejusque nomine orat et loquitur; et hac ratione omnia vere dicere, et sibimetipsi respondere potest. Sic in rubricis tit. XXX, n. 3, præscribitur, ut solus recitans officium, semper dicat *Dominus vobiscum*, et sibi respondeat *Et cum spiritu tuo* : sic etiam ante lectiones dicendum est *Jube, domne*, et non *Domine, benedicere*, ut dictum est n. 330. Juxta rubricas tamen tit. XV, n. 2, solus recitans, semel tantum dicit *Confiteor* et *Misereatur* in completorio et precibus primæ, omissis verbis *tibi pater*, vel *vobis fratres*, et *te pater* vel *vos fratres*, et similiter dicit *Misereatur nostri... dimissis peccatis nostris, perducat nos*. Item antiphona finalis B. M. V. in privata officii recitatione seu extra chorum semper dicenda est in fine completorii, etiamsi matutinum sequentis diei subsequatur, et in fine laudum, si tunc terminandum sit officium, alioquin in fine ultimæ horæ : post alias autem horas non dicitur, etiamsi a recitatione cessandum sit. Aliæ mutationes non sunt faciendæ.

390. In privata officii recitatione cum uno aut pluribus sociis, unusquisque secreto recitare debet *Pater*, *Ave* et *Credo* sive ante, sive infra, sive post horas, excepta oratione dominica infra preces vesperarum et laudum, quæ ab uno dicitur alta voce, alio attendente. *Confiteor* et *Misereatur* in prima et completorio alternatim recitari possunt ut in choro, sed non debent, eaque semel recitare sufficit, omissis et

Digitized by Google

mutatis verbis, ut supra dictum est in casu, quo quis solus officium recitat. Alternatim recitari debent hymni, psalmi, cantica, invitatorium, responsoria, preces, antiphona B. M. V. et reliqua, quæ in choro alternatim dicuntur : non enim sufficit, ut unus dicat primum versum, alter secundum et tertius tertium; neque ut unus dicat totum psalmum, et alter alium, sed omnia alternatim recitanda sunt. Antiphonæ dici possunt simul ab omnibus, vel alternatim cum psalmis. Lectiones dicuntur a singulis suo ordine. Convenit, ut unus gerat vicem hebdomadarii seu officium facientis, qui dicit capitula, benedictiones, orationes, et alia, quæ officium faciens dicere solet. In fine antiphona B. M. V. de præcepto addenda non est nisi in fine laudum et completorii. Notandum simul recitantes se mutuo intelligibiliter audire debere, et cavere, ne unus recitare incipiat, antequam alter integre absolverit.

FINIS PARTIS 4, ET TOMI 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX HUJUS TOMI SECUNDI.

PROSECUTIO PARTIS II.

Titulus.		Pag.
XIII.	De missa privata de requiem	5
	Missa solemnis de requiem	7
	Absolutio defunctorum	12
	De sacerdote assistente in missa solemni ejusque officio	13
	De diacono et subdiacono in missa cum sacerdote assistente	18
	De officio cæremoniarii	20
	De cantoribus	26
	De thuriferario et acolythis	27
	De rara vel frequenti expositione ss. Sacramenti	38
	De requisitis ad expositionem ss. Sacramenti faciendam	42
	De servandis coram ss. Sacramento exposito	45
	Ritus exponendi et deponendi ss. Sacramentum	53
	De benedictione danda cum ss. Sacramento	63
	Missa privata coram ss. Sacramento exposito	69
	Missa solemnis coram exposito ss. Sacramento	74
	De missa privata celebrata coram Episcopo, Prælato, etc	77
	De missa solemni coram Episcopo, etc.	81
	Missa privata celebranda ab Episcopo	92
	Explicatio litteralis et mystica rituum et cæremoniarum missæ privatæ et solemnis ab initio usque ad *Aufer a nobis*	94
	Explicatio orationum *Aufer a nobis*, etc. usque ad *Gloria in excelsis*	100
	De oratione	107
	De epistola, graduali, evangelio et symbolo	109
	De offertorio, oblatione hostiæ et calicis	117
	De orationibus ab oblatione usque ad canonem	122
	De canone missæ usque ad consecrationem	129
	De consecratione hostiæ et calicis.	138
	De canone post consecrationem	141
	De orat. dominica et aliis usque ad factam communionem.	149
	De communione et oration. post communionem dicendis.	159
	De benedictione in fine missæ et evangelio sancti Joannis.	160
	De missa defunctorum	162
	Orationes memoriter addiscendæ a sacerdote.	164

Digitized by Google

PARS III.

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

Titulus.		Pag.
I.	De defectibus in genere	169
	De defectibus prævisis, et accidentalibus commissis	171
II.	De defectibus materiæ	174
III.	De defectu panis	174
	De emendando defectu panis	177
	De casu, quo species consecratæ dispareant	182
IV.	De defectu vini	184
	De emendando defectu vini	185
	De defectu qui suppleri non potest, et de defectu in utraque materia	189
	De dubio circa materiam panis et vini, et de casu quo sacerdos defectum non cognoverit nisi post ablutiones aut finitam missam	191
V.	De defectibus formæ	193
VI.	De defectibus ministri	197
VII.	De defectu intentionis	198
VIII.	De defectibus dispositionis animæ	206
IX.	De defectu jejunii	210
	De defectu castitatis	214
X.	De defectibus in ministerio ipso occurrentibus	216
	De violatione ecclesiæ, incursu hostium, ruina loci, et ingressu excommunicati	217
	De sacerdote qui præ infirmitate missam perficere nequit.	219
	De obligatione sacramentum sumendi, missam perficiendi et non interrumpendi	226
	De casu quo aliquid, sive venenosum sive non, in calicem cecidit, et aliquid venenosum hostiam tetigit	230
	De hostia fracta et lapsa in calicem	234
	De vino et speciebus s. Sanguinis congelatis	236
	De sacro Sanguine effuso	238
	De s. Hostia evomita aut lapsa in terram	241
	De laudibus vespertinis	245
	De cultu ss. reliquiarum	248

PARS IV.

RUBRICÆ GENERALES BREVIARII.

	Quo breviario utendum	257
	Quodnam officium cuique est recitandum	265
	De officiis seu festis ex consuetudine	269
	De patrono loci ejusque officio	273

Digitized by Google

Titulus.		Pag.
	De titulo seu patrono ecclesiæ non cathedralis, ejusque dedicatione	274
	De pluribus titulis aut patronis loci et ecclesiæ	280
	De patrono seu titulari diœcesis, et dedicatione ecclesiæ cathedralis	281
	Distinctio clericorum quoad officia particularia	286
	De regularibus et monialibus quoad officia particularia	290
I.	De officio duplici	292
II.	De officio semiduplici	294
III.	De officio simplici	296
IV.	De dominicis	297
	De dominicis post Epiphaniam et post Pentecosten	301
V.	De feriis	306
VI.	De vigiliis	308
VII.	De octavis	312
	De tempore quo octavæ prohibentur	315
	De majori octavarum dignitate	317
	De officio festi et octavæ patroni, titularis aut alterius sancti, qui celebratur cum octava; item cum socio	320
VIII.	De officio sanctæ Mariæ in sabbato	325
IX.	De commemorationibus	326
	De commemoratione simplicis, feriæ, dominicæ et octavæ.	327
	De commemorationibus in festis 1 et 2 classis, ac inferioris ritus	333
	De locis et modis quibus fit commemoratio	336
	De ordine commemorationum faciendarum	340
X.	De translatione festorum	342
	De festis duplicibus minoribus et semiduplicibus, quæ non transferuntur	346
	De officiis quæ et de diebus seu festis in quibus transferuntur	348
	De quo faciendum officium, et quodnam est transferendum, si plura officia quæ transf., eodem die occurrant.	351
	De præeminentia inter festa primaria et secundaria ejusdem ritus	352
	Catalogus festorum quæ uti primaria vel secundaria retinenda sunt.	354
	Novum officium quo die est celebrandum	358
	In quam diem fit festorum translatio.	364
	Mutatio festorum in diem fixam	368
	De translatione festi cum octava, solemnitate, feriatione, et indulgentia.	371
	De officiis, pro quorum translatione desunt dies vacui usque ad finem anni	376
	De officiis ad libitum	377

Digitized by Google

Titulus.		Pag.
	De officiis concessis loco particulari, et affixis dominicis aut feriis	379
	De officiis votivis ss. Sacramenti, conceptionis B. M. V. et aliis	381
	De officiis votivis per annum ex indulto 5 Julii 1883	384
	Officium sancti cum sociis	389
	De festis quorum solemnitates in dominicam transferuntur.	390
	De tabellis occurrentiæ et concurrentiæ in breviario positis.	400
XI.	De concurrentia officii	401
	Regulæ generales concurrentiæ	406
XII.	De ordinando officio ex prædictis rubricis	413
XIII.	De matutino	415
XIV.	De laudibus	419
XV.	De prima	420
	De martyrologio	422
XVI.	De horis tertia, sexta et nona	424
XVII.	De vesperis	425
XVIII.	De completorio	426
XIX.	De invitatorio	427
XX.	De hymnis	427
XXI.	De antiphonis	432
XXII.	De psalmis	435
XXIII.	De canticis	437
XXIV.	De versibus	438
XXV.	De absolutionibus et benedictionibus ante lectiones	439
XXVI.	De lectionibus	442
	De initiis s. Scripturæ et lectionibus 1 nocturni	447
	De lectionibus 2 et 3 nocturni, nona lectione homiliæ et simplicis	452
XXVII.	De responsoriis post lectiones	457
XXVIII.	De responsoriis brevibus horarum	462
XXIX.	De capitulis	464
XXX.	De oratione	465
XXXI.	De hymno *Te Deum*	468
XXXII.	De oratione dominica et salutatione angelica	469
XXXIII.	De symbolo apostolorum et symbolo s. Athanasii	471
XXXIV.	De precibus	472
XXXV.	De commemorationibus communibus seu suffragiis sanctorum	474
XXXVI.	De antiphonis beatæ Mariæ in fine officii	480
XXXVII.	De officio parvo beatæ Mariæ et aliis	483
	De cæremoniis in officio divino servandis	485
	De cæremoniis in vesperis, matutino et aliis omnibus horis.	491
	De privata officii recitatione, et cum sociis	495

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT
13020100030780

BIBLIOTECA
DE
MONTSERRAT

Armario LXXX B
Estante 8º
Número 18

Digitized by Google